Reinzer


Imperium sine fine dedi
A.M. Wolffgang ſc.

# METEORO-LOGIA PHILOSOPHICO-POLITICA,

IN DUODECIM DISSERTATIONES
PER QUÆSTIONES METEOROLOGICAS
ET CONCLUSIONES POLITICAS DIVISA, APPO-
SITISQUE SYMBOLIS ILLUSTRATA:

OLIM

*HONORI*

*AUGUSTI ROMANORUM REGIS*

**JOSEPHI I.**

INSCRIPTA,

NUNC DENUO AD MULTORUM DESIDE-
RIUM IN LUCEM CORRECTIOR EDITA,

AUTHORE

*REVERENDO PATRE*

**FRANCISCO REINZER,**

è SOCIETATE JESU, AA. LL. ET PHILOSOPHIÆ,
NEC NON SS. THEOL. DOCTORE.

*Cum Privilegio Sacræ Cæſ. Maj.*

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Impenſis JEREMIÆ WOLFII, Chalcographicæ Artis Propolæ.
*Typis PETRI DETLEFFSII.*

Anno DCCIX.

# Ad Benevolum Lectorem.

POſtquam Philoſophus in libris de Generatione communem elementorum, cæterarumque diſſolubilium ſubſtantiarum ſcientiam expoſuit, gradum fecit ad mixtorum imperfectorum naturam ſingulatim pertractandam, quatuorque libros de eorum Generatione compoſuit, quos & de *Meteoris* inſcripſit; hoc eſt, de rebus, quæ in parte ſublimiori mundi generantur. Agit in primo potiſſimum de impreſſionibus igneis, in ſecundo & tertio de aëreis & aqueis, in quarto de terreis. Ex quo equidem liquet, Philoſophum in his non modo explanaſſe ea, quæ in alto apparent, & generantur, verum etiam de iis egiſſe, quæ in infimis terræ viſceribus producuntur. Quia tamen majori ex parte differit de rebus illis, quæ in aëreis Regionibus accidunt, ampLioremque hominibus admirationis pariunt materiam, appellatione à potiori & ſublimiori parte traducta, libros meteorologicos non immerito inſcripſit. Hos, ut non noſtro, ſed Illuſtriſſimi Domini Comitis defendentis deſiderio faceremus ſatis, in præſenti opuſculo per duodecim Diſſertationes haud unius aut alterius, (ut te lectio docebit) ſed copioſorum Authorum ductu explanandos, & hiſtoriarum atque experientiarum floribus, quod in paucis, qui de Meteoris ſcripſerunt hactenus, obſervatum, illuſtrandos aggreſſi ſumus, memores illius: *Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.* Verum ut omnium guſtui ſtuderemus, & varietatis venuſtate ſingulorum genio opus adaptaremus; neque enim idem palatum omnes nacti ſumus, & ſæpe quod ſapit uni, diſſipit alteri; ita has ipſas Diſſertationes meteorologicas, utut floridas novis floribus cumulare, & quodammodo ſaporare placuit, ut tanto amplius, quanto magis cupimus, utili curioſitati legentis placeremus. Singularum enim quæſtionum materiam, ne vel oculus, dum mens Philoſophicis paſcitur deliciis, ſua careret voluptate, & in imagine ſpectaret intellectus phænomena, non inelegante ſcalpto æri inciſam ſymbolice expreſſimus. Subjuncta deinde poſitionibus meteorologicis, prout rei ferebat & exigebat connexio, Concluſio Politica eſt, ut cum Philoſopho bene diſcurrere, cum Politico bene agere diſceremus. Optima enim illa Concluſio, cujus præmiſſæ non

modo naturali, ſed & morali Philoſophiæ, quæ in eodem traduntur Lyceo, innituntur. Sine hac nemo Philoſophus abſolutus, ſed ne homo quidem; *Omnis enim homo*, Ariſtotele teſte, *naturaliter eſt animal Politicum & civile.* Digeſtum ſic ex probatiſſimis Authoribus nova hac forma opuſculum, ſi nihil tamen lippienti oculo novum videbitur, cogitet, nec aliena carpere & mordere modo novum eſſe. Recte Socrates, *difficile eſt ita quidquam peragere ut nihil erres; quod ſi etiam ſine errore quisquam aliquid peragat, difficile eſt, non iniquum judicem reperire.* Interim ſibi meliora parandi neceſſitatem imponit, qui ut trita ſpernit aliena. Peſſimum ſemper judicium eſt, ubi non mens ſed dens ſententiam fert. Et quod ridiculum eſt: Sæpe præoccupatus ſiniſtro affectu animus jam in cenſuram operis linguam & calamum expedit, quod necdum vidit oculus, minus mens legendo dijudicavit. Ita ſtomachante animo peſſimi rerum efficimur arbitri. Imbecillitatem tamen noſtram & mentis & calami ultro profitemur; quid enim noſtrum in orbe perfectum? ut vita, ſic ſcripta errore non vacant. Unde & mihi parces facile, qui & ſcribenti tibi parci velis. Tu interim benevole Lector & æquus rerum æſtimator ſic opuſculum hoc velim pervolvas, ut dum intellectum Philoſophica paſcis curioſitate, animum una in admirandam Authoris Naturæ ſapientiam obtutu convertas, utpote, quæ non ſolum in magnis magna, ſed & in minimis maxima relucet. Nam ut non minus ſapienter ac piè ſagaciſſimus Meteororum contemplator Fromondus inquit: ideo natura, aut naturæ Author DEUS hæc prodigia cœleſtia, & mira in cœlo phænomena in alto ſuſpendit, atque oculis noſtris expoſuit, ut ſuſpiceremus Creatoris in mirabilibus Sapientiam & Majeſtatem. Sic igitur meo labore fruere & vale.

DIS-

# DISSERTATIO PRIMA.

## De Corpore Meteorico generatim.

UT ad ea, quæ in decurſu hujus Corporis Meteorici perſcrutabimur, planior acceſſus pateat, quædam Meteorologicis rebus communia, qualia ſunt principia tam intrinſeca, quàm extrinſeca, cauſa finalis, locus, tempus, & ſi quæ ſunt alia, primò penetranda ſunt; nè alioquin eadem ſæpius in memoriam revocare & moleſtè repetere adſtringamur. Quare ſit

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit Meteorum, & quæ ejus materia.*

COncluſio prima. Μετέωρον græcè, idem eſt, ac *ſublime* latine, & Μετεωρολογία idem ſignificat, *ac rerum ſublimium ratio*. Ex quo deduces, Meteorum nihil eſſe aliud, quàm mixtum imperfectum in ſuperioribus mundi partibus ortum, ut ſunt nubes, fulmen, &c. ſolet tamen ex communi uſu inter meteora referri id, quod in aëre inferiori, & mari, imò etiam terra gignitur, nimirum, quia hâc tractatione cum illis veris, & propriè dictis Meteoris conjungi ſolent. Vocatur verò *mixtum imperfectum*, quia re ipſa aliud non eſt, quam elementum peregrinis qualitatibus infectum.

Concluſio ſecunda. Materia Meteori duplex eſt; una remota, altera proxima. Remota potiſſimùm terra & aqua cenſetur, hæc enim materiam propinquam, ex qua fiunt impreſſiones iſtæ meteorologicæ, de ſuo ſuppeditant. Dixi *potiſſimùm*, quia etiam valde probabile eſt, aliquando aërem ventis, nubibus & fontibus materiam præbere. Materia propinqua eſt vapor & exhalatio. Ita Ariſtoteles l. 1. c. 4. Ratio deſumitur ex eo, quia ex his Meteora univerſa oriuntur; non quidem ex utroque omnia, ſed quædam ex vapore, quædam ex exhalatione, quædam ex utroque inter ſe permixto; unde minimè audiendus Chymicorum Princeps Paracelſus, qui pluvias, ventos & reliqua Meteora docebat eſſe fructus Syderum, ſicut poma fructus ſunt arborum; & ea ſtatis temporibus effundi. Similiter dicebat, ſtellas eſſe phialas, in quibus continentur ſulphur, ſal, & mercurius omnium Meteororum materia. Sed quis non videt, hæc ſomnia eſſe?

Quæres ad majorem dictorum intelligentiam, quid ſit vapor & exhalatio? Reſp. vaporem eſſe halitum, ſive exſpirationem calidam & humidam, quæ ex humore aqueo per calorem reſoluto prodit, qualem videre eſt aſcendentem ex aqua, quæ in olla ſubjecta igni efferveſcit. Exhalatio autem eſt ſpiratio calida & ſicca aſcendens ex terra, vel ex ſimili ſicca ſubſtantia. Talis eſt fumus ille, qui ex thure, & ſimilibus rebus in carbones igneos conjectis, exoritur. Ex vapore & ſpiratione oriuntur nebulæ, rores, nubes, pluviæ, nives, grandines & his cognata. Ex exhalatione verò ignitæ impreſſiones, ut cometæ, aliæque faces ardentes; Continet tamen hæc exhalatio ſub ſe duas quaſi ſpecies; unam, quæ parvo negotio flammam concipit, & in ignem mutatur, alteram, quæ non ita facilè incenditur, ex qua proximè venti exiſtunt. Prior è terra pingui oritur, habetque partes ſibi adhærentes ob materiæ tenacitatem, cui proinde acriter ſolis calor inuritur, ideoque in altiorem aëris tractum evolat. Poſterior ex aridiori terra, cujus partes minores inter ſe cohæſionem habent, exhalatur; unde non tantâ vi illi calor Solis imprimitur, proindéque preſſa pondere minus aſcendit, citò diſſolvitur, & in ventorum flatus abit. Ex quo

Colliges, vaporem & exhalationem partim inter ſe convenire, partim differre, conveniunt in eo quòd ſpeciem imitentur fumi, & ſint halitus calidi ab extrinſeco, cùm ex natura ſua depoſcant frigus; differunt, quòd vapor humidus ſit, & ex aqua profectus, in ſecunda

ſemper conſiſtat regione aëris, exhalatio autem ſicca ſit, & reſoluta ex ipſa terra ſæpè in ſupremam regionem evolet, eò quòd cùm ſit ſicca, facilius impreſſum calorem ſervet, quàm vapor. Nec obſtat id, quod à probatis Authoribus aſſeritur; videlicet è terra Solis vi tepefacta utrumque reddi halitum, id enim propterea dicunt, quòd terra & aqua plurimis in locis mixtæ ſint. Qua de cauſa fit, ut ſæpè exhalatio & vapor hinc mixtim ferantur; tametſi ubi ad mediam venêre aëris regionem, ſocietate divulſa plerumque ſubſiſtat vapor, exhalatio verò altiùs promoveatur.

Controverſia major eſt, utrùm ſubſtantialiter differant ab elementis vapor & exhalatio, cui ut reſpondeam, ſit

Concluſio tertia. Vapor & exhalatio non differunt ab elementis, terra nempe & aqua, è quibus educuntur, niſi accidentaliter nempe ratione caloris, raritatis & levitatis impreſſæ. Ratio eſt 1. quia illi halitus facilè iterum in elementum reſolvuntur, nam ſi ollæ bullienti operculum, vel caſſidem imponas, vapores collecti rurſus in guttas coaleſcunt, argentum vivum vaſe aperto incluſum diſſipatur, & in fumum abit; ſervatum verò in operto vaſe non minuitur per duos annos; thuris, ſulphuris & aliorum mineralium exhalationes, veterem ſpeciem ſervant, ergò halitus iſti ex terra & aqua reſoluti, ſpeciem ſervant aquæ ac terræ. Neque enim hoc fit ex eo, quòd elementa ex illis generentur, ſed potius quòd illi in ſe ſervent eandem elementorum naturam, & in elementa reſolvantur. Secundò quia vapores hi ad ſecundam aëris regionem delati paulatim ſe ad nativum frigus reducunt, & in guttas reſoluti, recidunt, & terram perpluunt. Tertio demum, ſi obſtaret aliquid, eſſet diſcrimen qualitatum quas habent; ſed diſcrimen qualitatis impreſſæ ab extrinſeco non arguit diſcrimen & diſtinctionem ſubſtantiarum, eadem enim aqua ex natura ſua frigida, invenitur aliquando calidiſſima, & idem metallum ex natura ſua durum, aliquando liqueſcit ſinè ullo diſcrimine eſſentiali, utpote quæ hoc habent ab extrinſeco. Accedit teſtimonium Ariſtotelis l. 1. c. 3. ubi appellat vaporem aquæ ſecretionem, id eſt, partes aquæ ſegregatas. Unde concludo vaporem & exhalationem, tum alia hujuſmodi meteora eſſe tantùm mixta imperfecta, quia non generantur niſi per transmutationem accidentalem. Hinc etiam vapor & exhalatio dicuntur meteora primæ compoſitionis; quæ autem alia fiunt ex vapore & exhalatione, vocantur meteora ſecundæ compoſitionis.

Argues tamen contra primò, vapor & exhalatio ſunt leves, & ſurſum aſcendunt, aqua autem & terra ſunt graves & deorſum ruunt, ergo diſtinguuntur ſubſtantia ab his elementis, quia ex diverſitate accidentium colligitur diverſitas ſubſtantiarum. Reſp. primò negando, vaporem & exhalationen eſſe proprie leves, quia vapor, qui ex aqua librali ſuſcitatur, ſi intra veſicam aliquam concluſus ad bilancem expenderetur, ponderaret æquè librâ, quàm ipſa aqua, unde conflatus eſt. Unde non propter levitatem aſcendit, ſed ſurſum truditur ob raritatem ſuam. Sicut cuprum librale, ſi in globum tundatur, mergitur, ſi verò in lamellam concavam, & in modum navis configuratam extendatur, etſi eodem adhuc pondere prædita ſit, tamen aquæ innatat, & ab eadem aqua ſurſum truditur.

Reſpond. ſecundò, non ex quibusvis accidentibus etiam diverſis colligitur diverſitas ſpecifica ſubſtantiarum, ſed tantùm ex iis, quæ inſunt ſubſtantiis, ſemper ex intrinſeca earum exigentia, non ex iis, quæ inſunt per accidens, ab agente extrinſeco per vim quaſi introducta & intruſa. Talis eſt levitas & calor exhalationis & vaporis, quæ ab igne extrinſeco Solis & aliorum calefactivorum corporum introducta ſunt, contra exigentiam naturalem formæ ſubſtantialis intrinſecæ.

Argues ſecundò, Spiritus reſoluti ex animalibus, plantis & aliis mixtis, ſpecie ab iis differunt; nam ſpiritus animalis non eſt animal; aqua roſacea non eſt roſa; vinum in aquam vitæ ſublimatum deſinit eſſe vinum, ergo ſimiliter ſpiritus educti ex aqua & terra, non ſunt aqua & terra. Reſpondeo: Halitus corporum mixtorum ex ipſis eductos interdum ab ipſis ſpecie differre, quoties ſcilicet non facilè poſſunt in illa corpora iterum reſolvi, ſicut manifeſtum eſt, quod ſpiritus animalium, plantarum, & aliorum non redeant in ea mixta, è quibus orti ſunt. At vero halitus corporum mixtorum aliquando ab ipſis non differunt ſpecie, quoties in illa redire facilè poſſunt, ſic fumus vini fit iterum vinum, & fumus Mercurii ſeu argenti vivi, ſi in alembico vel ſimili inſtrumento colligatur, reſolvitur iterum in argentum vivum.

Argues tertio. Vapor vini non eſt vinum, aliàs in vini vaporibus poſſet conſecrari, ergo nec vapor aquæ eſt aqua. Reſpondeo primo, juxta paulo ante dicta negando antecedens, neque inde tamen ſequitur eos eſſe conſecrabiles, cùm non habeant formam vini uſualis, quod probabiliter etiam docent Theologi de vino gelato & aqua gelata, neutrum enim eſt materia apta uſualis Euchariſtiæ aut Baptiſmi, licèt de vino gelato aliqui probabiliùs contrarium dicant, neque tamen ideo idem dicendum de vaporibus vini,

quia

quia vinum gelatum etiam prout ſic non amittit denominationem vini, ſicut amittunt illius vapores. Reſp. 2. dato non conceſſo antecedente nego conſequentiam, diſparitas enim præter rationem ſuperius adductam, ex eo quoque dari poſſet, quod nos hic non loquamur de vaporibus & exhalationibus, quæ elevantur a corporibus mixtis, quale eſt vinum, ſed quæ elevantur a corporibus ſimplicibus, & elementaribus, qualis eſt aqua & terra.

In diſceptationem quæſtionis hujus etiam adduci ſolet, num prædictorum halituum duæ tantùm ſint communes ſpecies, an plures, pauciores ve; Plato enim ſolùm vaporem calidum & humidum ex aqua manantem admiſit; terreſtrem vero exhalationem de medio ſuſtulit, negans terram in alia elementa poſſe transmutari. Adducebatur ad hoc exemplo cinerum, qui nec ab ipſo igne, cujus eſt tanta voracitas, & acrimonia in agendo, conſumi valent. Magnus vero Albertus lib. 10. tract. 4. c. 1. quatuor poſuit exſpirationum ſpecies: primam calidam & ſiccam è terra ut plurimùm ortam, quæ procul in ſublime rapitur, & in ignitas impreſſiones degenerat. Secundam calidam & humidam, quæ parùm aſſurgit, facileque in aërem vertitur. Tertiam frigidam & ſiccam, ex qua addenſata exiſtant venti. Quartam denique frigidam & humidam, quæ Meteoris frigidis & humidis deſerviat. Sed contra hos ſit.

Concluſio quarta. Duæ tantùm ſunt, nec plures, nec pauciores communes ſpecies exſpirationum, per quas Meteoricis rebus materiam præbent, nimirum vapor & exhalatio. Ratio eſt primi, quia nulla Meteorica exſpiratio frigida eſſe poteſt, ſiquidem omnes excitantur vi caloris, nec excernuntur niſi rareſcente corpore, eamque rarefactionem calore machinante. Secundo, quia cùm omne frigidum ſuapte natura ſit grave, ſi vapor & exhalatio frigida eſſent, non aſcenderent. Ratio ſecundi eſt, quia cùm ignitæ impreſſiones, ut Cometæ, ſtellæ volantes, aliæque ejusmodi non fiant ex vapore aqueo, qui difficilè igniri poteſt; utique alia præter hanc, debet quæri idonea materia, videlicet exhalatio terrea & ſicca, quæ ad flammam concipiendam aptiſſima eſt. Neque obſtat illud de cineribus; ideo enim vel ægrè, vel neutiquam ab igne corrumpi poſſunt, & in eam converti, quia nihil pingue habent, quod in ignis pabulum cedat.

Ex quo pariter contra Platonem & nonnullos alios deduco, dici minimè poſſe, ſolùm humorem è terra extrahi, nullam autem terræ particulam in exhalationem abire ob nimiam ſiccitatem; nam corpora etiam valde ſicca, ejusmodi ſunt aromata, thus, ſulphur, pulvis pyreus, piper ſuas habent exſpirationes, ergo etiam ſiccitas terræ non impediet, ne illa etiam habeat ſuas. Deinde non ex ſolo vapore ducto ex aqua poſſunt ignitæ impreſſiones accendi, ut patet, aqua enim ſola ignem non nutrit, ergo neceſſe eſt, ut vapori aliquid terræ adjunctum ſit. Idem probant venti etiam ſicciſſimi, qui ex ſolo vapore conſtare nequeunt. Denique aquæ nivales, & aquæ pluviæ multum habent terreſtris halitus, ut patet ex limo, qui ex ipſis conſpicitur. Unde ex terreſtri etiam materia conſtant iſtæ Meteoricæ impreſſiones. Fateor tamen lubens, faciliùs humorem ab igne, vel Sole vinci, quam corpus ſiccum, in quo nullus eſt humor, quia corpus humidum faciliùs rareſcit, ſi tamen ſiccum corpus, ejusmodi eſt terra, humore fuerit ſubactum, exhalatur cum humore, quem extrahens Sol aliquas etiam partes extrahit corporis ſicci. Quare tenendum omnino eſt terram aliquantulùm decreſcere diu ſoli expoſitam, facilè tamen hæc jactura rurſus reparatur ex decidentibus poſtea pluviis.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Politicus ſcientiâ & virtute præſtet.

DUabus te alis volare volo, Politice: altera ut vivere diſcas; altera ut præeſſe. Vicarius DEI es, & quaſi Provincialis DEUS: idem in te tuisque præſtare debes, quod DEUS in univerſo: virtute, ac Sapientia gubernat. Virum te virtus, hominem Sapientia, utraque DEO ſimilem facit. Fabuloſam ſuam Palladem virtute armavit ac Sapientia Jupiter, ut ſe ipſo dignam faceret. Quomodo non prole divina natum te crediderim; Cùm te virtus aliquid ex mente, Sapientia aliquid ex cerebro Numinis habere loquatur. Ut virtuoſiſſimi fuere Carolus ex nomine & ſceptro Magnus, Ferdinandus Secundus Auſtriacorum Decus, Ferdinandus Tertius Hiſpanorum, Ludovicus Galliarum, Alphonſus Arragonum, Joannes Secundus Portugalliæ, Reges: ita & ſapientiſſimi audivêre. *Cùm gentis alicujus bona vult Deus, ponit in ejus Regibus ſcientiam, aut Regnum in ejus Sapientibus* Divinus Plato dicebat; en habes Sapientiæ ſuffragium. *Neque Princeps habet opus Phidia, qui fingat; aut Polycleto vel Myrone: Sed virtutis opera te ipſum DEO quam ſimilimum facit jucundiſſimumq́, ſpectatu opus, & Diis chariſſimum*, exiſtimabat Chæronenſis Philoſophus; en pro virtute calculum: Illa fortunæ peculium eſt, hæc pignus felicitatis. Cum virtute abſque Sapientia bene vives, at non providè:

*Lib. ad Principem indoctum.*

Cum Sapientia ſine virtute procedes cautè; ſed non piè, imò altera ſine altera, neq; caute neq; benè, quomodo enim benè, ſi non cautè? quomodo cautè, ſi non benè? Nequit Conſilio præeſſe & Induſtria; ubi non ſapientia virtuti Conſilium, virtus ſapientiæ Induſtriam, altera alteri manum præbet. Quemadmodum terra nebuloſos partus in aëra transmittit, aqua vapores ſuos in altum evehit, ut à ſole in Iridem pingantur, aut in fulmina excudantur, eos accenden-




do & illuminando, tanquam aëreorum effectuum principio; ab his enim *binis ſingula* ſunt in aëre phænomena, omniſque meteorica facies generatur. Ita virtutis & ſapientiæ ſuffragio ad ſumma quæque enititur Politicus, ut luceat & ardeat: lucendo ſapientia bene præſit, ardendo virtute benè vivat. Primas teneat virtus, ſapientia ſecundas: hæc ſine prima doctum te facit, ſed non bonum. Id quod Wenceslao Primo Cæſari in proverbiis erat: Μορόσοφοι, Μορόκακοι, *Moriones docti*, *Moriones mali*. Adjiciente ſuum calculum Siracide: *Quo cautius perſpicit ingenium, quod ſcilicet virtute non excultum eſt, eò plus mali committit.* Vides quàm ambobus pedibus incedendum ſit Politico. Omnis virtus ſine ſapientia & animi cultura mors eſt. Omnis ſcientia à virtute remota, malitia eſt, non ſapientia: Platonis eſt effatum, utroque pede ſi ſteteris, bene curres.

# QUÆSTIO II.

## *Quæ ſit cauſa efficiens Meteori.*

Expoſceret doctrinæ ſeries, ut prius de cauſa formali, quàm efficiente Meteori quæſtionem inſtitueremus, quia tamen hæc in genere explananda vix quidquam diverſum ab iis, quæ in particulari per decurſum dicturi ſumus, continet, ſufficiet duntaxat cauſæ formalis quidditatem in præſenti inſinuâſſe. Eſt igitur cauſa formalis forma illa, per quam halitus inflammatur, & convertitur in ignem, vel condenſatur & convertitur in nubem, vel fri-

frigeſcit & reſolvitur in aquam. Ex quo colliges, cauſam formalem eſſe duplicem, unam ſubſtantialem, alteram accidentalem; ſubſtantialis illa eſt, ex qua Meteorum prodit, & eſſentialiter conſtituitur, ſic pluvia, ros, nix & aqua, per quam conſtituuntur, non differunt in ſubſtantia. Accidentalis verò eſt, certum temperamentum peregrinarum qualitatum, per quas Meteora diverſificantur accidentaliter. Hæc breviter de cauſa formali, nunc ad efficientem, quæ propria hujus quæſtionis materia eſt, progrediamur, pro qua

Prænotandum eſt primò, quoniam ad generationem Meteorologicarum impreſſionum, ut ex dictis prioris quæſtionis conſtat, concurrant tanquam materia proxima vapor & exhalatio, id inprimis pro cauſa efficiente harum impreſſionum ſtatuendum erit, quod iſtiusmodi materiam ab elementis evocat, & in ſublime tollit; nam de cauſa, quæ poſtea vapores cogit in pluvias, reſolvit in ventos, & alia hujusmodi dicetur, cùm de ſingulis in particulari agemus.

Prænotandum ſecundò, certum eſſe duplici viâ fieri poſſe, ut halitus è terra & aqua extrahatur, vel à vi ignis alicujus ſuppoſiti, vel à fluxu ſupernè impendente corporum cæleſtium maximè ſolis. Cum enim in pleriſque fermè locis ignes dentur ſubterranei, qui licet non erumpant in apertas flammas ſicut Veſuvius, Ætna & Hecla, habent tamen eam efficaciam ut vapores & exhalationes in altum agant, neque enim eorum calori idem effectus denegandus eſt, quem calori ſolis adſcribimus.

Prænotandum tertiò, cauſam inſtrumentariam, quâ tum ignes ſubterranei, tum corpora cœleſtia ad effecta Meteororum utuntur, eſſe potiſſimum prædictum calorem, qui aquam & terram pervadit, easque attenuando in halitus ſolvit. His prænotatis ſit

Concluſio prima: Cauſa principalis efficiens Meteororum non ſunt ſoli ignes ſubterranei, ſed vel maximè corpora cæleſtia præſertim ſol, quæ ſuo calore, & aliis occultis influentiis in elementa agunt. Conſtat hoc primò Authoritate Philoſophi, qui lib. 1. hujus operis cap. 2. docet: *Oportere mundum inferiorem ſuperis lationibus, id eſt cæleſtibus corporibus, quæ in orbem agitantur, continentem eſſe, ut inde omnis ejus vis adminiſtretur, & regatur.* Conſtat ſecundò ratione, quia ſpectamus jam primo diluculo è ſtagnis & fluminibus exhalationes & nebulas aſcendere, imò ſi torridâ æſtate agros & prata ſolis æſtu flagrantes intueamur, obſervabimus ſubtiliſſimum omni ex parte vaporem exhalari, per quem etiam conſpectæ agrorum glebæ tremunt. Sic etiam videmus rorem matutinum totum ſiccari à ſole, ob quam cauſam quoque fieri ſolet maximè veris & æſtatis tempore, ut cœlum ſolvatur in pluvias, & tonitrua poſt magnos calores, quia nempe Solis virtute plus humorum in ſuperiores Regiones attractum, quàm poſſit conſumi. Hinc obſervatum eſt, eos populos, qui ſub Æquatore habitant, quo tempore Sol eſt in æquinoctiis, & impendet eorum vertici, aſſiduos habere imbres, appellantque illic hoc tempus ſuam hyemem, non ob frigoris aſperitatem, qua non infeſtantur, ſed propter pluvioſam tempeſtatem adeò diuturnam, ut quatuor ferè menſium intervallo Solem non videant; quod cum veteribus Coſmographis minimè perſpectum eſſet, dixêre, non poſſe habitari regiones in Zona torrida, cùm tamen nullibi terra urbes habeat, vel plures, vel majores, vel pleniores. Et quis credat? vites quidem eſſe in zona torrida, ſed vinum tamen non eſſe, proptereà, quòd non matureſcant unquam ibi uvæ ob defectum radiorum Solis, quibus illæ concoquantur. Accedit demum omni ex parte terræ nebulas & vapores extrahi, neque tamen ubivis ſubterraneæ flammæ latitant.

Dubium tamen Diſſertationi huic non pauci movent ex eo, quod activitas Solis ex communi, ſi Plinium demas, ſententia nec maris fundum aſſequitur, nec telluris ſinum ultra decem aut duodecim pedes penetret; incredibile autem eſſe, quomodo hinc tanta vaporum copia ad tot, & tam magnas Meteororum impreſſiones valeat educi, præſertim cùm potiſſimum Orbis ſpatium petroſis montibus & ſylvis ſit tectum. Deinde fluviorum & paludum unda Solis æſtui objecta vix teporem inde contrahit; nequeunt proinde à calida illius activitate tot educi halitus, qui ad obducendam totam aëris regionem ſufficiant. Adde noctu haud pauciora contingere meteora, quàm interdiu, & tamen tunc temporis abeſt Solis calor, qui attrahat.

Huic dubio facilè occurritur dicendo, vapores extractos ex illa decem aut duodecim pedum profunditate, quam rimatur Solis calor, abunde ſufficere tum ad ventos, tum ad reliqua ignea Meteororum ſimulacra efformanda, terra enim ſolida incredibiliter rareſit, quemadmodum videre eſt in grano vel unico pyrii pulveris accenſo, quod rarefactionem patitur ad ſpatium 125000. vicibus majus. Neque obſtant ædificia, petroſi montes & ſylvæ, nam & hæc ſuis non carent exhalationibus, & Sol omnia pervadit ſua efficacia. Sed neque fluminum aut ſtagnorum aquam, ut ſuos exſpiret halitus, adeò ab æſtu Solis inflammari opus eſt, ut bulliat. Ad illud, quod ultimò oppoſitum eſt, dico noctu multa fieri Meteora ex vaporibus interdiu à Sole attractis, aut certò ex iis, quos calor interdiu à Sole productus educit. Præterquam quod & alia corpora cœleſtia, ut ſunt Sidera, Luna præcipuè virtute hac attractivâ

vaporum polleant. Hinc nata Aſtrologia illa naturalis, quæ experimentis & obſervationibus nixa juxta Lunæ, aliorum Planetarum motus, phaſes & phænomena, temporis alterationem prænoſcere docet, eaque licèt non ſit ſemper certa & infallibilis, non tamen etiam ſemper vana dici poteſt.

Suppoſito jam tanquam certo, quòd non ſolùm à ſubterraneis ignibus vapores excitentur, ſed & à Sole ſurſùm attollantur; dubium oritur, an hoc præſtet per virtutem magneticam, vel per calorem in ſublime efferat interventu levitatis, quæ calorem ipſum & raritatem conſequitur; vel demùm per extruſionem elevatio hæc contingat, ſunt enim, qui exiſtimant vapores & exhalationes haudquaquam in ſe recipere levitatem, cujus impulſu in altum ferantur; ſed trudi extrinſecùs à calore, quem Sol in hac infima regione reciprocantibus in ſe radiis congeminat. Huic controverſiæ ut reſpondeam, ſit

Concluſio ſecunda: Probabilius eſſe videtur, Solem non attrahere ſurſùm halitus per virtutem magneticam, ſed producto calore produci levitatem in vapore, per quam vapor ſurſùm extollitur connaturaliter & non violentè per extruſionem. Ratio primi eſt, quia ſi exhalationes hæ ſurſùm aſcenderent per effluvium & activitatem Solis magneticam, per eandem quoque retinerentur, nè deinde reſolutæ in imbres rurſus in terram deſcenderent. Quin imò vapores hi ita attracti ultra ſecundam regionem aëris eveherentur neceſſariò, cùm à virtute Solis magnetica attrahi deberent. Ratio ſecundi eſt, quia calor non eſt per ſe loco movens. Deinde, cùm prædicti halitus ſint tenues & calidi, qua ex complicatione levitas oritur, cur non habeant levitatem ſibi inhærentem, cujus vi ſurſùm commeent?

Concluſio tertia. Antiperiſtaſis quoque ad multorum Meteororum generationem concurrit. Ratio eſt, quia conſtat experientiâ, in multis rebus intendi frigus & calorem abſenti omni alio agente proportionato ad tales qualitates intendendas ſolum ex eo, quòd ambiat illas agens contrarium & potens deſtruere illas, ſic in hyeme manus valde frigidæ nivibus lotæ incaleſcunt; ſtomachus animalium frigidiore tempeſtate eſt calidior, & aqua fontana tepidior hyemis quàm æſtatis tempore obſervatur, nullâ aliâ de causâ, quàm quod â contrario agente quaſi obſideantur. Hanc autem actionem, quâ agens circumſiſtens intendit contrariam qualitatem vocant Philoſophi Antiperiſtaſin ſeu circumſeſſionem, ergô Antiperiſtaſis ad multorum Meteororum generationem concurrit.

Nota verò: Antiperiſtaſin potiſſimùm notari in augmento caloris & frigoris, fierique hâc ratione: Dum frigus circumſtat corpus aliquod calidum, partes illæ tenuiores, ac ſpirituoſæ fugientes contrarium intrò ſe recipiunt, & unitæ ſimul magis incaleſcunt; augéntque calorem antea præexiſtentem. Dum verò calor circumſtat frigidum corpus, hoc obſeſſum a calore rareſcit, & pori magis dilatantur, partes vero tenuiores ac ſpirituoſæ magna ex parte evolant, & ad amicum calorem confluunt; quæ vero intus manent, rareſcunt magis, & exiguam vim calefaciendi retinent, & ob id corpus antea frigidum magis infrigidatur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## A DEO omnia.

BEne ſolum DEum nuncupavere Ægyptii, ut enim reliquis quidem Sol cauſis præſtat cœli phœnomena producendo, ita *plus omnibus unus* DEUS omnis boni Author eſt, atque origo. Huic tua omnia in acceptis refer, quia nihil ſine Numine. Alpha ille eſt & Omega: principium & finis. Critias & Euripides, licet DEUM negarint; utiliſſimum tamen mortalibus mendacium crediderunt, DEum verum omnium fontem credere, & in hoc mare refundere. Omnia ut ſine Deo eſſe non poterant, ita ſervari non poſſunt ſinè Numine. Angelica peccamus libidine, ſi nobis adſcribamus aliquid, DEO non omnia. Optima relatio habetur ad Deum, *Sic bonum initium, melius medium, optimus finis conſequitur*, ait Accurſius. Sine recurſu ad DEum non currunt bene publicæ actiones; Politicus ſtare non poteſt, qui ſe in DEO non fundat. Nihil agit, ſi ſinè DEO agit omnia. *Cum Diis movere haſtam ſapientes Duces oportet, non autem præter illos*, doctrina eſt apud Stobæum. Hinc factum, ut Romæ ab ejus Conditore Romulo, quamvis falſâ religione, cum primis urbis fundamentis templa Jovi Statori, ac Feretrio facta, quia per Jovem ſtare ac ferri omnia credidit antiquitas. *Etenim Deus omnium, quæ ſunt & exiſtunt, principium & medium, & finem continet, quæ ſcilicet eſt rerum univerſitas*, bene Pindarus dixit. Quod non ortum a DEO, mortuum credatur, ad egeſtatem deducunt opes ſinè Deo corraſæ, ad infamiam honor ſine Deo partus, ad magna odia ſine DEO vindicata gloria, ad repentinos lapſus ſine DEO obtentæ victoriæ.

*Stob. ſerm. 52.* *Liv. l. 1.* *Alex. ab Alex. l. 1. c. 26.*

Quæ

*Quæ autem res Numine propitio ſuſcipiuntur, eas ſemper Reipubl. melius, feliciusque ceſſuras conſentaneum eſt*: Xenophon. Exemplo ſtabilit, quod verbo edixit. Cambyſen Filium admonebat Cyrus primus Perſarum Monarcha, ut nil publicum, vel privatum ageret, niſi prius ad Deum confugeret: Deus enim præterita, præſentia, futura noſcit, multis ſignis quid agere debeamus oſtendit. Conſtantinus ille Magnus, Carolus haud minus Magnus, Alphonſus II. Ca- *Xenop. de provent. in fin. Xen. Cyropæd. l. 1.*

N. 2.




ſtellæ & Legionis Rex, Stephanus, & Ladislaus Hungariæ capita, Caſimirus Magnus Poloniæ gloria, denique illud Imperatoriæ Coronæ ad Auſtriacos Alpha Rudolffus I. Habspurgiæ Comes unde tam magni? Quia à magno DEO rerum ſuarum ortum duxere. Quia divini Platonis effato ſtetêre: *A Diis immortalibus ſunt nobis agendi capienda principia.* Eduardus VI. Britanniæ Rex pro Symbolo uſus eſt orbe terrarum catenato pendénteq; à cæleſti manu, cum lemmate: Nil ſine DEO. Non poteſt felix actionum ſuarum Omega ſperare, qui non inchoat ab Alpha. *Plato Ep. 6.*

# QUÆSTIO III.

## *De locis, in quibus Meteorologicæ impreſſiones contingunt.*

Concluſio prima. Tria conceptacula ſunt ſeu loca, ubi Meteorologicæ impreſſiones gigni conſuevêre. Prima ſedes communiter ſtatuitur gremium terræ, quæ quidem ex natura ſua ſiccitatem ſummè intenſam, & frigiditatem in excellenti, non tamen in ſummo gradu poſcit. Verùm & alias præterea affectiones, & proprietates nanciſcitur, quarum adminiculo quibuſdam in partibus magis prompta eſt, & idonea ad impreſſiones, in aliis verò minus. Sic aliquibus in locis ſpectatur cavernoſa, in aliis fungoſa, rurſus in aliis ſolida, concreta, uliginoſa, in certis denique ſulphurea, bituminoſa obſervatur. Hinc ubi cavernoſa exiſtit, ibi terræ motus patitur, cùm exhalationes interceptæ, nec prodire valentes,

tes, magno niſu eruptionem moliantur, & terram concutiant. Ubi verò uliginoſa humidaque deprehenditur, ibi in rivulos & fontium ſcaturigines ſe diffundit. Ubi demùm ſulphurea & bituminoſa eſt, fatuos ignes ſuccendit, varia mineralia excoquit, ſubterraneo igne accedente.

Secunda ſedes eſt ſinus aquæ, cujus naturæ proprietas eſt frigus in ſummo, & humor in gradu excellenti. At ut terra, ita & hæc alias affectionum ſubit differentias, quandoquidem hic æſtuat & bullit, illic alget; hic dulcis, illic ſalſa, nitroſa, aluminoſa, ſulphurea, & bituminoſa eſt. Atque ubi v. g. ſulphur vehit, exſpirationem edit viventibus pernicioſam ac lethalem. Sic ex lacu Campaniæ Averno, antequam ſylvis, quibus veſtiebatur, cæſis, aërem feciſſet Agrippa perflabilem, adeo ſpiſſæ exhalationes prodibant, ut advolantibus avibus mors eſſent. Sic pariter in maximis Bajani frictiolis ſcrobs eſt, cujus aqua tam calidos exhalat vapores, ut cerâ liqueſcente extinguantur candelæ; tam lethiferos, ut homines correpti, mortui repente concidant. Ex adverſo ſcribit Camer. cent. 7. Mirab. mem. ad paludem Agnani in Italia montem eſſe, in quo ſpelunca anguſta clementer deorſum vergit, longitudinem pedum octo continens. Solum ejus pede vel manu tentatum reliquo ſentitur calidius. Injectum animal peſtifero examinat halitu; ſenſu & motu privat, ſtatim ſi extraxeris; vicinæ vero confeſtim injectum paludi vitæ (mirum) reſtituitur. Plura referre abſtineo, de quibus agendi erit locus.

Tertia ſedes eſt receptaculum aëris, in quo oriuntur, quæ propriè Meteora nuncupantur. Dividitur autem univerſus aër in tres regiones, veluti Sphæricas, infimam, mediam, ſupremam, quarum una aliam complectatur, ut benè canit Pontanus lib. de Meteor. cap. 18.

*Prima æquè patiens eſt frigoris, atque caloris,*
*Alternasque vices alternâ ſorte rependit,*
*Vere tepens, æſtate calens, eadem horrida brumâ,*
*Proxima ab inflexu radiorum amota malignum*
*Frigus, & algentem latè complexa rigorem,*
*In quem cæruleus paſſim vapor artus inerrat,*
*Unde cadunt imbres, unde & nix concitat alas:*
*Ultima torrenti ſemper ſitit uſta calore*
*Flammarum, conſueta vagos involvere tortus.*

Infima igitur aëris regio eſt, in qua degimus, quæ ſe ſurſum extendit eo uſque, quo radii Solis reflexi pertingunt. Quod intellige de radio reflexo, qui ejus eſt roboris, ut calorem perceptibilem producat. Nam aliàs dubium non eſt, quin radii Solis à terra reflexi etiam altiùs & ad Lunam cæteroſque Planetas pertingant. Si enim Luna, Venus aliique Planetæ, qui opacitate ſuâ terreno corpori ſimiles ſunt, lumen à Sole receptum ad nos uſque reflectunt, ergo & terra idem lumen ad Planetas uſque projicit. Neque dubium eſt, quin aliquis ſi in Luna conſiſteret interdiu, ſpectaret terram inſtar ſideris planè ingentis fulgentem. Ibi ergo infima aëris regio terminatur, ubi radii Solares à terra reflexi, tam debiles ſunt, ut activitate ſuâ calefactivâ haud retardare valeant, quo minùs vapores & exhalationes ad naturale frigus redeuntes, in nubes condenſentur. Hæc Regio aëris ſi humida eſt, rorem; ſi frigida pruinam, ſi ſicca ignem fatuum gignit. Ejus ſuperficies diſtat à terra paſſibus circiter quingentis, hoc eſt, dimidio uno milliari Italico, quia tantundem diſtant à nobis nubes imbres ferentes, quod experimento eorum liquet, qui altos montes conſcendunt.

Media regio aëris eſt, quæ ſe ad ultimam nubium ſuperficiem, ſive terminum, quo nubes & venti valent procedere, extendit. Numerat in profunditate paſſus ter mille quingentos id eſt, tria milliaria Italica cum dimidio. Colligitur hoc ex eo: quod montes trium milliarium cum dimidio altitudinis perpendicularis deprehendantur interdum operti nubibus & nivibus. Unde hæc altiſſima montium cacumina non attingit, teſtante Solino de Olympi vertice, cujus arenoſo pulveri impreſſi characteres vertente anno inviolati perdurant, nec vento, nec imbre confunduntur: quo pertinet illud Lucani: *Nubes excedit Olympus: pacem ſumma tenent.* Addit quoque Divus Auguſtinus lib. 3. de Geneſ. ad lit. cap. 2. perhiberi in vertice Olympi aërem eſſe adeo tenuem, ut neque animal ſuſtinere valeat, neque ipſos homines (ſi qui fortè vel ſacrificandi, vel inſpiciendorum ſyderum cauſa illuc aſcenderint) craſſiori auræ ſpiritu alere poſſit, eoſque ferre ſolitos ſpongias plenas aquâ, unde fugant identidem humorem ad refrigerandum cor, aliter ob ſummam illius aëris tenuitatem & ſiccitatem vivere non poſſint. Cæterùm regio hæc fæcundiſſima Meteororum mater eſt, nivem & pluviam, grandinem & fulmina pro variè coëuntium halituum diverſitate parturit.

Supre-

Suprema tandem aëris regio eſt pacata, nubibus, vaporibus & exhalationibus maxima ex parte vacans. Dico maximâ ex parte, quia reverà eò etiam aliquæ exhalationes pertingunt, ut patebit ex dicendis, unde hæc propria ignium pendentium & Cometarum ſtatio eſt. Attollitur à terra juxta communiorem opinionem milliaribus quinquaginta duobus. Unde cùm plurimi editiſſimi montes ſint, quorum juga nubes non conſcendunt, neceſſe eſt, ut eorum vertex ultra quinquaginta duo milliaria aſſurgat. Hujusmodi eſſe præter dictum Olympum memoratur Caucaſus in Aſia, quem teſtatur Ariſtoteles 1. Meteor c. 3. videri à navigantibus in Mæotidem, id eſt à ſpatio milliarium 560. & tertia parte noctis retineri ab eo ſolis crepuſculum; quod idem de Cæſio monte Plinius refert lib. 15. c. 22. Teneriffam apud Canarias aſſerunt Hiſpani eſſe altitudinis ſexaginta milliarium, perpendiculum verò ejus eſſe, novem milliarium & ſemis. De Pariacaca monte Peruviæ altiſſimo, aliíſque jugis ad totam Peruviam excurrentibus ad 500. leucas mira narrat à Coſta l. 3. c. 9. ità, ut alpes & Pyrenæi glebæ tantùm ſint, ſi cum illis comparentur.

Hæc licèt probabiliter dicta ſint, non videtur tamen, quomodo accuratè determinari poſſit univerſim altitudo regionis aereæ, ad quam exhalationes pro Meteoricis impreſſionibus elevantur; tum quia radii ſolares reflexi in zona torrida ſinè dubio altiùs aſcendunt; tum, quia neque caloris activitas & vis penes diſtantiam à polo æſtimari poteſt, unde etiam nec quicquam determinatè circà aëris regiones penes eandem diſtantiam dici poteſt. Ut enim experientiis patet, in Ruſſia hyems ſolet eſſe acerrima, Edenburgi verò cujus eadem eſt latitudo, ſatis eſt temperata. Et Hollandi ſe in Grœnlandia ad 80. gradum latit. læta paſcua inveniſſe teſtantur. Inſula è contra Charletonii, cujus latitudo eſt 52. grad. præ frigore penè deſerta eſt. Sic & in Moſcovia æſtas ſæpè fervidior eſt, quàm in Anglia; ac teſte à Coſta, multæ ſunt Regiones ſub æquatore: prout q. 2. notavimus, valde temperatæ, in quibus ſæpè montes ſunt nivibus opaci. Quare dubitare haud integrum eſt, quin vapores in una regione ac tempore altiùs aſcendant, quàm in alia regione ac tempore, prout nempe aër ipſe terræ incumbens aliter atque aliter per calorem attenuatus, ac meliùs halituum ſpirationibus fuerit accommodatus. Ex quibus deduces, tres Regiones iſtas non æqualis ubique eſſe menſuræ; nam hyeme latior eſt ſecunda regio, quàm æſtate, quia radius tum directus, tum reflexus imbecillior eſt. Deinde ſub æquatore, ubi Sol perpendiculariter radios ſuos vibrat, multò minor eſt, ſaltem potiori ex parte ſecunda regio aëris, quàm ſub tropicis & polis, quia radii perpendiculares tum reflexi, tum directi, niſi aliud accidens intercurrat, fortiores ſunt radiis obliquis. Communiter ergò dicitur convexam ſuperficiem infimæ regionis, & concavam mediæ, figuram habere propemodùm ovalem, quia ſcilicet propter cauſam allatam magis rareſcunt vapores in zona torrida, & altiùs aſcendunt, quàm in frigidis & temperatis.

Occaſione diviſionis factæ aëris quæres, an elementum hoc ſuapte naturâ humidum ſit, an calidum, aut frigidum, cui quæſito ut ſatisfaciam, ſit

Concluſio Secunda. Totum aeris elementum ſuaptè naturâ humidum eſt in ſummo gradu, calidum in excellenti. Circa hanc tamen affectionem ex accidente variè immutari poteſt. Nam ſuprema regio, ultra quam ejus natura poſtulet, calida eſt, tum quia à vicinò igne æthereo fovetur, tum ob flammas ab igne hoc, ut quidam volunt, nonnunquam decidentes, tum demum, quia cœli & ignis circumvectione, quæ calorem ciet, continenter rapitur. Media è contra aëris regio perfrigida eſt, ità ut periculum ſit, ne milvus, qui tempore Caniculæ à meridie ad veſperum ibi degere ſolet, congelaſcat, ſed ſaltem membra ejus rigeant, ſi diuturniorem moram traxerit. Unde in ipſis alpibus perpetuò tanta nix eſt, ut etiam æſtivis menſibus iter ſit horridum. Sic, qui montium Daldi in agro Veronenſi perreptârunt cacumina, non minùs in illis frigus Julio & Auguſto menſibus experti ſunt, quàm maximâ brumâ ſæviente. Hujus autem frigoris variæ rationes adferri ſolent; primò ob vapores, qui cùm eò perveniunt, ſublatis jam impedimentis, rurſus ad nativum frigus redeunt, aérémque ambientem refrigerant. Secundò, quia aër ità refrigeratus, cùm ex ſuperiori & inferiori parte calido obſideatur, per Antiperiſtaſin algeſcit (conſtat enim in alieno quoque ſubjecto intendi qualitatem circumſtante adversâ, ut calorem in aquis ciſternarum hyemali tempore) Tertiò, quia nec reflexio ſolarium radiorum, nec æſtus ignei ætheris, nec impetus, quo ſuperior pars in orbem verſatur, eò pertingunt. Veriſimile etiam eſt, quòd DEUS initio Mundi frigus regioni huic aliquod indiderit, ut ibidem vapores & exhalationes in nubes & pluviam faciliùs concreſcerent. Infima tandem regio aëris majori ex parte tepet, tum ex vaporibus & exhalationibus, tum à radiis Solis reflexis, tum ab ignibus ſubterraneis. Hyeme tamen in multis regionibus valde riget, ceſſantibus nimirum cauſis illis, & ob vicinitatem terræ & aquæ frigidiſſimæ.

Argues tamen contra dicta de frigore mediæ regionis aëris hoc modo: Aër ſuapte naturâ, ut aſſeruimus, eſt calidus, unde vi ſuâ calefactivâ prohibebit vapores ad nativum frigus redire. Item nihil violentum, ſeu contra naturam, eſt perpetuum, ut docet Philoſophus, ſed nimium

mium frigus adverſatur naturæ aëris, utpote calidæ, quare nequit tantùm frigoris perpetuò ſervare. Accedit, quod aër ille gravior eſſet noſtro, quo nos fruimur, cùm frigus addenſando gravitatem inducat, ex quo ſequeretur, quòd aſſiduâ alternatione ſubſideret ea pars aëris ſuo pondere, & hæc certatim aſcenderet,quod abſurdum eſt. Ad hæc reſponſio eſt, etſi aër naturâ ſuâ ſit calidus, in media tamen regione non tantùm caloris poſſidere,ut impediat, nè ſe halitus in nativi frigoris ſtatum vindicent, præſertim, cùm vapores aliquantulum craſſiores ſint, & ſuâ craſſitie aëris actionem retardent; Cùm item ex ſe plus frigoris requirant, quàm aër caloris; ſiquidem ſunt aqueæ naturæ, cui ſummum frigus debetur; quo fit, ut major ſit efficacitas formæ vaporum ad pariendum in ipſis frigiditatem per naturalem emanationem, quàm aëris ad calefaciendum, fluxúmque illum nativi frigoris inhibendum. Similiter ad ſecundum reſpondetur, cùm quidpiam ità eſt contra privatam unius rei naturam, ut alioquin conſentaneum,neceſſariúmque ſit naturæ univerſali, ſive ordini ac perfectioni univerſi, quo pacto ſe habet frigiditas ad aërem mediæ regionis, id perpetuum eſſe poſſe; nec Ariſtotelem de hujuſcemodi violento intelligi debere. Demum licèt aër mediæ regionis propter frigus aliquid contrahat gravitatis; graviorem tamen infimam ejus eſſe plagam, eò quòd multum habeat concretionis terreæ.

Colliges, quamvis dictum ſit, ſedem propriam Meteororum eſſe in tribus hiſce aëris regionibus, credibile tamen eſſe, dari etiam quaſdam meteoricas impresſiones propriè dictas ſuper omnem aërem, intra ipſúmque cœlum generari. Teſtantur id Aſtronomi, qui fatentur, Cometas ſupra Venerem & Lunam apparuiſſe. Et quis maculas & faculas Solis è Meteoris excludat? eæ tamen in ipſo Sole ſunt, ut alibi dicemus.

## CONCLUSIO POLITICA.
### Politicus per gradus aſcendat.

3. *N. 3.*




*Joh. Stridbeck fecit.*

Eſto

ESto alas tibi binas addiderim, ut evoles; & à DEO exiens ad DEUM transfugias: lentè tamen feſtinandum judico. Id, quod Auguſto Cæſari in proverbio erat: *Feſtina lentè.* Tres meritorum mercedes, ac dignitatum nomina Olympi apex offert: ſed noli, ſtatim contendere ad ſummum. Per gradus eundum eſt, non eluctandum per ſaltum, aut ſinè medio ad apicem connitendum. *Gradatim honores deferantur, & à minoribus ad majora perveniatur.* Ut tubus pyrobolarius momento aſcendit, aſcenſu deficit, in alto rumpitur: ita feſtinata Gloria in caſum eſt præceps. Neque Olympus conſcenditur, niſi pedetentim neque in altiſſima aëris regione, non tranſeundo per medium, conſidetur; ſed *paulatim* ut L. Aurel. commodum dicendi uſum habebat. Fac halitum è terra emiſſitium tumido ambitu cæli apicem petere: fulmen erit, & in ictu oculi diſperibit. Fac vaporem ſine mora in aëris ſubſellia penetrare: in pluvias abibit; quaſi pœnitentiâ ductus repentino ac inconſiderato aſcendendi Conſilio illacrymaretur. *Qui majore initio ſuſcipit, facile ſuccumbit & deſperat: qui verò à minimis incipit, ſemet utique fit aliquando robuſtior, fidentior & melior, quàm ante fuit; ut jam & paria facile ſuperet, & paulo majora tutiùs aggrediatur.* Simplicius. Portando agnum, exinde vitulum eò excrevit Milo Crotoniates, ut & bovem liberâ manu elevandi excelluerit facultate. *Et Remigem ante oportet eſſe, quàm clavum in puppe teneat, ac poſtea proretam agere, atque obſervare aquilones* Ariſtophanes. Aquilo frigidus ventus initio vehemens, poſtea lenior, & violenta principio aura in fine frigeſcit. *Succeſſivè ſit motus* Neque enim ſimultaneo ictu ſepticipitem Hydram excuſſiſſet Hercules, niſi à cunis didiciſſet, primo gloriæ gradui inſiſtere, ſerpentes elidendo, ut ſucceſſivo tempore in Draconem Serpens excrevit, ità ſingillatim ſubſecando venenatas beſtias, aſſuevit congeſtis viribus ſeptem capita unâ clavâglorioſiſſima victoriæ meſſe reſcindere. Laudátque Titum Flavium Veſpaſianum Panegyriſta Suetonius, magis ac magis per ætatis gradus in eo corporis animique dotes exſplenduiſſe. Paulatim in trabes ignium, ac nubium montes elementa excreſcunt: *Per cunabula quædam & elementa virtutis procedente tempore ad gloriæ cumulum pervenitur.* Nocte una fungi naſcuntur, & pereunt: mora temporis Cedri aſſurgunt & lauri; & durant ad æternùm.

*Lib. 11. pr. ff. de muneribus & honoribus.*

*Simplic. in Epictet. l. 8.*

*Ariſtoph. Equit. act. 1. ſcen. 3.*

*Sueton. in vit. c. 3.*

# QUÆSTIO IV.

## *An etiam corpora mixta materiam proximam præbeant Meteoris.*

AD clariorem Meteororum in genere intelligentiam non modicam adfert præſens quæſtio de effluviis & exhalationibus corporum mixtorum. Unde ſit

Concluſio prima. Non terra tantùm & aqua, ſed & alia corpora mixta emittunt & exſpirant quædam effluvia tenuiſſima, quæ aliud non ſunt, quàm corpuſcula quædam minima inſtar atomorum. Probari hoc poteſt multiplici ratione. Et inprimis conſtat experientiâ, corpora omnia odoriferam quandam exhalationem diffundere plus minúsve pro diverſa temperamenti qualitate. In quam rem expertus narrat Digbæus, Angliæ Cancellarius, ex littore quodam Hiſpaniæ odorem roris marini in proximis montibus copioſisſimè provenientis diffundi ad trecenta milliaria per mare, quem proinde memoratus Author aliquando præſenſit pluribus diebus, antequam navis, quâ vehebatur, ad littus appelleret. Quin patet univerſaliter, quòd venti ſemper redoleant corpora illa, quæ prætervehuntur, ſic ex locis odore fragrantibus perflant venti odorati, ex ſanis ſani, ex noxiis noxii, ex ſulphureis ſulphurei. Sic, ubi roſarum eſt copia, totus circa circum aër repletur odore roſarum; ubi vitiſeri colles florent, odore gratisſimo totam viciniam perfundunt. Narrat rurſus Digbæus in libello de pulvere Sympatico: Londini in Anglia, quia in tota ac vaſta urbe focô utuntur è carbonibus foſſilibus, totum aërem volatili ſale & fuligine repleri; unde lecti, aulæa, & quævis utenſilia, quantumvis antea nitida ac ſplendida, tempore breviſſimo obfuſcantur; quin & cum aëre dicta fuligo intra clauſa conclavia, intráque ipſas ciſtas ſeſe inſinuat, & omnia velut farinâ nigrâ obducit, lintea, ac papyros inficit, & quod mirabiliùs arborum flores in campis. Eadem de cauſa, cùm urbis incolæ aërem iſtum ad refrigerandos pulmones attrahant, phlegmata exſpuunt planè nigra ac fuliginosa inflammatione ac exulceratione pulmonum infeſtantur, ac plurimi pnevmoniaci ac phthiſici moriuntur. Secundò deducitur hoc ex eo, quia omnia corpora ſuo primævo vigore tandem deſtituuntur, & quaſi evaporant, & macreſcunt; ergò ſignum eſt, quòd continua patiantur effluvia. Sic arbores evaneſcente ſucco redduntur ſteriles, & tandem in cariem reſolvuntur. Sic pariter lapides, vitra, gemmæ vetuſtate tandem fatiſcunt, & arroſa conſumuntur; quia nempe licèt modico conſtent humido, ſpirant tamen & ita partes ſubtiliores à craſſioribus ſeparatæ has ſibi minùs cohærentes deſtituunt.

Tertiò omnia penè corpora etiam duriſſima igni admota reſolvuntur ex parte ſaltem in vapores, quod ex eo deprehenditur, ut obſervatum eſt in ipſo auro, quamvis communiter appelletur incorruptibile. Ab humanis verò corporibus pro valetudinis conſtitutione nunc ſanas, nunc ægras emitti exhalationes plusquam certum eſt. Ægrorum enim effluvia propagata per halitus contagio ſatis manifeſtat. De ſanis verò teſtatur Verulamius, dum quæſito, cur Pædagogi plerumque feros numerent annos, reſpondet, ideò diu ſanos, vegetosque vivere, quia continuo cum juvenibus conſortio emanantes ab his ſpiritus magis ſanos, vitalésque trahunt. Manet igitur verum, aërem etiam corporum mixtorum exhalationibus, ſive corpuſculis iſtis minimis ceu atomis ſcatere, uno quidem loco his, alio aliis pro rerum diverſitate, è quibus oriuntur.

Concluſio ſecunda. Dicta hæc corpuſcula differentis inter ſe ſunt naturæ. Ratio ex eo deducitur, quòd pleráque eſſentiali formâ non differant à rebus, quarum ſunt corpuſcula, non ſecus ac vapores atque exhalationes terreæ & aqueæ non differunt à terra & aqua. Nec refert, quòd in aëre inter ſe permiſceantur; miſtio enim non facit (ſaltem non ſemper) ut propriam naturam exuant; ſicut miſtio ramentorum auri, argenti, ferri, non mutat eorum naturam; nec in iſtis diſtillatarum è roſis, cicoria, fæce vini ac ſimilibus rebus, efficit, ut in ſe invicem mutentur, & omnes unam induant naturam. Ex quo infertur, in aëre non ſolùm eſſe effluvia humida & ſicca, vapores ſcilicet & exhalationes, quæ ſint aqua & terra, ſed tot eſſe illorum ſpecies ſimul permixtas atque confuſas, quot ſunt ſpecies rerum, è quibus vi caloris, aut ignis, aut aliâ ſimili actione reſolvuntur. Hinc communiter dicitur à ſenſatioribus Philoſophis, aërem repletum ſemper eſſe *Panſpermia*, ſeu ſeminali virtute rerum.

Colliges hinc primò. Quarumvis rerum effluvia ſeu corpuſcula, quæ è rebus promanant, & in actum evolant, eſſe Meteororum materiam proximam, uti enim aquæ & terræ, ità & quarumvis aliarum rerum effluvia in nubes, in pluvias, in fulmina, & in alia Meteora conflantur.

Colliges tamen ſecundò, nos per hoc non recedere à ſententia Ariſtotelis ſtatuentis, duas tantùm communes ſpecies exſpirationum vaporem nempe & exhalationem, quia reverà ad hæc duo effluviorum ſumma genera reſpectu inferiorum, omnia reliqua effluvia revocari poſſunt, quidquid enim in altum aſcendit, aut humidum ſeu aqueum eſt, aut ſiccum ſeu ſpiritoſum.

Concluſio tertia. Exhalationum harum non una eadémque proprietas eſt; quædam enim transverſim circùmquaque diſtenduntur, ut videre eſt in exhalatione thuris, videlicet, cùm effluvia craſſiora ſint, æquali æquilibrantur ab aëre. Nonnullæ determinantur quandoque ad unam viam, vel ex motu aëris, vel ipſius corporis exhalantis. Hinc ratio redditur, cur canis in bivio conſtitutus viam dignoſcat, per quam herus perrexit; nimirùm exhalatio relicta ab heri corpore, & per tractum viæ continuatæ indicium præbet. Aliæ exhalationes ſunt, quæ corporibus extraneis ipſo contactu adhæreſcunt, ſic qui inter odores diu verſati ſunt, dum abeunt, ſecum aſportant odoriferos quosdam halitus. Nonnulla effluvia cum certis aliis facilè commiſcentur, & ſubeunt, pervadúntque totum tractum alterius effluvii, ſecus verò cum quibusdam aliis. Exemplum exhibent liquores; aqua enim facilè miſcetur cum vino, non item cum oleo, ídque non ſolùm ex gravitate, ſed ex diſpoſitione ipſâ particularum, nam aqua, quæ facilè ſeſe inſinuat, per tubum plenum vino; non ſubit in tubum oleo plenum.

Ex his deducitur primò, in hanc mixtionem ſpirituum facilè referri ut in cauſam, effectùs nonnullos mirabiles, itémque naturales, ex quibus primo aſpectu videretur actio in diſtans confirmari.

Deducitur ſecundò, Medicamentorum vires, quâ irritatione corpus ſenſitivum afficiunt per idonea particularum & qualitatum effluvia, ſatis explicari, nectuntur enim particulæ medicamenti cum particulis illius corporis, inde motus diverſi determinantur, efferveſcentiæ, fermentationes &c.

Deducitur tertio. Solo Medicamentorum odore vel tactu corpora quandoque affici noxia vel proficua immutatione; nempe effluvii odorati particulæ in nervos incurrunt, & ope Spirituum motus illos determinant, quos inducerent Medicamenta ipſa, ſi vel applicata vel aſſumpta non modo olfacta fuiſſent; quamvis enim minima ſint, & ſubtiliſſima odora corpuſcula effluentia, cùm innumerabilia tamen ſint, effectus ſenſibiles eâdem ratione procurare poſſunt, qua valent minutiſſima elateria pulveris nitri, & ſimilium mixtorum.

Deducitur Quarto. Quas in gemmis, & foſſilibus ineſſe conſtat qualitates occultas & ſpecificas, per Analogiam magnetis & electri in effluviis conſiſtere ſatis commodè proponitur; nec refert opponere periculum Diminutionis gemmarum & ſimilium ob continua effluvia, facilè enim intelligitur inſenſibilem hujusmodi futuram diminutionem etiam diutiſſimo tempore. ut apertè deprehenditur in Chirothecis odoratis, quæ licèt diutius exhalaverint odorem, nec pondere tamen, neç mole ſenſibiliter decreſcunt. Quamquam proceſſu temporis omnia hujus-

hujusmodi corpora propter effluvia pondere decreſcant, ut contingit in ſuccino, camphora, & aromatis omnibus.

Deducitur Quinto. Venena quoque activitatem ſuam noxiam exerunt effluviis particularum inſenſibilium, quæ cùm frigidæ ſint, aut alterius noxiæ configurationis; texturam lædunt corporis viventis; inde determinant violentam fermentationem, aut naturalium partium animalium motum impediunt; hinc motus ordinatus ſanguinis perturbatur ex veneni mixtura, quandoque congelatur in venis aut ſaltem incraſſatur. Unde ex morſu viperæ animal intumeſcit, nec longâ morâ opus eſt, ut venenoſa effluvia vim exerant ſuam; quemadmodum enim liquores nonnulli ſatis citò aceſcunt ex fermentatione, ità vitiatur ſanguis.

Deducitur Sexto. Quandoquidem tum venena, tum alexipharmaca venenis oppoſita qualitates occultas ſuas fermentatione potisſimùm expediunt; conſultum eſt diligenter explicare vim fermenti; quo videlicet pacto modica fermenti doſis maſſam ſatis grandem afficiat & immutet. Ad quod ſequens analogia præmittitur explicationis gratia: ſit cumulus minutisſimorum globorum ſatis elevatus; ex eo, ſi duos vel tres globulos inferiores ſubducas, locoque ſuo amoveas, reliquos omnes ſuperiores moveri, & agitari neceſſe eſt, ſubductis illis; non aliter vis fermenti, licet non in omnes omninò partes & particulas maſſæ fermentandæ agendo pertingat, agit tamen in aliquas; quibus immutatis & agitatis tollitur plexus, & diſpoſitio cæterarum partium, quæ proinde omnes fermentantur. Exemplum hujusmodi efficaciæ præbent dolia & vaſa, quæ mucorem contaxerunt; etenim liquores infuſi in illa vaſa ſtatim inficiuntur & extrahunt, ex æquo nempe ſecundùm omnes partes qualitatem & vitium mucoris, nempe totus omnino liquor, & non ſolus qui proximè contingit dolii latera, fermentatur & inficitur. Atque ex hoc ipſo rationem facilè reddes, cur peſtis contagione propagetur, liquidus enim aër à corpore peſtilenti fermentatur etiam ſecundùm ſui remotiores partes.

Unum te ad calcem quæſtionis hujus monitum volo, ne, dum occultas qualitates, diſpoſitiones & exhalationis particulas voco, me cum Syſtemate Epicureo, Carteſiano vel Chymico ſentire, & atomos ad mentem illorum admittere exiſtimes; nomine enim particularum in Syſtemate Peripatetico rectisſimè intelliguntur diſpoſitiones, & accidentia, & affectiones prævia, quæ debent eſſe in Materia ad hoc ut per illas, & poſt illas educatur & reſultet in eodem quidem inſtanti temporis, ſed in poſteriori natura forma ſubſtantialis, materialis, Peripartetica. Subjungo Exemplum, cùm ex ligno generatur ignis, peripateticiſſimè dicetur, paticulas minutiſſimas (quæ non ſunt atomi Epicureæ) ipſius ligni calore vehementer agitari, pluréſque ex illis ſeparatas avolare plures ex ipſo igne effluere, & accedere ad lignum, & cum hujus reliquis particulis figurâ & plexu convenienti colligari, ídque per humorem quendam magis viſcoſum reſiduum in ligno poſt abſceſſum humoris aquei; atque ità cùm omnes iſtæ diſpoſitiones jam adfuerint, primo incipere formam quandam accidentalem eſſe in ligno, quæ dicitur calor in ſummo, quæ & diſpoſitiones prævias exigit ante ſe, & ipſa cum illis eſt diſpoſitio ad ulteriorem formam, hoc eſt, ad formam, quæ reſultat, & educitur, cùm dicitur ignis generatus. Sic diſcurre de cæteris omnibus corporis naturalis phænomenis. Unde prædictos terminos claritatis & explicationis gratia duntaxat adhibemus, maximè cùm Phyſici ſit potisſimùm in ipſis diſpoſitionibus inveſtigandis & examinandis operam collocare, eas enim tantummodo, non tamen ſine lucubratione & experimento ex toto intelligere poſſumus in rebus corporeis.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Fama facinorum Filia.


IMmortalem te cupio, Politice, ut poſt funera vivas. Longam prolium ſeriem, ac nepotum Porphyrianam poſt ſe relinquunt parentes, ut in filiis vivant. Tibi ut rectè factorum progeniem in lucem edas, ſuadeo: ità enim in animi tui partubus, & quaſi prolibus vives immortalis. Si virtutum decorem imprimis curaveris, famæ bonæ odor è veſtigio aderit: hæc enim illius pediſſequa eſt. Ut lilia & roſæ non ſuo ſolùm ornatæ ſunt decore, ſed & odoriferos Theſauros in auras ablegant: at mixta hæc ſublunaria corpora ſuam in aërem transmittunt virtutem, unde cæleſtia phænomena exſurgunt, quæ lucent & ſplendent. Ità tu benefactorum memoriam poſteritati transſcribas, ut ſemper benè oleas, ut ſemper benè luceas, ac virtutum decore gloriæ odorem concilies. Non eſt vanus jactantiæ fumus, famam quærere, ſed *fax mentis honeſtæ*, ſive lux, qua alios illuminas, ut ex te ipſi diſcant benè agere, tuorumque trahantur facinorum odore. *Unum inſatiabiliter parandum, proſpera ſui memoria: nam contemptu famæ contemnuntur virtutes*, præclarum hoc erat Tiberii Cæſaris edictum. Illi glorioſo heroicarum virtutum *Tacit. l. 4. annal.*

 Belli-

Belii duci Themiſtocli, inquietas noctes agenti, quid Morpheum excuſſit? *Me*, inquiebat; *trophæa Milthiadis è ſomno excitant.* Hæc enim memoriæ ab hiſtoricis transſcripta, in ſtatuis expreſsè cernebat: eadem lucendi cupiditas Illum excitabat, dicere ſolitum, *nullam ei vocem amœniorem, quàm quæ in laudem rerum à ſe geſtarum canitur.* Boni nominis fama pretium non vanum eſt, ſunt enim virtutes ejus peculium. Primum eſt laudem meruiſſe; Conſectaneum eſt gloriæ tubâ poſteritati proclamari, ut laudabilia ſectentur. Quemadmodum ignes miſſiles, mox ut è manu dimittuntur, aſtrorum imitantur ſplendorem: ità politicus fervor gloriæ fa-

*Val. Max l. 8.*

4. N. 4.




cem manuum operibus accendit, quâ alii trahuntur in ſequelam. Hâc luce, hoc ſtimulo, hoc philtro agebatur Domitius Corbulo, quem Tacitus orbi commendat: Miſſus ad Armenios regendos egregia mox facinora aggreſſus eſt, ut famæ inſerviret, quæ in novis cæptis validiſſima eſt. Quid pulchriùs? unico momento vitam volatilem in æternam commutas, poſtquam vivere deſiiſti. Qui moriens pro vita famam ſubſtituit, vivere non deſtitit, quia vivit in fama. Non videbatur Tacito parum vixiſſe Agricola, *quamquam in medio ſpatio integræ ætatis ereptus, nam quantum ad gloriam, longiſſimum ævum peregerat.* Honeſta gloriæ cupido omnem à vitio cavet maculam: virtutes Politici ſtatuæ ſunt, rectè facta ſunt trophæa poſthuma, à morte fama & ipſum bonum fuiſſe loquitur, & alios bonos facit. *Argentum Communis eſt omnium poſſeſſio, at honeſtum & ex eo laus & gloria Deorum eſt, aut eorum, qui à Diis proximi cenſentur.* Polybius. Id tamen in apice intentionis ſtet, ut non tam odorem quæras, quàm decorem. Æmulus Demetrii Phalerei, cui ob præclarè geſta trecentæ ſtatuæ ſunt erectæ, ſed ab invidis dejectæ, illo dicente: *Statuas evertere invidi quidem potuerunt, virtutes autem, quibus præmio imagines illæ ſteterunt, nunquam abolebunt.* Benè fac, & perenna.

*Tacit. in vit.*

*Franciſc. Patrit. ex Plat.*

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

## *An omnia Meteora cauſas habeant naturales, & an ex illis quædam præominari poſſint, quámque cauſam finalem ſortiantur.*

Conclusio prima. Quamvis pleráque, quæ in aëre vel alibi interdum cernuntur, & prodigioſa putantur, phyſicas & naturales habeant cauſas, ut cometæ; ſunt tamen quædam, quæ ab influxu cauſarum naturalium minimè emanant, ut ſunt conflictus exercituum in ſublimi ſpectabiles, aliaque iis ſimilia, quæ activitate corporum cœleſtium efformari neutiquam valent. Itaque hæc vel à prima cauſa rectrice & Moderatrice univerſæ Naturæ oriuntur, vel virtute Angelorum; aut etiam operâ dæmonum perficiuntur, ſive per ſe, ſive per magos & maleficos, DEI tamen permiſſu. Ob quam cauſam maligni Spiritus à Gentium Doctore appellantur *aëreæ poteſtates & principes aëris hujus.* Hinc grandinem, qua Ægyptii puniti ſunt, dilucidè declarat Pſaltes Pſal. 77. miſſam fuiſſe *per angelos malos.* Quatuor etiam ſpiritus, quos intuitus S. Joannes Apocal. 7. *ſtantes ſupra quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem,* ut ſic maximis damnis mortales afficerent, potior SS. PP. & Interpretum opinio exiſtimat fuiſſe angelos malos. Conſtat præterea etiam ex innumeris hiſtoriis & exemplis tum antiquis, tum recentibus id confirmantibus. Quis neſcit Ericum Gothorum Regem ventos pro libitu ſolâ pilei rotatione quaſi ſigno dato evocâſſe. Memorat Apulejus l.1. de aſino aureo; cauponi cuidam uxorem fuiſſe, quæ, ut inquit ille, *divini potens cœlum deponere, & terram ſuſpendere, manes ſublimare, ſydera extinguere novit.* De Lappis, Finnis & Biarmis populis Author eſt Olaus Magnus l. 1. c. 1. eos ciere ventos, & navigantibus, quos vellent, propitios vendere. Teſtis quoque eſt Alexander Gregorinus tres Tartarorum hordas, ſeu ditiones eam artem calIere, ut caligines, aliásque cœli tempeſtates frequenter excitare, & ſic hoſtes ſuos profligare noverint, plura ſi cupis, vide Olaum Magnum l. 3. c. 16. Delrium lib. 2. diſq. mag. Bodinum l. 2. c. 8. & Schott. Phyſ. Curios. l. 1. c. 34.

Concluſio Secuuda. Utrumque aëreorum Spectaculorum genus interdum aut inſignem aliquem eventum, qui jam exſtet, exſtiteritve, declarat, aut impendentia mortalium generi mala ac nonnunquam futura bona vaticinatur, ut ſuo loco exponens. Hinc M. Tullius 2. de Nat. Deor. refert ex Cleanthe, unam è quatuor cauſis, per quas Numinis divini notiones hominum mentibus inditæ ſunt, eſſe prodiga Cœleſtia, quæ interdum magnarum calamitatum ſunt prænuntiæ.

Notandum verò præſignificationem hanc bifariam intelligi poſſe, uno modo quia phænomina v. g. ignea indigitant abundantiam exhalationis calidæ & ſiccæ, quæ non modò aëream regionem exſiccat, ſed humana quoque corpora pervadit, bilem accendit, & morbos parit, peculiariter in iis, quibus teneriorem & delicatiorem corporis complexionem Natura attribuit. Altero modo præſignificare quid poſſunt, dum talia cœleſtia prodigia, uti ſunt Cometæ, ex divinæ providentiæ ordinatione aſſumuntur ad prænuntianda impendentia mortalibus plerúmque mala. Ubi rurſus notandum, mira hæc phænomina ordinariè tamen fieri concurſu cauſarum naturalium, quas provida Numinis Sapientia prædefinit & diſponit, ut certo tempore ad hos effectus, puta ad accendendos cometas concurrant. Unde D. Damaſcenus lib. 2. fidei Orthod. c. 7. *Exiſtunt,* inquit, *plerumque cometæ ſummorum Principum extremum vitæ diem portendentes, qui Dei imperio certis temporibus conflantur, rursúsque dilabuntur.*

Adverte tamen ſigna hæc cœleſtia quandoque prodromos quoque bonorum eſſe, ut ex ſuperiorum temporum annalibus planum eſt. Tale fuit (ut cætera omittam, de quibus alibi dicendi locus erit) quod in glorioſa Salvatoris noſtri natali luce contigiſſe memorat D. Antoninus 1. part. in ſuis Chronicis in hunc modum: Cùm Senatus Romanus Auguſtum pro Deo colere decreviſſet, evocata in Cameram Sibylla eſt, ut, an Auguſto aliquis ſucceſſurus eſſet, reſponderet, quæ circulum aureum in ſublimi fulgentem, cujus media Virgo erat, puerum complexa, Imperatori oſtendit, auditáque confeſtim vox fuit: *Hæc eſt ara cœli.* Tunc Imperatorem Sibylla monuit, ut puerum illum adoraret; atque inde prædicta Camera Ara cœli dicta eſt. Unde Mantuanus:

*Fulgentem nitido monſtravit in æthere circum,*
*Iridémque incluſam parva cum prole parentem;*
*Atque manum tendens, vultúque ad ſydera verſo,*
*Ille Puer DEUS eſt, inquit.*

Con-

Concluſio tertia. Cùm omnia ad certos in natura fines ordinata ſint, cauſa finalis Meteororum vel Phyſica eſt, vel Theologica? Illa eſt bonum univerſi regimen, mutua elementorum contemperatio, aëris repurgatio, & terræ fæcundatio. Sic imbres, ros, nubes ad hortos, prata, ad agros humectandos, ne Solis æſtu exuſta, pariter ſpes in herba exuratur, deſerviunt. Similiter ventorum flamina à noxiis humoribus aërem purgant; ipſi etiam Cometæ, exhalationes Telluris peſtiferas ſuis facibus expiant, ſicque meteora bono publico tota impenduntur ex cauſa finali phyſica. Altera cauſa finalis, ut dixi, Theologica eſt, nempè DEI cognitio, amor, honor, atque etiam impiorum terror, ut ſi Cometam divina Nemeſis velut fatalem bellorum, aut peſtis nuntium ableget, aliáque parelia ad terrendos impios accendat; ut benè obſervat D. Damaſcenus Medit. 2. lib. ſuæ parænefis c. 1. inquiens: *Loquitur cum hominibus DEUS non modò humanâ linguâ per ſacros vates, ut à peccatis avocentur, & reſipiſcant; ſed nonnunquam ipſis elementis in formas & imagines diverſas ad eorundem terrorem compoſitis.* Hic finis præternaturalis Meteoris omninò extrinſecus eſt, unde quamdiu is ignotus eſt, tamdiu à viro ſapiente omnis metus abeſſe debet. Atque his unà & finem Diſſertationi primæ de Meteoris in genere imponimus, deinceps acturi de eorum obſervationibus in ſpeçie.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Præſit, ut proſit Politicus.




VIdes obfuſcari cœlum, mugire tonitrua, inundare excuſſos cælo imbres, eripi oculis Lunam & ſtellas, volare Dracones, excitari incendia, minari cometas, coruſcare fulgura, virgas & ſagittas, lanceas & mucrones extendi, ac quaſi totum in te cælum rueret, ruptis cataractis nubes in pluvias frangi. Ne terrearis Politice, amantis hæc cæli baſia ſunt;

Lu-

*Lucent, ut proſint*: Scopæ cæli ſunt, quæ aerem purgant: terram fæcundant: elevantur, ut nos ſublevent; in noſtram conſpirant utilitatem. Ex cælo diſce, quomodo luceas, ut proſis. Quid Diviniùs? Audi Romanam eloquentiam pro M. Marcello loquentem: *Homines nullà re propius accedunt ad DEUM, quam ſalutem hominibus dando.* Prima ſubſellia honoris tenere, velut ſidus terrenum fulgere, imminere capitibus reliquorum, dictare jura & leges, Sceptrum ſimul ac virgas tenere famoſum eſt: at fumoſum, ſi non in communem utilitatem impendas, ut aut purges à fæcibus rempubl. aut purgatam in flore conſerves. Laudem Auguſti Cæſaris ex Comico Poeta percipere libeat: *Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros. Sic ille patriæ Primus Auguſtus Parens, complexus aſtra eſt, colitur & templis DEus.* Quid de Pericle dicam illo Fulminatore eloquentiſſimo? Tantoperè ſuos diligebat, tantóque honore proſequebatur, ut verba ad populum facturus ſubinde optaret, ut nullum ſibi verbum excideret, quod utilitati ſuorum repugnaret. Quid de Veſpaſiano Romanorum Monarcha dicam? *Per totum Imperii tempus*, ait de eo Tranquillus, *nihil habuit antiquiùs, quàm propè afflictam nutantemque Rempubl. ſtabilire primò, deinde ornare.* Hoc equidem eſt lucere, & prodeſſe, in id unum contendere, ut Reipubl. benè ſit. Monentem ſiſto Laurentium Medicum, Filio Petro cum Principatûs honore id oneris imponentem: Cives, mi Petre, ſucceſſorem te meum procul dubio agnoſcent, neque vereor, ut non eadem authoritate futurus ſis in Repub. quâ nos ipſi. Sed quoniam Civitas omnis corpus eſt multorum capitum, memento in ejusmodi varietatibus magis unverſitatis & communis boni rationem habere. Eſt nimirùm conformis Ferdinandi II. monito ad Conſiliarios: *Id unum ſtatuant, quòd Reipubl. bono cederet.*

*Cicero pro Marc. Marcell.* — *Sen. in Octavia.* — *Ælian. l. 4. hiſtor.* — *Tranquill. c. 8.* — *Cæſar Poſſevin. in Annal. Ital.*

# DISSERTATIO II.

## De Meteorico Corpore ignito.

QUoniam Meteora ignita, ſeu ut alii vocant impreſſiones ignitæ, cæteris omnibus illuſtriora ſunt, meritò ea primo loco, ac de his etiam prius in communi pertractanda ſuſcepimus. Magna eorum exiſtit varietas, præcipua tamen hæc fermè recenſentur. Primo flamma, capræ ſaltantes, lancea, ſydera diſcurentia, ſtellæ cadentes, ignis perpendicularis, ignis fatuus, ignis lambens, draco volans, Caſtor & Pollux, Helena. Secundò fulgura & fulmina. Tertiò Cometæ.

Diviſimus porrò materiam hanc ob ſuam amplitudinem in tres ſubſequentes diſſertationes, quarum præſens de iis Meteoris ignitis duntaxat aget, quæ primo loco adduximus, de reliquis in binis ſubſequentibus acturi. Sit igitur.

## QUÆSTIO I.

### *De Meteoris ignitis in communi?*

COncluſio prima: duplex impreſſionum ignitarum materia eſt, una remota, altera proxima; remota eſt Corpus terreſtre: proxima eſt exhalatio calida, & coagulosa ſeu craſſa, ſeu ut alii explicant, pinguis, reſinoſa nitro Sulphurea, quæ ex terra, ſulphure, bitumine, plantis, & animalibus, aliisque mixtis extrahitur. Ratio primi eſt, quia debet eſſe materia facilè accenſibilis, ergo calida. Ratio ſecundi eſt, quia hoc dicendo, clare explicatur diſpoſitio apta horum Meteororum ad concipiendum ignem, ex quorum defectu cineres licèt calidi ſint & ſicci, non aduruntur, ubi extra oleum ob materiæ pinguedinem accenditur.

Concluſio Secunda. Forma horum Meteororum ſubſtantialis eſt forma ignis in iis nempe, quæ flammam concipiunt. Sunt enim impresſiones quædam igneæ: quæ ſolùm ſplendorem & lumen ignis obtinent, quibus ea aſſignanda erit forma, quæ cuique earum ex ſua natura debetur. Accidentales formæ ſunt magnitudo, color, figura, motus, locus, duratio, per quæ accidentaliter inter ſe differunt. Nam ſunt quædam Meteoricæ concretiones amplæ, aliæ exiguæ, aliæ rotundæ, aliæ quadratæ, aliæ oblongæ, aliæ aliâ figurâ. Sæpè verò quæ anguloſæ ſunt, procul aſpicientibus longæ videntur propter loci intercapedinem, quæ impedit, nè angulorum eminentiæ internoſcantur; ſicut accidit iis, qui quadratam turrim procul intuen-

tur, quibus non quadrata, ſed rotunda apparet. Similiter inter ſe quædam differunt colore, nam aliquæ videntur obſcuræ & fumidæ ob denſitatem, aliæ lucentes & candidæ ob raritatem. Pariter non omnibus idem eſt motus, quia quædam in orbem eunt raptu cœli & ignis, quædam ſurſum feruntur, qui eſt naturalis earum motus, quædam ad latus declinant, propter occurſum corporum ſuperiorum, aliásve cauſas, quæ rectam inhibent lationem. Item quædam lento gradu pergunt, ut nonnulli Cometæ, quædam magnâ rapiditate, ut ſydera cadentia. Ubi adverte ex Ariſt. lib.4.c 1. ideò quorundam ignium trajectiones videri celeritate ſuâ Lunæ & Solis curſum longo intervallo vincere, cùm tamen rem aliter habere certâ ratione conſtet, quia nobis multò propinquiores ſunt, quàm luna & ſol. Diverſum etiam habent locum, quia aliæ in ſupremo aëris tractu, aliæ in medio, aliæ in infimo, aliæ etiam in terræ viſceribus naſcuntur. Nam, quòd non niſi infra lunam communiter generentur (dixi communiter, quia ex multorum ſententia valde probabile eſt, Cometas etiam ſupra lunam apparuiſſe) probat Ariſtoteles loco citato ex motus pernicitate, quæ in eis viſitur, ſi enim in ipſo corpore cœleſti volitarent, multò ſegnior nobis appareret earum motus, ut in ſyderum converſione liquet. Idem ediſſerit Seneca lib.1. Nat.quæſt. c.1. ajens: *Stultum eſſe exiſtimare, veras ſtellas decidere, aut tranſilire, aut aliquid illis auferri & abradi, quia ſi hoc fuiſſet, jam de fuiſſent.* Nulla enim nox eſt, quâ non plurimæ ire, & in diverſum videantur abduci: Adde, quòd ſi ipſæ dictæ mutationes cœleſtibus corporibus acciderent, ſequeretur, non eſſe illa interitûs expertia, cujus oppoſitum demonſtratur ab Ariſtot. lib.1. de cœlo. c.3. Denique duratione differunt, quia quædam non patiuntur moram, ſed transvolant, & evaneſcunt paulò poſt, aliæ diuturnæ ſunt; quædam noctu fiunt; aliæ interdiu; etſi rarò de die appareant, quemadmodum ſtellæ perpetuæ ſunt, & tamen interdiu latent, quia Solis fulgore obumbrantur, ſic & has abſcondit diuturni luminis claritas. Quod ſi aliquando tanta vis emicuit, ut & adverſus diem vendicare ſuum fulgorem poſſint, apparent.

Concluſio tertia. Cauſa efficiens remota harum ignearum impreſſionum ſolent eſſe, ut ſuperius annotavimus tum ignes ſubterranei, ſulphura, ſol, & reliqua corpora cœleſtia, cauſa verò propinquior & inſtrumentaria eſt eorum condenſatio, eò quòd una pars calida magis uniatur alteri, & itâ mutuò adeò caleſiunt, ut ignem pariant, vel eſt Antiperiſtaſis frigoris ambientis, calor enim obſeſſus in intima ſe aggerat, partes conſtipat, & tandem igneſcit. Vel eſt calor aſtrorum, puta Solis, quem ignem poſſe accendere, liquidò conſtat. Vel eſt demum colliſio & attritus partium exhalationis inter ſe accedentibus præſertim & ſufflantibus contrariis ventis, quibus exhalationis materia hinc inde agitata irritatur, ut effervеſcentibus incluſis in ea ſpiritibus tandem flammam concipiat.

Concluſio quarta. Cauſa finalis eſt inprimis conſumptio fumoſarum exſpirationum ad viventium incolumitatem & ſalutem, verè enim hujusmodi anhelitus noxii ſunt, quibus idcircò purgari aërem oporteat. Secundò naturæ æqualitas, quia cùm ignis regnante frigore per hyemem diminutus ſit, & inferiora creverint elementa, conatur natura ad æqualitatem omnia reducere plures igneas concretiones generando. Tertiò præſignificatio aliquorum eventuum tam triſtium, quàm lætorum ex divino inſtituto; ſic prænuntius felicitatis extitit cometa ille cum geminis tubis, qui viſus in ortu Alexandri Magni, uti & cruces igneæ, quæ Conſtantino Cæſari apparuêre. Plura vide apud Auguſt. lib.2. de Civit. Dei cap.23. & lib.3. c.1. Plinium lib.2. naturalis Hiſt. c.25. Tertullian. in lib. ad Scapulam c.3. Suetoniam in vita C. Cæſaris cap.88. Livium lib.3. Decad.1. Joſephum de bello Jud. lib.7.c.12. Niceph. l.3. hiſt.Eccl. c.4.

Ex his obſervationibus & generalibus principiis Meteorognomicis haud ægrè ſequentia huic materiæ propinqua reſolves & primo: cur marmor, æs, ferrum, etſi vehementer incaleſcant, haud tamen flammam concipiant, nempe, quia nimium terræ pondus, quod illis inhæret, cùm rarefieri & ſe extenuare non poſſit, obſiſtit, ne partes igneæ conſpirent.

Reſolves ſecundò, cur attritione chalybis è ſilice ignis eliciatur, quia nempe factâ hâc colliſione multæ partes tam humidæ, quàm igneæ excitantur, hinc illis exſpirantibus, hæ uniuntur in ſcintillas.

Reſolves tertiò. Cur è pilis felium, dum quis eos ex adverſo fricat, ſcintillæ non raro emicent; ſcilicet, quia inter filamina pellis felinæ multæ partes potentiâ igneæ latent, quæ affrictu excuſſæ, filamenta pellis, unionem prius impedientia, ſupergreſſæ colliguntur & ſcintillant luce quidem duntaxat noctu viſibili ob radiorum tenuitatem.

Reſolves quarto. Cur fœnum humidum areæ importarum; & in cumulum congeſtum ſæpe ſe ipſo in flammam eruperit; ratio in promptu eſt, quia humor ille per calorem, quem intra ſe fovet fœnum, rarefit, & per poros illius, quibus abundat, evolat, quo abeunte tanquam fracto obſtaculo, partes relictæ igneæ ſeſe congregant, & flammâ fœnum corripiunt.

Reſolves quinto. Cur currûs multùm onerati, utì & molæ rotæ ſuccendantur? cauſam ex dictis colliges, attritionem eſſe, quia compreſſus & attritus aër attenuatur & rarefit, rarefactus incaleſcit, & in materiam igneam degenerat. Ita ignem excitare edocti inde, dum ligna

gna motu celerrimo confricantes & atterentes inflammârunt. Pariter Apuli lignum funiculis circumvolvere ſoliti, quibus velociter retractis ignem elicuerunt.

Reſolves demùm ſextò. Cur triticum ſimileſque agrorum fructus, dum adhuc madido horreo inferuntur, nonnunquam ſuccendantur; rationem dabis ex Antiperiſtaſi, quia nempè tritici partes calidæ à frigore extrinſeco obſeſſæ fortiùs agunt; humorem per ſumos horreis frequentes expellunt, quibus expulſis ſibi uniuntur, & flammam excitant. Eadem de cauſa calx aquis perfuſa inardeſcit, quia partes calidæ, vi aquæ leniter affuſæ ad interiora ſe recipere coguntur, inde clauſis poris per aquam continuò affluentem ſibi uniuntur, & unitis viribus exardeſcunt.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Non te, ſed tuorum quære utilitatem.

6.




NOn tuus es, ſed es alterius. Natus non privatæ, ſed publicæ auræ. Arctæ nimis eſt activitatis, qui ſe ſibi tantùm, non aliis conſumit. *Non mihi, ſed populo*, apud Dionem Cæſar Hadrianus frequenter in Senatu audiebatur, *Reſpublica enim non eſt mea, ſed ego Reipublicæ.* Non ſuus eſt ignis, qui in aëra ſublevatur: nec pendulæ in publico Procerum Senatu faces & luminaria ſibi, ſed aliis conſumuntur. Commodius illis foret eſſe, quàm abſumi: verùm commodum aliorum penſi habent, non ſuum. Platonis præcepto inſiſtendum ſuadet M. Tull. Cicero: *Utilitatem civium ſic tueantur, & quæcunque agunt, ad Reipubl. referant commodum, obliti commodorum ſuorum.* Oceanus aquarum Rex, licèt omnes ebibat fluvios, qui ampliſſima ipſi tributa pendnnt; eaſdem, quas ſorbet aquas, reſtituit ad eorundem uſum, non ad ſuum reſervat commodum. Unde flumina eſſent, unde pelagus amarent, *lib. 1. offic.*

rent, & per tot præcipitia requirerent, ſi totum, quem ipſi dant Laticem, ipſe Oceanus conſumeret? Politicus, ut æquus ſit, æquor fiat. Omnia in populorum adipem referenda ſunt. Marcus Aurelius Cæſar ſicut in multis, ita in hoc eminuit quoad Reip. procurationem: dicebat theſauros & cætera omnia eſſe Senatûs. Populíque Romani. *Nos*, inquis, *adeò nihil habemus proprium, ut ædes etiam veſtras habitemus.* Quò magis proin exſibilandum, & in ultimas Orbis oras deportandum monſtrum hominis Machiavelliſtici, qui ſe natum & factum eò vult, ut cuticulam ſuam curet, ſuas fortunas amplificet, generaliter vivat, erſurgat ſubditos, ſuam crumenam impinguet. Quàm longè aliter Oratorum Princeps: *Ut gubernatori cursus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria: Sic Reipublicæ Moderatori beata civium vita propoſita eſt, ut ea copiis locuples, opibus firma, gloria ampla & virtute honeſta ſit.* Exemplo Periclis, qui cùm urbem, quam acceperat magnam, maximam reddidiſſet, atque opulentiſſimam, nec uno nummo fortunas ſuas reddidit ampliores. Neque Ariſtides juſtus, & Epaminondas Deus, Lycurgus autem Servator appellati ſunt divitiis abundantes: ſed quia tenui virtute contenti Græciæ in bonum ſe exercuerunt. Vitam quin ipſam nonne Codrus ſuis pro Athenienſibus, Curtius pro Romanis: Nonne M. Marius Conſul filiam Calpurniam; Erichteus pariter filiam ſuam pro bono publico immolârunt? Optimum honoris & virtutis compendium propriæ utilitatis diſpendium. Sic iterum Romana facundia eloquitur: *Si conſulis populo, remove à te ſuſpicionem alicujus commodi, fac fidem, te nihil niſi populi fructum quærere.* Et Claudianus:

*lib. 8. ad Attic. cap. 11.*

*Juſtin. l. 2. Val. Max. l. 5. c. 6. Plut. in parallel. Orat. agror. ad pop. Claudian.*

*Tu conſule cunctis,*
*Nec tibi, nec tua te moveant, ſed publica vota.*

Huc pertinet colophon ille legum XII. tabul. *Salus populi ſuprema lex eſt.*

# QUÆSTIO II.

## *De flamma, capra ſaltante, lancea, igne perpendiculari, ſtipula ardente, & aliis.*

Aggredimur nunc Phænomina ignea in ſpecie, ſi non omnia, ſaltem ea, quæ Meteorologica inſtitutio ut primaria pertractat. Horum varietas ex materiæ diſpoſitæ & in altum evocatæ oritur varietate, nam ex multiplici diſpoſitione halituum ſecundùm raritatem aut denſitatem, ſubtilitatem, aut craſſitiem, magnitudinem vel tenuitatem, & majorem, minorémque levitatem, diverſarum figurarum ignes accenduntur, ità ut alii hanc, alii aliam figuram repræſentent. Itáque, ut ordiamur, ſit

Concluſio prima. De prima concretione ignita, flamma dicta, ſeu fax; & eſt, quando exhalatio multa in longum & latum diffuſa, propter ſubtilitatem ſuam tota ſimul flammam concipit, ídque ſæpè tam luculentam, ut diem repræſentet, & magna pars cæli ardere videatur, de hoc Meteoro teſtatur Plinius lib. 2. Natur. cap. 33. Lumen de cœlo noctu viſum eſt C. Cælio & Cn. Papyrio Conſulibus, & ſæpè aliàs, ut diei ſpecies noctu luceret. De eodem memorat Plutarchus in Lucullo: olim, inquiens, inter acies Mithridatis & Luculli cœlo repentè fiſſo, ingentis dolii flamma coloris argentei ſuſi in terram decidit. Vocatur & ab aliis *ardor cœli*; & nonnunquam inſtar taciti fulguris obſervata eſt decidere, & ædificia ſuccendere. Ad hanc impresſionem igneam revocari poſſunt ignes illi, qui anno 1660. in feſto Corporis Chriſti diverſis Germaniæ locis die claro & cœlo ſereno ex aëre in terram ſunt evibrati. Quod ſi hæc exhalatio in longum extenditur, atque ità æqualiter denſa eſt, ut non ſimul, ſed paulatim inflammari posſit, fax dicitur, eò quòd candelæ ardentis imaginem præ ſe ferat, de qua Plinius lib. 2. cap. 26. loquitur, dicens: emicant & faces non, niſi cùm decidunt, viſæ, qualis Germanico Cæſare gladiatorum ſpectaculum edente, præter ora populi meridiano transcurrit. Et Seneca lib. 1. Natur. Quæſt. c. 1. Noſtra certè ætas non ſemel vidit diurnas faces, aliàs ab oriente in occidentem verſas, aliàs ab occaſu in ortum.

Ex quibus colliges primò. Hanc flammam tam noctu, quàm interdiu eſſe quandoque viſibilem, potisſimùm tamen noctu ob ſubtilitatem & tenuitatem ignis, quæ Solis luce ſuperatur.

Colliges ſecundo. Hanc flammam neque diu perdurare ob tenuitatem materiæ, ob quam cauſam & flamma in fulgure, & in candela, quæ in fumum quandóque exſilit, ſubito reſtinguuntur; ſed & flammæ, quæ ex Vulcaniis evomuntur, brevis vitæ ſunt.

Con

Concluſio ſecunda. Capra ſaltans, quæ à Græcis αἴξ appellatur, eſt Meteorum igneum ſupremæ regionis aëris, figurâ & ſubſultu ſimilitudinem habens veræ capræ ſaltantis, ideóque à barbula & floccis circumpendentibus capræ nomen obtinuit, quia nimirum exhalatio in longum magis quàm latum profuſa, habet ad latera fila quædam inter ſe diſtincta, ad quæ cùm fit ſucceſſivè accenſio & inflammatio, procurſationem quandam, & veluti ſaltus flamma efficit, ut capras petulcientes, & ſaltu ſub ſilientes imitari videantur. Aliquando etiam aliter Meteororum hoc genus contingere poteſt; nimirùm cùm exhalatio, quoad denſitatem & raritatem valde difformis exiſtat, per partes eas diverſas ſucceſſivè ità ignem concipit, ut flamma è rarioribus celeriùs ad denſiora excurrens, in iisque inhærens diutiùs, quandam ſaltûs caprini ſpeciem oculis intuentium referre videatur. Planè, ſicut cùm in menſa diverſos pulveris pyrei cumulos modico intervallo componimus, ignis in unum eorum immiſſus, frequenti ſaltu in viciniorem tranſcurrit, cumque jucundo ſpectaculo abſumit. Talis annotatur à Seneca l. 1. Natur. Quæſt. c. 1. lunari magnitudine apparuiſſe circa Cæſaris Auguſti exceſſum.

Concluſio tertia. Lancea eſt exhalatio oblonga æquali & minimè lata craſſitie, quæ accenſa non tranſcurrit, nec prætervolat, aut ſaltat, ſed commoratur & in eadem parte cœli collucet. Vocatur etiam ab aliquibus jaculum, aut trabs ignita, nimirum quia jaculum aut trabem ſimilitudine figuræ refert. Talem comparuiſſe teſtatur Plinius lib. 2. c. 26. cum Lacedæmonii claſſe victi, imperium Græciæ amisère. Scribit etiam Cornelius Gemma lib. 2. Coſmogr. cap. 2. Anno 1560. die. 17. Decembris viſam eſſe ignitam trabem manè circa horam quintam. Eam præcipuè ſpectârunt Angli, & qui propè Inſulas Namuream tractúsque finitimos degunt. Ardebat cœlo ſummo conſpicua per duas propemodum horas brachii longitudine, tanto fulgore, ut meridies videretur. Refert pariter Fromondus lib. 2. Meteor. cap. 5. art. 1. in autumno anno 1625. ingentem trabis molem intempeſtâ nocte apparuiſſe, ab occaſu exortam, paulatimque ad cœli culmen evectam, Lunam clarisſimè ſplendentem infuſcâſſe.

Concluſio Quarta. Ignis perpendicularis ſeu juxta alios Pyramis eſt Meteorum exhalatione inflammata, ità figuratum ut columnam erectam aut Pyramidem referat aſpicientibus. Fit autem cum materia eſt benè cohærens, habétque partes ſublimitate & craſſitie inter ſe ſe disſimiles, ità ut ſubtiliores partes eleventur, ſimulque accendantur, & quæ crasſiores ſunt, deorſum commeent. Unde pars inferior figuram baſis, ſuperior verò columnæ ad perpendiculum elevatæ oſtendit. Ità Conimbr. tract. 2. de Meteoris ignitis c. 1.

Concluſio quinta. Stipulæ ardentes ſunt exhalatio rarior, & non benè compacta, longè latéque ſparſa, & accenſa ſubinde relucet, ſubinde extinguitur, ſicque ſpeciem exhibet ſtipularum in agris flagrantium.

Clypeus eſt Meteorum in orbem ſcintillans, & clypei formam referens. Talis viſus fuit ſub L. Valerio & C. Mario Conſulibus, qui ad Solis occaſum rapiebatur ab occaſu in ortum, teſte Plinio lib. 1. Hiſtor. Natur. c. 34.

His Meteoris annumerantur & ſequentia, ut Dolium, Turris, Navis, Crux accenſa ſic dicta à figura, quam diverſa materiæ diſpoſitio variat.

Concluſio Sexta. Univerſim materia horum Meteororum eſt exhalatio pinguis & viſcoſa. Forma ſubſtantialis eſt ignis, ſi exhalatio tota inflammata ſit: forma accidentalis figura, aut ſitus, qui proximum fundamentum ſimilitudinis ſit cum re aliqua, cujus nomen adeptum eſt Meteorum. Cauſa efficiens ſunt præſertim Sydera. Item motus & colliſio illarum exhalationum, nec non ſcintilla ignis aliunde in materiam incidens.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Fortitudo Virum facit.

FOrtitudinem cum Seneca appello *virtutem pericula juſta contemnentem, aut ſcientiam periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum.* Hanc qui aſſequitur: *Non modo cum ſummis viris comparari poteſt*, ut loquitur Cicero, ſed ſimilis DEO habendus eſt. Columnam tibi cœlum objicit, quæ quia flammis nutritur, quidquid terribile obviat, concoquit; & involantes capras, & minantes lanceas, & telorum cuſpides, & ſtipularum ardentium faſces deſpicit. Volunt illam ex cœlo deturbare? non cadit: Volunt loco movere? non cedit: *Fortis* ſiquidem *animi & conſtantis eſt, non perturbari rebus aſperis, nec tumultuanter de gradu dejici, nec à ratione diſcedere. Non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis, non triſtibus mergitur.* Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem experimur. Adverſi aliquid incurrat oportet; quomodo alias ſe virum probabit? nam & ſudo cœlo ſirenes cantant,

*Senec. l. 2. de benef. c. 24.*
*Cicer. l. 1. de offic. ep. 72.*
*Cic. l. 3. de finib. & off.*

& aſpirantibus favoniis mollis fœmina jocatur. Omni vento vela aptare, & ubi turmatim impendentia mala tibi volunt malum frangere, remumque excutere: ibi rupem & petram ſtare, hic opus, hic labor eſt. Curtius Gonzaga Caſtilionis Marchio epigraphen adjecit vitulo marino: *Sic quieſco.* Nam ea Bellua, dum tempeſtas eſt, ſupra Scopulum ſtertit, ac dormit placidiſſimè. Infremat cœlum, procellas moveat, fractus illabatur orbis: ridet Politicus, *nec cadit*, *nec cedit*: Columna eſt. Eſt Alexander inter ſpicula, Mithridates inter cate-

*Pauſan. in Arcad. referente Parit. l. 7. de regno.*

7.




nas; Ille enim aperto marte Bellum adminiſtrabat, inter hoſtiles phalanges immotus. Iſte verò ab Eunone Romanorum Duce captus, ſui ſemper ſimilis in hæc verba prorupit: *Mithridates à Romanis per tot annos terrâ, marique quæſitus, ſponte adſum. Utere ut voles, prole magni Achemenis, quod mihi ſolùm hoſtes non ademerunt.* Velim te in omnibus flexanimem atque dirigibilem, at in adverſis cuperem te pertinacem. Pertinacem inquam, hic enim pericula ut effugeret, noluit in latebras ſe recondendo ſaluti ſuæ conſulere; nec cecidit, nec ceſſit; Pertinax pertinaciter periculis obviavit. Ad obſequia Reipublicæ te cereum priore diſcurſu deſideravi: hìc inter adverſa te ferreum opto. *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Non reduco te ad tempora antiqua. In aquilam Romanam expanſis alis modò regnantem, ac in oriente & occidente bellis laceſſitum reſpice: pugnavit ut Leo, ſtetit ut columna, ſub *duplo Sole* bellavit plus quam Hercules: nec enim Hercules contra duos.

*Tacit. l. 12. annal. 18, 3.*

*Herodian. l. 2.*

QUÆ-

# QUÆSTIO III.

## *De Caſtore, Polluce, & Helena. Item de Stella diſcurrente, volante & cadente.*

CONcluſio prima. Caſtor, Pollux & Helena ſunt ignes apparentes ſuper mare in infima regione aëris & parùm ſublimes (præſertim urgente tempeſtate) & quando bini quidem erant ignes, appellabantur ethnicâ ſuperſtitione ab antiquis Caſtor & Pollux. Credebant enim nautæ, ea Numina ſibi in tempeſtatibus auxilio fore. Unde felix omen habebant, cùm geminæ hæ flammulæ tranſtris inſidere cernerent. Quando vero unicus tantùm apparebat ignis, appellabant Helenam, & pro infauſto omine habebant. Ità refert Plinius lib. 2. c. 37. binos nunc Hiſpani Siculi, & Galli ignes *Sant Elmi*, vel uti alii volunt *S. Telmi.* Itali vero S. Petri & Nicolai nominant. Hujus rei nulla ſubeſt ratio phyſica, ideoque ſuperſtitioſa vanitas eſt. Cæterùm tamen naturaliter philoſophando & ſinè ſuperſtitione, cùm hi ignes ſive bini, ſive terni antennis & tranſtris vel aliis navis partibus quierè inhærent, omen felix poteſt eſſe pacificæ tempeſtatis & aëris pacati & conquieſcentis; Hoc indicare voluit Seneca lib. 2. c. 1. *In magna*, inquiens, *tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes; exiſtimant ſe tunc adjuvari periclitantes Pollucis & Caſtoris Numine, cauſa verò melioris ſpes eſt, quod jam apparet frangi tempeſtatem & ventos deſinere.* Quando vero flammæ hac, illacque jactatæ divagantur, trepidant merito nautæ, quia indicant ventos, auraſque agitatas, cauſa vero horum ignium ſunt humiditates ſpirituoſæ ex mari tempeſtate agitato elatæ, collatæ & accenſæ.

Concluſio ſecunda. Stella diſcurrens eſt exhalatio oblonga continenter accenſa; nec enim flamma movetur, ſed quemadmodum cùm filum, aut cum candelæ paulo ante extinctæ fumus ad ſuperpoſitam flammam alterius candelæ accenditur, non deſcendit flamma, ſed fumus ſucceſsivè accenditur. Aptior adhuc ſimilitudo eſt, ſi concipiatur, pulvis pyrius longo ordine per terram ſeminatus accendi ſecundùm unam extremitatem; tunc enim ignis à principio per totam ſeriem uſque ad finem diſcurrere videtur, cum tamen revera non diſcurrat primus ignis de loco in locum, ſed ſemper novus ac novus producatur continuatâ ſerie.

Quandoque tamen globulus halituoſus inflammatur, & revera ab uno in alium locum fertur, pabulique ſui venam ſequitur. Videtur autem totus viæ tractus accenſus eadem de cauſa, qua celeriter titio accenſus rotatus igneum circulum exhibet, quia oculus diſcernere nequit velocitatem tantam, ſed videt ſimul, unde exierit, & quo provenerit, ut in titione circumacto.

Concluſio tertia. Stella cadens eſt exhalatio accenſa, quæ ſurſum enitens, aëris frigidi reſiſtentiâ violenter repulſa per antiperiſtaſim accenditur, & deorſim reſilit, ità ut emiſſi è Superiori loco jaculi, aut globuli igniti excuſſi Speciem referat, aut ſtellam omnino ex firmamento prolabentem aſpectui hominum repræſentent. Quòd ſi hæc exhalatio nullâ re reſiſtente in altum evolet, Sydus volans ſive accendens dicitur.

Concluſio Quarta. Impreſsiones hæ igneæ non generantur in ſuprema aëris regione, ſed infra eam. Ratio eſt, quia in ſuprema neque nubes ſunt, quæ exhalationem ſuccenſam repellant, neque tanta ipſius aëris frigiditas, ut per antiperiſtaſim efficere queat, ſæpè etiam non longè à nobis fieri, ex eo patet, quòd ſubinde ad terram uſque decidere viſæ ſint, reſolutæ in materiam viſcoſam, lubricam & in modum ſpermatis ranarum compactam, illi prorſus ſimilem, in quam Robertus à Fluth reſolutum vidit ignem fatuum, de quo in ſequentibus. Confirmat vicinitatem hanc Ariſt. lib. 1. Meteor. text. 22. ex velocitate motûs inquiens: *Omnia autem hæc ſub luna fiunt. Signum autem eſt apparens ipſorum velocitas, ſimilis exiſtens iis, quæ à nobis projiciuntur: quæ quia propè nos ſunt, multùm videntur velocitate prætergredi & aſtra, & Solem & Lunam.*

Quæres primò. Cur motus ſtellarum iſtarum in fine plerumque ſit tardior? Reſp. primo interdum eas ſolùm apparenter tardius moveri ob rationem opticam, quia ſcilicet dum feruntur motu ad horizontem noſtrum parallelo, & ab aſpectu noſtro in averſam partem aguntur; æqualia viæ ſpatia ab oculo remotiora apparent minora, quàm propinquiora, adeóque dum accenſa exhalatio tranſcurrit, illa æquali tempore, quo priora, videtur moveri tardius, quoniam tantùm temporis inſumit in minoribus (ut apparet) ſpatiis, quantum antea inſumpſit in majoribus. Reſp. ſecundò, ſi re ipſa tardiùs ſe moveant in fine, ratio eſſe poteſt, vel primo, quia ſi exhalatio ſe in cœlum rectè aut obliquè evibravit, materiæ in fine deflagrârunt, & ſpiritus ignei molem ferentes majori ex parte jam exſpirârunt. Vel cùm deorſum eſt motus, quia aër verſus terram perpetuo occurrit denſior, ac magis trajectioni reſiſtens. Vel demum, quia materia motu deſilit, aut rareſcit, & pigrior in fine ad caſum fit.

Quæ-

Quæres ſecundò : quid prænuntiant. Reſp. juxta quorundam opiniones plerúmque phænomena hæc tempeſtates præſagire; rationem dant, eò quòd denotent aërem multâ exhalatione infectum eſſe, & quacunque ex parte procurrunt, abinde ventos expectandos eſſe. Probabiliùs tamen eſt ex mente Ptolomæi centiloq. Aphoriſ 99. ſiccitatem ſignificare, unde aëris ſalubritas potiùs expectanda erit ad mentem Hippocratis 3. Aphor. 151.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Amore ſimul, & timore præſit.

8. N. 8.




NExis ſemper manibus incedat cum Amore Timor. Neque cœlum ſemper minari fulmina, neque ſudo ſemper cœlo jocari Pontus ſolet. Unum altero temperare Sapientis eſt. Amantem te timeant; minantem ament.

Ita ad clavum ſedeat amor Navarchus, ut Proram agat Timor; mutuiſque auxiliis Reipub. navim moderentur. Adverſus æſtum ſi expanſis velis progredi, antennæ inſideat amor, qui Caſtor ſit; & alum occupet Timor, qui Pollucem agat. Maximum navigii malum, malo ſi alteruter abſit, aut Amor, aut Timor. Semper in malacia carbaſa explicare, periculoſum eſt: quomodo enim remum diriget, ſi ſyrtes & Scyllæ aſſurgant, qui timore caret. Sed neque ſecuros naufragii vectores faciet Claſſiarius, ſi ipſe ad quamvis procellam timidus continuo alios percellat timore? Caſtorem agas, ſed non ſine Polluce: alter ſine altero in mollem fœminam abit, & Helenam induit: atque dum ſola hæc ſacula velut ſiren cum navigio ludit, in præcipitia & charybdes impellit. Amet ſuos, qui Reipubl. archithalaſſus audit, ſed ità, ut non præſummat: regat timore, ita, ut non deſperent. Neque Nero ſit, neque Nerva: iſte mollis nimium, ille crudelis. Rex Joannes Portugalliæ II.

quòd

quòd plus æquo ſeverus fuerit, populo inviſum ſe fecit, amorem non habuit. Et æquè cruentum fuit Regis Henrici quarti imperium, quòd amoris laxati curſum neſcierit timoris lupatis continere. Cadit Imperialis currus, ubi Phaëthon amore regit, neſcit fræno moderari. Nimio enim amore vitiis habenæ laxantur; nimio terrore porta ignaviæ aperitur, aut deſperationi. Quaſi partes ejusdem corporis hæ binæ reginæ virtutes ſunt; nec unquam una iſtarum uti liceat, quàm ut ne offendatur altera. Nihil pernicioſius Gubernatore, ultra quam par eſt amante. Nervæ temporibus dicere ſolebant: *pejus eſſe ſub tali agere, qui ita amat, ut omnia permittat; quam qui ita terret, ut nihil.* Optimum mixtum ex calido & humido; ut ſi minas pluit, ſimul amoris favillas fundat politicus. Nimius amoris ardor conſumit; timoris gelu ſtupefacit: medio inceditur tutiùs. Ama, & terre, & amaberis ac terreberis.

# QUÆSTIO IV.

## *De igne lambente.*

OBſervatum haud infrequenter tum veteri, tum modernâ ætate & hominum capitibus & veſtimentis, & animalium pilis aliiſque rebus innoxiè adhæſiſſe ignem, quem idcirco non adurentem, ſed lambentem dixêre, qui veteribus quidem maximum felicitatis fuerat præſagium, de hoc igitur ſit

Concluſio prima. Ignis lambens nihil aliud eſt, quàm flamma genita ex rara ſubtilique exhalatione, vel etiam ex Spiritibus calidiorum animalium, quæ diſperſa per aërem eorum aliquando capillis ſolet inhærere. Non erit hæc flammâ urens ob raritatem & tenuitatem, quemadmodum flamma vini ardentis urendi vim non habet. Contigiſſe id Aſcanio Julo Æneæ filio fingit Mantuanus lib. 2. Æneidos:

*Ecce levis ſummo de vertice viſus Juli*
*Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli*
*Lambere flamma comas, & circùm tempora paſci.*

Huic quid affine Valer. Max. lib. 1. c. 9. adducit de Servio Tullo, cui etiamnum puero dormienti depaſcebat innocuè flamma verticem, quam ut cæli quoddam prodigium attonita conſpiciens Tarquinii Regis uxor Tanaquil, omen inde accepit, ut Servium, licet ſervâ natum, more filii Regis educaverit, & ad ſummum imperii culmen evexerit. Teſtatur quoque noſter P. Kirch. quoties cryptam ſubterraneam Romæ ſubibat, toties è comitum ſudantium capite flammulas facis inſtar erupiſſe. Non injucundum illud eſt, quod Cardanus lib. 8. variet. c. 43. in hæc verba ſcribit: inter miracula, inquit, hominis cenſeri debet, quod cuidam Monacho Carmelitani ordinis per annos tredecim, perpetuos evenit; nam quoties caputium reducebat ad occiput, ſcintillæ ignis è capillis erumpebant; ita Cardanus.

Non ſolùm verò hominum, ſed & aliorum animalium pilis ignis hic innoxiè inſidet. Narrat Scaliger exercit. 174. equum ſe habuiſſe è Calabria candidum ad Cataphracti uſum, qui in tenebris, ubi ſtrigile fricaretur, ſcintillas ejaculari videbatur. Idem Hiſtoriæ produnt de feroci Tiberii Cæſaris equo, è cujus capite flammam non rarò emicuiſſe perhibent. Huc etiam revocari poſſunt ſcintillæ, è pilis felium interdum proſilientes, ut ſuperiùs qu. 1. diſſ. ſecundæ annotavimus.

Quæres verò, quænam harum inflammationum ſit cauſa? reſpondet quæſtioni huic Tobias Taulerus in Meteor. Diſp. 3. Theſi 41. inquiens: recondita hæc eſſe in Naturæ Majeſtate, quaſi divina de viris Præcellentibus præſagia. verùm merito hæc reſponſio exploditur, quale enim reconditum in his ignibus præſagium latere poteſt, qui æquè bruto ac homini, gentilibus ac Chriſtianis communes ſunt. Melius igitur ad mentem Conimbricenſium tract. ſecundo in libros Meteor. Ariſt. cap. 2. ſit

Concluſio Secunda. Flamma hæc generatur ex rara ſubtilique exhalatione, oritúrque nonnunquam ex ſudore animalium præcalidi temperamenti, cum velociori agitatu incaleſcunt, & pinguem viſcoſúmque humorem ex ſe proferunt, qui ſimiliter atque ignis fatuus accenditur. Quandoque etiam inflammatio hæc ex compreſſione & attritione prædictorum halituum accenditur, qui fumi inſtar prorumpere ſæpiùs, maximè hyeme, videntur, congregatique deinde inflammantur. Hinc Livius ex Antiate ſcribit de L. Martio, duce duorum exercituum, flammam concionanti fuſam è capite ſine ipſius ſenſu cum magno pavore circumſtantum militum. Ob eandem rationem Alexander Magnus communiter in magno prælii ardore ſcintillas è vertice & vultu evibravit. Rationi huic ſubſcribit Fromondus & addit: irâ aut vino æſtuantia capita facilius hunc ignem circum fulgere, quia illis pori aperti & Spiritus plures ac magis ignibus idoneos ſuppeditant in flammam.

Oppones tamen, cauſam hanc allatam inflammationis valere quidem probabiliter in iis caſibus, ubi præcalidum temperamentum, complexio ignea, & exceſſus interni æſtûs aſſignabilis eſt, qui locum non videtur habere in pueris, puellis, felibus, aliiſque multis animalibus. Reſpondeo, valde credibile eſſe in his & ſimilibus non ſemper fieri inflammationem, ſed ſolùm ad ſpeciem ignis lambentis lucem quandam apparere. Unde ſit

Concluſio tertia. Sæpè ſpiritus & exhalationes erumpentes ex animalibus tantùm lucem præſeferunt, non flammam. Sic nitedulæ ſeu cicindelæ, quæ à Græcis Lampyrides appellantur, humorem ſpirituoſum & effluvium exhalationis emittunt, & retrahunt, prout pro arbitrio ſuo magis vel minus illuſtres apparere deſiderant. Idem judicium eſto de felibus ſuperiùs adductis, lux enim duntaxat è pilorum & ſpirituum commotione excutitur, quæ non ardet. Quod confirmari poteſt ab inſtantia ſacchari, cui, ſi in denſis tenebris cultrum affrices, ſcintillas inde evolantes ſpectabis, qui nihil aliud ſunt, quàm lucidæ ſpirituum exhalationes. Hinc lucidi oculi Tiberio, qui noctu clarè omnia cernebat, ut interdiu. Tales etiam fuêre Mario & Syllæ. De Aſclepiodoro Philoſopho teſtantur Hiſtorici, eum noctu ſcripſiſſe & legiſſe absque lucerna; id quod etiam vaniùs, quàm veriùs de ſe prædicant ambo Scaligeri, & Caſaubonus. Illud factum eſt, quod refert Fromondus, cuidam à largiori potu vini Hiſpanici experrecto, noctem viſam eſſe collucere.

Colliges non ſolùm ex naturali commotione, aut ira, aut vini potu largiore ſpiritus & exhalationes has poſſe confluere ad oculos & ignis lambentis formam repræſentare; verùm id ipſum contingere poſſe quandoque ex vi morbi & ægritudinis violentia, quæ debitum ſpirituum exagitet temperamentum. Ita refert Scotus de quodam febre malignâ correpto adoleſcente, cui conclave, in quo æger jacebat, ardere viſum, inſuper & Spiritum Sanctum ignis formâ è cœlo ad ſe deſcendere identidem aſſeverabat.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Adulatoribus non fidendum.

N. 9.



SEmper fortunæ magnæ comes eſt adulatio, ait Vellejus Paterculus. Inter ipſos ſatellitum enſes medius incedit aſſentator: & dum omnes aperto Marte adverſarii nudo ferro arcentur, ſolus domeſticus inimicus vagatur immunis, quia eſt perſonatus amicus. Quam regiam purpuram non arrodit tinea iſta? ecquod ſceptrum hæc teredo non exedit? etiam altisſimas cedros hæc lues pervadit. Non minus periculi ab his palponibus, quam ab armis hoſtium. Sæpiùs Regum opes aſſentatio evertit, quàm hoſtis, ut notat Q. Curtius. Cambyſen Regem Conſiliariorum larvata blandimenta inclinârunt in inceſtum. Stratoclis blanditiæ Demetrio Sanctiſſimis coloribus injuſtiſſima facinora perſuaſerunt. Eſt proinde adulatio perpetua vitiorum altrix ab Ammiano Marcellino jure nominata: benéque Græcorum Philoſophorum prodigium Bias apud Plutarchum rogatus, quænam omnium maximè noxia Beſtia foret; reſpondit: *Inter cicures adulator*; Amicos referunt: verùm, *non facilè eſt eodem & amico, & adulatore uti*, ait Gallus Cæſar (Vibius Frebonianus. Principis bonum ſe quærere fingunt: verum adulatores ſuorum Dominorum non tam arriſores, quam arroſores eſſe, Seneca pronunciavit. Principes, qui adulatorum coronâ cincti incedunt, qualiter vivunt? *ſicut vituli inter lupos*, ait Crates Thebanus. Senatus ac Curia, in qua adulatores conſilia dicunt, qualiter ſtat? *Reipublicæ maximam calamitatem adferre ſolent, Græcorum diſertiſſimus affirmavit*: ſcito ergo, Politice his *mellitis laqueis*, ut vocat Diogenes; *his patriæ ac virtutis inimicis*, ita à Plutarcho deſcriptis; *his Feris humano generi peſtilentibus*, ut Plato loquitur; *his corvis mentis oculos excæcantibus*, ut Epictetus nominat, obviare. Neque quia ſplendent ut aurum, eis credas: neque quia Te, ut Heſperus ſolem ſequitur, ames. Sub ſtellati enim zeli pallio tua veſtigia oſculatur, manus baſiat, aures mulcet, placita loquitur, domûs Limen lambit: ſed num ideo canis felis amicus eſt, quia lambit & lingit? dentem hoſtilem, naturam adverſariam nutrit: lingit, tandem fataliter ſtringit. Vatinius tibi eſt, faſcinat oculos, verborum lenociniis aures mentemque intoxicat. Illud ſcias imprimis, non omnem lucem naturæ optimæ indicem eſſe; nam & ligna putrida lumen ſub noctem ſolent ſundere, & flamma veſtimentis adhæret; nec tamen quidquam amici caloris fovet. Larva amoris eſt. Lucet non ardet. Talis gnatho ille Terentianus apud ſe diſcurrens. *Negat quis? nego; ait? ajo. poſtremo imperavi ego mihi, omnia aſſentiri: is quæſtus nunc eſt uberrimus.* O Venenum reipubl. O Aularum exitium! Non te, ſed tua quærunt. Laudant te, amant ſe. Scorpiones ſunt, ore mel, cauda aculeum gerunt; illo ungunt, iſto pungunt. Adulatorum copia Philippo Macedoniam eripuit; Ferdinandum Galliciæ Regem omnibus reddidit inviſum; Regem Aragoniæ Alphonſum nonum inter præclare factorum decora haud parum obſcuravit. Vitellium quis non execrabitur, adblandientem Caligulæ decantatisſimo illi portento: *Solis vobis Diis libet invicem videre.* Triboniano quis non indignabitur, Juſtinianum Cæſarem alioquin Juſtiſſimum dementantem: *non moriturum ipſum, ſed una cum corpore in cœlum migraturum.* Hæc ride, quia præſtigiæ ſunt.

*Plut. in Demetr.*

*Demoſth. Philip. 3.*

*Terent. in Eunuch.*

*Heſych. Mileſ. de Philoſ.*

# QUÆSTIO V.

## *De Dracone volante.*

DRaconem hunc, de quo in præſenti agimus, Paracelſus ſibi perſuaſit ignem à ſyderibus productum; in quam ſententiam plures pertraxit, qui hac exhalatione accensâ decepti re ipsâ judicârunt dari, quemadmodum in terra reptantes, ità in aëre volantes Dracones, copioſum ignem eructantes, hâc ratione potisſimùm inducti, quod ſicut elementum varia monſtra aqua continet, terra ſimiliter miros vermes, aër verò muſcas admirandas; ita cœlum etiam ſuas habeat Salamandras in ſe, quæ naſcuntur ex igne ſuo, hoc eſt, putrefactione ſulphuris adurentis. Hæ, dum reſident, dormiunt & quieſcunt, fulgorem ſuum retrahunt, eúmque ſolùm volando diffundunt. Ità oppidò ridiculè Paracelſus de Dracone volante philoſophabatur. Rejecto igitur hoc delirio, ſit

Concluſio noſtra ad mentem Ariſtotelis: Draco volans eſt halitus calidus non admodum coagulatus, & denſus, qui dum in ſublime fertur, occurſu frigidæ nubis repercutitur, & vel motu vel antiperiſtaſi accenditur. Quia verò percuſſu nubis occurrentis in medio curvatur, fit, ut Draconis ventrem repræſentet, & quia rariores partes ob repulſam factam diffunduntur ad latera, alarum ſpeciem effingunt. Cui accedit, quòd aliquando anterior pars, ſubtiliori flammâ conſtans, ſcintillas velut ore irato vomere, atque ità omnem Draconis imaginem abſolvere videtur.

Quæres primò. Unde ſibilus, qui quandoque in hoc Meteoro obſervatur, proveniat. Reſp. Hunc profluere impresſione & admixtione nubis naturâ ſuâ humidæ cum his exhalationibus

D 2

tionibus ſiccis. Explicatur hoc exemplo pulveris pyrei humefacti, qui accenſus ſtrepitum edit, & ſibilum ob contrarietatem humoris cum igne.

Quæres ſecundò. Cur copioſiores Dracones volantes ſpectentur æſtate, quàm hyeme. Reſpondeo, id fieri, quia æſtate copioſiores exhalationes, ob majorem caloris intenſionem in ſuperiorem aëris regionem evehuntur. Nec refert, quòd hyemis tempore plures vapores ſenſibus incurrant, dum paſſim è loquentium vel animalium ore copioſos fumare halitus cernamus, contingit hoc propter aëris frigus, quod halitus hos conſtringit, & condenſat, quos calor æſtate adeò rarefacit, & extenuat, ut viſum lateant, donec in media regione aëris rurſus à frigore condenſentur, & vel per antiperiſtaſin, vel per nubium occurſum vel impetum, ut dictum eſt, accendantur.

Quæres tertiò. Quid portendat hoc Meteororum genus. Reſpondet Fromondus, dracones hos volantes ſigna eſſe peſtilentiæ, & morborum, quia aërem multis exhalationibus infectum eſſe oportet, ut tantæ molis meteora generentur. Superſtitioſum verò eſt, credere hos citra mortis periculum intueri non poſſe, multi enim hos ſpectârunt, & ſuperſtites vivunt.

Quæres quartò: An etiam ars draconem volantem æmulari valeat. Reſpondeo affirmativè. Sume enim oblongas corrigias, has in aqua vitæ (in qua tamen antea camphora fuerit reſoluta) macera; dein farina pyrii pulveris conſperge, accenſáſque ex edito dimitte, & draconem volantem expreſſiſti.

## CONCLUSIO POLITICA.

### Calumniis ne vincâris.

10 N. 10.



M*Eta calumniantium ſunt viri in apice conſtituti, adeóque fere nemo eſt Magnatum, quem non graviſſima perſtringat.* Volant linguæ, verba ut ſagittas emittunt, altiora petunt: & ut Sol tubis ac perſpicillis examinatur, quoad macula reperiatur: ita, qui in repub. velut Luminaria magna lucent, omnium ſunt judiciis expoſiti, ut crimen in iis notetur, quo inferioribus calumniæ anſa projiciatur. Etiam dum benefaciunt, peſſimè denigrantur. Bene Alexander ille & trophæis Magnus: *Regium eſt, cum bene feceris, malè audire.* Cum rectiſſimus ſit baculus, eum aqua inclinat & curvum repræſentat: *Sic quædam rectiſſima* (ſubjicit Romanus Philoſophus) *cùm in aquam demiſſa ſunt, ſpeciem curvi præfractique videntibus reddunt.* Nimirum fieri non poteſt, ut non, qui juſtiſſimè regit, injuſtisſimè proſcindatur. Unde Chryſippus rogatus, cur non adminiſtraret Rempubl. reſpondit: *Si quis malè rexerit, Diis diſplicebit, ſi bene Civibus.* Quo verbo, ſi quivis ſtaret Principum, nullus eſſet. Nemo activam vitam in publico cogitet, qui linguas calumniantium metuit. Id tibi ſuadeo, Politice, venena linguarum, ſagittas convitiorum, Dracones volantes eſſe cogita: Per aëra volant & ſtrepitum edunt & flammas ſpargunt; ſed ſine vulnere. Ficta nomina ſunt & rerum umbræ: nec viſcera habent, nec venena gerunt, ut ambulantem in toxicent. Contemne falſas rerum ſpecies, nec quid ab aliis dicatur, ſed quid à te honeſte agatur, cures. An Herculem pectore geris, ſi umbra te terret? ſi verus ille Hercules portento Draconum fauces eliſit, & linguam diſſecuit? Certè Fabius ille Principum Idea, imperium ſuum minui maluit, quàm ſecundâ famâ rem male agere. Et Severus ille Imperator diligens in rebus gerendis, negligens in requirendo, quis ſermo de ſe haberetur. Neque verò te ita famæ incurium velim, ut quid nominis habeas, negligens ſis; at Principe loco ſtet, quis honeſtatis fructus in conſcientia magis, quam famâ reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet. Itaque ne reſpexeris ad falſas vulgi opiniones, ac linguarum dicteria, quæ tot momentis mutantur. *Vera enim & ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod natura maximè ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat: mavúltque ſe principem eſſe, quam videri. Factis honeſtis inſiſtito, potiusque vir bonus eſſe, quàm dici velis.*

*Dio Caſſius l. 38. Capitolin. in Anton. Plut. in Apoph. Sen. cap 71. Val. Max l. 5. c. 3. Dio Caſſ. l. 76. Cic. l. 1. offic.*

# QUÆSTIO VI.

## *De igne fatuo.*

COncluſio prima. Ignis fatuus, ſeu ut alii, erraticus & ambulo, ſic dictus, quoniam inſtar fatui huc illuc temerè, ac ſine ordine diſcurrit. Eſt exhalatio viſcoſa, pinguis, benè conglutinatis inter ſe partibus conſtans, & accenſa. Ratio hujus eſt, quoniam arida, & nullo Oleari ſucco imbuta exhalatio aut accendi non poteſt, aut non diu accenſa conſiſtere, quemadmodum fatui ignes conſiſtunt. Forma ejus ſubſtantialis non apparens, ſed verus ignis eſt; accidentalis verò, quâ ab aliis impreſſionibus ignitis diſcriminatur, eſt ſaltus ille in morem hominis fatui. A Caſtore tamen & Polluce ſolùm differt, quod ille fiat in mari, hic verò in terra. Affirmat quidem Robertus Fludeli, Medicinæ Doctor Oxonienſis, ſe quondam ignem fatuum noctu inſecutum & aſſecutum, inveniſſe autem materiam non igneam, ſed viſcoſam, & lubricam; compactam in modum ſpermatis ranarum diſtinguentibus nigris & exiguis maculis ſubalbidam, quæ vice ſpeculi redderet lumen. Ita ille; verùm multis relationis hujus ſuſpecta fides eſt. Narrat econtra Fromcnd. lib. 2. Meteor. Cap. 2. ante celebrem illam anni 1620. pugnam Pragenſem, veram talem flammam inſediſſe vexillo Dn. Guilielmi Verdugi, Legionis Wallonicæ Legati, idque pro augurio ſecuturæ mox victoriæ habitum Simile quid refert Annæus Seneca l. 1. Nat. Quæſt. c. 1. Gylippo Syracuſas petenti viſam eſſe ſtellam (quam meritò alii ignem fatuum fuiſſe volunt) ſupra ipſam lanceam conſiſtere. Plura talia afferri poſſunt, ex quibus deducere licet, ignem fatuum nihil aliud eſſe, quàm viſcoſam quandam & accenſam exhalationem.

Concluſio Secunda. Cauſa efficiens, quæ viſcoſas has exhalationes accendit, variæ eſſe poſſunt. Primò. Antiperiſtaſis nocturni frigoris materiam circumſiſtens, & halitus pingues naturâ ſuâ calidos conſtipans, qui collecti, & uniti ob intenſum calorem flammam concipiunt. Secundò. Colliſio partium exhalationis inter ſe, accedentibus præſertim auræ contrariæ ventilationibus, quarum colliſione vel partes calidæ ſe mutuò fricant & atterunt, atque ad ignem excitandum diſponunt; vel verò partes craſſiores exhalationem, partium ignitarum congregationem, & unionem impedientes difflantur. Tertiò. Solis radii, à quibus interdiu viſcoſi hi halitus poſſunt accendi, & lucem, à diurna oppreſſi, in tenebris teſtari. Carteſius denique in Meteoris l. 7. num. 15. putat, tam hos, quàm alios etiam ignes, tam infima, quàm in aliis Regionibus aëris, incendi aliquando, dum exhalatio ſubtilis, ac penetrans, quæ nempe ſalis naturam participat, alterius pinguis & ſulphureæ poros ingreditur.

Concluſio tertia. Locus ignis fatui naturalis eſt infima aëris Regio. Frequentiùs verò apparere ſolent in locis & regionibus calidioribus, quàm frigidioribus. Unde in Hiſpaniæ montibus plures aliquando à viatoribus deprehenduntur. Similiter in Æthiopia campeſtria loca ſubinde totâ noctè haud ſecus, ac collucentibus ſtellis referta, conſpiciuntur. Nec dubitat Schottus Phyſ. cur. l. 11. part. 2. c. 9. quin in littoralibus regionibus terræ Auſtralis incognitæ, maximè in regione, quàm vocant Del Fuogo, ignes hujusmodi terruerint accedentes olim Luſitanos & Hiſpanos. Solent etiam frequentiores ad furcam, & loca reorum ſuppliciis infamia apparere, uti & cœmeteriis, quia corpora etſi defoſſa pingues halitus continuò exhalant, & materiam opportunam his ignibus ſuppeditant. Hinc templa, cryptis inædificata, febricitantibus noxia, & habitationem ad cœmeteria minùs ſalubrem eſſe Medici docent. Univerſim verò amant hi ignes circa paludes, cloacas, & quævis loca uliginoſa, ſulphuream ac facile inflammabilem, craſſam tamen & gravem materiam exhalantia, copioſiores ſe exhibere, quòd major ibidem pinguium & viſcoſorum halituum, unde enaſci ſolent, copia exhalet.

Quæres primò. Quæ cauſa ſit motûs, & curſitationis horum ignium? Reſpondeo eſſe aërem, leves enim cùm ſint à quovis auræ motu veluti proprio illorum vehiculo rapiuntur. Hinc ſi quis in eam partem ambulet, ubi illi lucent, ſtatim ad motum ſcilicet impulſi aëris ante inſequentem fugit. Ubi verò hìc averſo itinere abire occipit, fluxu ejusdem aëris, poſt tergum fugitivi coëuntis, abeuntem inſequitur. Unde homines, hujus rei ignaros, ſæpè infatuârunt. Confirmat hoc Fromondus exemplo ſui affinis: Redibat is noctè oppido Viſeto Haccuriam, æquali inter Leodium & Moſæ Trajectum diſtantia. Et ecce medio campo circumvolant tres, quatuorve fatuæ ejusmodi faces. Perterritus abjicit ſe illicò in terram, permanent tamen illæ, & uno, aut altero paſſu ab illo diſtantes fixæ & immobiles circumlucent. Cùm diutiùs terræ inhæreret & invocaret DEI opem, abſiliunt inde dimidio amplius milliari. Exſurgit tum quaſi liber, vidétque transvolaſſe Moſam, ſed ecce duos, aut tres paſſus confecerat, revolant derepentè & cingunt, ut priùs; ibi ipſe majori terrore in terram recidere cœpit, & pertinaci procubitu tam diu fatigari donec rurſum ſine reditu diffugerent. Similia & alii paſſim itinerantes experti, qui horum ignium aſpectu perterriti rectà ſe ad deſtinata loca tendere opinantes, reverſi ſunt eò rurſus, unde profecti ſunt.

Quæres ſecundo. Quâ de causâ quandóque hi ignes ſaltitare, ſubſilire, nec non, ut Cardanus obſervat, ſtrepere, & voces humanis non nihil affines edere advertantur. Reſpond. Fieri inprimis hunc ſaltum ob deciduas guttas antelucani roris, quibus flammulæ hæ depriluntur; deindè vero rurſus inſtauratis viribus ex innata igni natura rurſùm eluctantur; pariter ſtrepitum, & ſonum inſtar vocis eædem roris antelucani guttæ, dum ſuper hos ignes depluunt, efformant; non ſecus, ac quando flamma levi inſperſione aquæ irritatur, ſtrepitum edit, vel ligna recentia foco oppoſita, inſitum humorem non absque fiſtulatione ad vocis gementis imitationem exſudant. Unde fabula eſt, quo credulis quibusdam perſuaſum eſt, animas defunctorum iis flammis circumdatas expiari atque purgari.

Quæres tertio. Unde fiat, quod homines harum flammularum ductu in præcipitia vel flumina incidant? Reſpondeo, cùm ad præcipitia ducunt, contingere id ſolet ideo, quod aër, dum inſtar vorticis huc illuc volutatur, etiam hos ignes attrahat, & inſequentes præcipites agat; dum verò ad flumina rapiunt, fit, quia hæc curſu ſuo aërem attrahunt, cui ignes incumbunt, inde & flumina ſequuntur. Fieri tamen etiam poteſt, ut infeſtus ubique ſaluti noſtræ Dæmon, & tenebrarum ſpiritus ſe immiſceat, & hiſce ignibus ſubinde abutatur, ut viatori nocturno inſidias ſtruat. Nemo ergo niſi fatuus fatuo igni animum adhibeat ſuum.

Quæres Quarto. Num hi ignes etiam quid portendant. Reſpondeo, ſi ſolito frequentiores ardeant, aëris corruptionem inducunt, generantur enim, ut ex dictis conſtat, ex materia ſulphurea, terreſtri, combuſta, quo aërem inficere, & epidemiam cauſare apta ſunt. Cœterum hæc etiam phænomena tanquam impendentium malorum præcones Divina Nemeſis aſſumere poteſt. Refert Schottus phyſ. cur. L. 2. Cap. 5. cùm in Herbipolenſi Univerſitate anno 1631. publicè Matheſim prolegeret P. Athanaſius Kircherus, noctè quadam circa illud ipſum tempus, quo Guſtaphus Adolphus Sueciæ Rex prælio vicit propè Lipſiam Tillium ac Cæſarcanos, evigilans per feneſtram in collegii atrium ac hortum deſpicit, & ecce totum atrium luculentâ flammâ repletum, & in flamma milites infeſtis armis congredientes videt. Territus hoc ſpectaculo, ac ſtupefactus currit ad Superioris cubiculum, ut excitatum è ſomno ad idem ſpectandum deduceret; ſed veritus ne antequam eo perveniret, oſtentum evaneſceret, redit ad cubiculum, num adhuc duraret, exploraturus; vidit eadem, quæ antea; iterum ergo ad Superiorem currit, iterùmque ut antea eâdem de cauſa ad cubiculum redit; Sed dum tertium ſpectat, evaneſcit, narrat poſtero die, additque magnâ aſſeveratione, Suecum adventare, & Collegio magnam calamitatem imminere; Eventus probavit omnia. Habetur tamen

hæc

hæc eadem flammula pro fauſto quandoque omine. Ad hoc facit, quod idem citatus Author narrat l. 11. c. 10. §. 3. Menis in Sicilia poſt magnos, calidos, & continuos aliquot horarum flatus certis temporibus in cœmeterio templi S. Agrippinæ Virg. ac Martyr. muris Eccleſiæ, ac turris magnâ hominum plebejorum lætitia adhæret ignis, quem vocant S. Agrippinæ, & in argumentum gaudii omnes dicti loci campanas, dum apparet, compulſare ſolent.

Quæres Quintò. Quo tempore hæc phænomena apparere ſoleant, & quàm diu? Reſpondeo quoad primum, æſtate plurimùm hæc cerni, tum enim majori vi ſolis copioſior è terra, & paludibus exhalatio educitur. Pariter, autumnus in calidioribus locis horum Meteororum ferax eſt, quando nempè ſolis calor validior quidem eſt ad eliciendos, non vero ad abſumendos viſcoſos halitus. Ad ſecundum dico, ea ſubinde ad aliquot horas durare, quoniam materia tenacior eſt, quam ut ſtatim abſumatur. Cæterùm abſumtis partibus ſpirituoſis & glutinoſis, reliqua materia pondere ſuo decidit.

Quæres Sexto. An quoque per artem ignis ad ſimilitudinem flammæ fatuæ parari poſſit? Reſpondeo affirmativè, ſi enim camphora in ſpiritu vini usque ad conſumptionem intra conclave coquatur, calidi halitus camphoræ congregati & ſuſpenſi accendentur, & fatuorum ignium æmuli plus, minúsve lucebunt, prout Materia copioſior, meliúsve compacta fuerit.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Frænandus gloriæ appetitus.




SAnus gloriæ ambitus inſanus non eſt; nimia honoris cupiditas vertigo eſt, quæ in præceps agit. Splendet aliquamdiu gloriæ pullus; ſed quem venatur honor, ignis fatuus eſt; momento abrumpitur, & dum in gyros ambitioſum rotat, tum aut incaſſum laborat, aut in

in caſum deducitur. *Inanes utres ventus inflat, ſic ſtultos homines opinio* : bene advertit Socrates. Tutiùs in plano ſtationem figes Politice, hic aut non cades, aut lapſus ſi fueris, cerebrum non conteres. Si ut fulgur clares, periculo non cares, daturus mox clades, quia vaporibus & fumis componeris, paſcerisque elemento vanitatis. Qui temerè in lucem involant, alas amburunt, evolare nè poſſint: aut ignes volatiles ſi venantur, qui honorum aucupes prævolant, in devia evocantur, ut ne pedem revocare queant. Hoc ab ævo non unus Icarus docuit, illuſtribus ſiderum ignibus tutò non appropinquari, & inanem halitum eſſe, qui temerario niſu in ſocietatem ſiderum extulit. Omnis tragicorum eventuum epilogus prologum ab ambitu duxit: quomodo enim non lapſum timeat, cùm ambitus gyrus ſit. Eſt & id in gloriæ aucupio ridiculum, quod dùm honoris mancipium prædam ſe tenere autumet, nihil inveniat in manibus ſuis. Evanidus nimirum ignis eſt, apparet, & non eſt. Antiochus, Diocletianus, Nabuchodonoſor, Alexander, vah! quanta Nominum portenta? tragici exitus epitaphium poſuerunt; nihil refert Régem eſſe. Quod ſapientiſſimè dum agnovit Lacedæmonum Rex Ageſilaus, in portu Menelai mortem oppetens, ſtatuam ſuis honoribus poni vetuit: *Si quod* (ait) *præclarum facinus geſſi, hoc erit monumentum mei: ſin minus, ne omnes quidem ſtatuæ, cùm ſint vilium opificum opera.* Certior gloriæ ſemita eſt, honorem contemnere, & cum Theodoſio ac Plinio laudato, *conſcientiam rectè facti habere, ac honorem ferre, qui non ex populi Sermone, ſed ex facto petitur.* Quod ſi te meritum aut fortuna altiore regione locavit, inter ſidera te factum puta, ſed ita, ut cum ſideribus nil ambias amplius, quàm ſubjectæ telluri ſervire. In alto non alta ſapere altisſimæ mentis indicium eſt.

*Socr. apud Stob.* — *Plut. & Xenoph.* — *Plin. in paneg. l. 1. ep. 22.*

# DISSERTATIO III.

## De tonitru, coruſcatione & fulmine.

AD ea Meteora jam gradum facimus, quæ maximè admiranda ſimul ac timenda in ſupernis Regionibus ſpectantur, tonitrua ſcilicet, fulgura & fulmina. Quid enim his obſtupeſcendum magis, efficaciusque ad agnoſcendam DEI potentiam dari fas eſt? atteſtante Seneca quæſt. natur. l. 2. c. 31. *mira tonitru & fulminis*, inquit, *ſi intueri velis, opera ſunt*; nec quicquam dubii, quin divina inſit illis, & ſubtilis potentia. *Nihil quod ità mentes ab omni divino cultu alienos ad tremendi Numinis inducit Cognitionem.* Sit igitur

## QUÆSTIO I.

### *De Tonitru.*

COncluſio Prima. Tonitru eſt Sonitus editus ex exhalatione Sulphurea, & nitroſa facto impetu vel nubem dilacerante, vel erumpente ex mediis nubibus ſeſe comprimentibus anguſtato meatu; inde ſonitus, & boatus. Contingit aliquando ſuperiorem nubem deſcendere, idquè in fornicis morem ad inferiorem nubem ſtantem, nec pariter deſcendentem, ſcilicet vel obæquipondium cum medio, vel ex vento inferne ſufflante; hinc intermedia exhalatio exprimitur cum fragore. Exhalatio vero compreſſa inter vapores nubis accenditur, quia colliguntur ſimul particulæ igneæ ad ſtatum ſenſibilem, ut in pulvere pyrio, qui ex ſola percuſſione quandoque accenditur, uti & in funibus ex tractione accenſis, denique analogia eſt in dolio vini conglaciati, in medio enim congregantur ſpiritus ignei, & partes ſulphureæ, & quaſi quinta eſſentia vini.

Concluſio 2. Duplex fragor eſt tonitru, primus bombus ut exploſi tormenti, cùm ſimul tota exhalatio exploditur; ſeu ut fuſius explicat Schottus, quando exhalationes ſpirituoſæ calidæ intra nubem frigidam, aut frigidum aërem receptæ, ac velut obſeſſæ huc illúcque diffugiunt, & vel motu, vel antiperiſtaſi, vel utrâquè causâ ſimul magis incaleſcunt, ac rareſiunt, tandémque accenſæ, ut majorem locum acquirant unico & maximo impetu nubem aut aërem circumſtantem rumpunt, novúmque aërem ipſis occurrentem validiſſimè repellunt. Secundus eſt Sonus continuatus, ut currus per tabulatum pergentis; ſcilicet cùm exhalatio conſequenter accenditur, vel impingit in plures nubis partes, vel diverſa exhalatio diverſis locis è nube rupta eluctatur. Patet hoc Judicio aurium, quæ palam motum aliquem ex ſoni-

ſonitu mobili ac fugaci percipiunt. Quandóque tamen tonitru continuatum non eſt, ſed echo reſonans & reflectens ex nubibus vel ex tractibus terræ ſubjectis, cujus indicium ſit, ſi non idem ſonus diverſis ex locis audietur. Adverte etiam,aliquando nullum fieri bombum nec initio, ſed tantùm quendam tumultum & obſcurum murmur, tunc ſcilicet, quando exhalatio disjicit tantùm nubem, & transcurrendo ad latera ejus cava impellitur, nullibi verò eam perrumpit ita, ut eluctetur.

Confirmantur, & declarantur hactenus dicta ſimilitudine, qua Ariſtoteles explicat modum, cauſámve, Cur tantum ſonum exhalatio edat, nimirum quemadmodum cùm ligna, multum ſiccæ inſpirationis in meatibus continentia, uruntur, crepitum movent, exhalatione in apertum prodeunte, lignáque diſrumpente, ſic in nubibus multo ſpiritu fæcundis facta earum diſſectione vehemens ille ſonus exiſtit.

Idem bombus explicari aptè poteſt exemplo pulveris nitrati in tormento bellico accenſi; ſicut ergo, cùm nitratus pulvis intra tormenti bellici cavitatem concluſus, ignem concipit, & accenſus ſubito, ac conſequenter vehementiſſimè rarefactus, ut majorem locum acquirat, ex tormento ingenti impetu erumpit, atque in vicinum & circumfuſum aërem incurrens eum disjicit, ac rumpit, eâque diſſectione, ac diſruptione bombum illum ingentem, quem audimus, excitat, ita etiam exhalationes vim ſuam in nubes exerunt, & tonitru efficiunt.

Rem verò ita ſe habere & tonitruationem non aliunde,quam exhalationibus nube concluſis excitari, argumento eſt manifeſto, quòd tonitru unâ anni parte maximè contingat & in iis Regionibus, quandò & in quibus ejusmodi ſpirationes abundant. Nota tamen, non eſſe neceſſarium accendi ſemper, & igneſcere exhalationem ad tonitru. Ratio eſt, quia ad ſonum edendum ſufficit ictus vehemens in corpore idoneo,qui ictus ſine conflagratione dari poteſt, quod ex eo patet, cùm non, quoties nubes intonuêre, fulgetra appareant, aut igneæ nubium ruinæ coruſcent. Hæc licet ita ſe habeant, ſit tamen

Concluſio tertia. Probabile eſt,aliquando tonitru ex ipſarum inter ſe nubium concurſu & illiſione fieri absque exhalationum interventu, eruptione aut conflictu. Ratio eſt, ſi enim nubes, cùm à Spiritu diſrumpuntur, ſonum excitant, cur non idem inter ſe magno impetu colliſæ, & fractæ efficient, quia non minus aptæ ſunt ad ſonum edendum nubes duæ inter ſe colliſæ, quàm nubes & exhalatio non accenſa.

Nec obſtat, quòd nubes impactæ montibus ſonum non edant, ratio diſparitatis eſt primò, quia non quocunque modo impulſæ tonant, ſed ſi aptæ ſint compoſitæ ad Tonum edendum; ſicut nec averſæ inter ſe manus,cùm colliduntur,ita magnum plauſum edunt, ſed cùm palma palmam percutit. Secundò, quia mons non ſcindit nubem, ſed ſibi eam circumfundit.

Quæres tamen adhuc primo: an etiam absque nube edi poſſit tonitru? Reſpondeo affirmativè, conſtat hoc non uno eventu,ut Hiſtoriæ teſtantur. Talia tonitrua aliquando audita fuere, cùm mons Ætna ingentem aduſtæ arenæ copiam eructavit. Non enim veriſimile eſt, in eo tractu, ita aëre efferveſcente,ullas tunc fuiſſe nubes, ſed duntaxat obluctante & magno ſe impetu effundente è terræ cavernis velut è bellicis machinis ſpiritu, ſulphureáque materia aërem crepuiſſe. Cœterùm, cur ſereno interdum cœlo tonare ſoleat, ratio dari poteſt ſæpe ex eo, vel quia tunc tonitru in vicino fit horizonte, & tamen auditur in noſtro. Sicut obſeſſâ in Auſtria Viennâ fragor tormentorum auditus eſt ad Leucas 30. potiſſimùm in montibus. Vel quia fit in terra crepitus,aut in altisſimis nubibus, ſed adeo raris, ut nequeant à nobis adverti.

Quæres Secundo: an etiam intra terræ viſcera dentur tonitrua? Reſpondeo affirmativè, ita teſtantur metalli foſſores. De Monte Africano, Serraleonis dicto, ſcribitur, tanta parturire tonitrua, ut ad 50. milliaria audiantur. Nec raro hæc fulgur ſubſequitur, ita Joan. Schuzelman,minerarum per Hungar. Præfectus apud Kircherum narrat, priusquam in *Herngrundt* ſpiracula è rupibus cavata fuiſſent, vapores in fodinis coacervatos ſæpiùs lumine, quo foſſores utuntur, accenſos, maximum fragorem edidiſſe.

Quæres tertio: cur cælo tonante vinum & cereviſia in cellis turbetur? Reſpondeo, cauſam eſſe motum inſolitum, quem tonitru imprimit, unde turbatur liquor, vel etiam ob noxios ſpiritus diffuſos & dolium penetrantes fermentatur ex obſervatione Domini Stoyles, qui cereviſiam hermeticè in vitro clauſam non turbari expertus eſt. Aliud remedium etiam docet adverſus hanc turbationem, & aceſcentiam, dum ait, carbones foſſiles in cellis accenſos, cùm tonat, cereviſiam à corruptione defendere, eoquod ſulphureos & corrumpentes halitus ignis diſcutiat, vel quod vim eorum obtundat, dum figuram halituum, aut magnitudinem, aut texturam mutat.

Quæres quarto: Cur tonitru fungos fæcundet, & cervæ partum promoveat? Reſpondeo, rationem primi eſſe, quia poſt tonitru plerumque tepens, & plena ſpirituum aquâ terræ

affunditur. Ratio verò ſecundi haud alia, quàm accidentalis eſt, nempe timor, & metus, quo imbellia hæc animalia tonitru increbreſcente percelluntur.

Quæres quintò: Quibus temporibus tonitrua magis ſæviant? Reſpondeo, communiter Æſtate, vel autumno, & maximè poſt tranquillum antea cœlum crebriora fieri tonitrua, eo quòd majore calore opus ſit, ut halitus illi Sulphurei nitroſi, & bituminoſi attollantur. Plinius tamen hiſt. nat. l. 2. c. 5. vere & autumno, & in iis locis, quæ perpetuò vernant, aut autumnant, frequentiùs tonitrua fieri docet, fortè ex eo, quòd his temporibus nubes adhuc ſint utcunque frigidæ, & conſequenter per antiperiſtaſin halitus ignei in illas receptæ incaleſcant, & rarefiant. Cœterùm conſtat experientiâ, in calidioribus orbis partibus plerumque tonare ſæpiùs ob majorem halituum copiam, quæ in nubes recipitur. Dixi plerumque, quia tempora tonitruum, uti & fulminum haud ubique terrarum eadem ſunt. Ita in Germaniæ ſuperiore æſtate potiſſimùm contingunt tonitrua, raró verò in vere, vel autumno, niſi in exitu illius, & ad initium hujus, rariſſimè autem in Hyeme; ſi Tartariam Regni Mongal excipias, ubi mixtis quandoque nivibus dicuntur cadere fulmina. In Sicilia ſæpè tonat, & fulminat in hyeme, rariùs in æſtate. In Belgio tonitrua, & fulmina in fine veris, & initio autumni, vel exitu Æſtatis frequentiora ſunt. In Scythia ob frigus, in Ægypto ob nimium ardorem, vix ulla contingunt tonitrua, uti & in Braſilia, fulgura tamen tanta ſunt, ut ſolem luce ſuperare videantur. In Anglia quoque raró fulminare ſolet ob mitiorem cæli temperiem; licèt alii judicent, hoc evenire à ſoli Anglicani, quod cretaceum eſt, exhalationibus, quæ ſpiritus nitroſos, ac ſulphureos vix habent admixtos. Econtrà in ſeptentrionalibus partibus, Olao teſte, frequentiſſima ſunt fulgura, fulmina, & tonitrua.

Quæres Sextò. Cur tormentorum bellicorum, bombardarum, aut campanarum ſonitus tempeſtates diſpergere ſoleant? Reſpondeo, fieri ex eo, quod aër inferior vehementiori ſonitu commotus, etiam ſuperiorem commoveat, & nubes viſcoſis halitibus fœtas diſcerpat, aut diſcutiat.

Quæres Septimò: cur fragorem nubis ſubſequatur pluvia? Reſpondeo, rationem eſſe, quia ex concuſſione nubes diſſolvitur, inde nubium lapſus efficitur, ex quo imbres in terram profunduntur; vel veró, quia nubes per antiperiſtaſim ad proprium frigus tunc ſe ſe reducentes faciliùs in pluviam reſolvuntur.

Quæres octavò: An è tonitribus prognoſtica deſumi posſint? Reſpondeo, Varii variè circa hanc quæſtionem Authores opinantur. Ex matutino ventos, ex meridiano imbres, maris tempeſtatem ex veſpertino; ex hyberno verò ventorum frequentiam auguratur David Frœlich. Tonitrua orientalia eſſe fauſta, occidentalia fore ſiniſtra, meridionalia denotare maris pericula, luem peſtiferam ſeptentrionalia deſignare opinatur Leopoldus Auſtriacus. Cardanus lib. uno de fulgure cap. 10. fulgura, inquit, ac tonitrua valde noxia, ſi pluvia non ſuccedat; & quantò major, tanto tutior eſt. Et ideo animum advertere decet, quanto plura & majora, & longiora fuerint tonitrua, & fulgura, & quanto pluviæ minores fuerint, tanto majores erunt effectus, & morbi acuti, & quanto fuerint extra tempus, ut in profunda hyeme, cauſa major erit. Mizaldus demùm obſervat ſequentia: Si in Januario tonuerit, pecora moriuntur & homines. In Februario auditui ſunt noxia, mortem maximè divitum portendunt. In Martio peſtem & ventos validos. Quæ fiunt in Aprili, maritima pericula. Majalia pluviam copioſam, & fertilitatem. In Junio piſcium & annonæ copiam. In Julio arborum ſterilitatem. In Auguſto ſerpentum excidium. In Septembri magnas hominum cædes. In Octobri ventos, tempeſtates, frugum inopiam. In Novembri frugum abundantiam, & hominum hilaritatem. In Decembri concordiam populi, & omnia bona ominatur. Hæc an vera ſint, ex Authore inquire, mihi pleraque ſuperſtitioſa videntur.

Ex dictis colliges, quàm vanæ fuerint plures ſententiæ veterum Philoſophorum de tonitru. Anaxagoras enim & Empedocles dixerunt, illud non eſſe aliud, quàm crepitum ignis extincti à circumfuſa nubium aqua, ſicut injectâ aquâ in ferrum candens, fumidus vortex volvitur, ſonitúsque auditur. Paracelſus fieri tonitru voluit ex reflexione nubium à cœlo, id eſt, reboationem, & velut echo eſſe vocis ad concavum cœli repercuſſæ. Bodinus à ſolis dæmonibus illud edi autumavit. Contrà eorum primam ſententiam eſt, quod ſit contra aurium judicium, audimus enim, cùm tonat, in nubibus corporum colliſionem fieri potiùs, quàm ignem & ſpiritum extingui, ex cujus extinctione ſonus tantus non ſequeretur. Contra ſecundam eſt, quod potius riſu, quàm refutatione digna ſit, ſi enim ſtrepitus hic debet primum ad firmamenti concavum ſolidum (quod nullibi eſt) indéque ad nos in terram reflecti; quantum temporis intercedere deberet inter coruſcationem, aut fulgurationem viſam, & tonitru auditum. Contra tertiam ſunt rationes adductæ pro concluſionibus noſtris.

*APPEN-*

## *APPENDIX.*

POſſe artem imitari tonitrua, exhibuit quondam P. noſter Kircherus. Dum inter feſtivos veluti bellicarum machinarum mugitus hoſpites ſuos graviter ſalutavit. Accepit is globulos vitreos non multùm avellanam nucem quantitate ſuperantes, quibus aquam nitroſam ad medietatem usque infudit, orificióque benè occluſo ardentes prunas ſubjecit. Calore interim magis magiſque incluſam aquam rarefaciente anguſtiores facti globuli tantâ vi ruperunt vitrea repagula, ut ad tormenti tonitru fragore proximè accederent. Affinis huic eſt altera praxis, ſi nempe globum vel æneum vel ferreum usque medium aqua repletum igni imponas, donec aër usque ad ſummam tenuitatem reducatur; tum obturato, ne aër tranſpirare poſſit, foramine, Jovi frigido exponas, reducit ſe paulatim tam aqua, quàm aër ob circumſidens frigus ad connaturalem ſuum ſtatum, & condenſabuntut; metu proindè vacui ex condenſatione impendentis Sphæra illa ingenti ſtrepitu in mille partes diſſiliet.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Conſilia non ſint manca.

12.




PEr Conſilium Respub. videt, ſed quid, ſi manibus caret? videre, quò currus ſtatiſticus dirigendus ſit, & non ut expediatur, manus habere, eſt currui frænum & obicem ponere, Sagax in Conſiliis prudentia neceſſariam habet appendicem diligentiam & executionem. Fida Conſiliarii oculi comes manus eſt. Quod mentis perſpicacitas, aut Conſiliariorum fidelitas ſuggeſſit, illico exequare. Carolus V. Imperator glorioſiſſimus dicere ſolebat, *animam Conſilii executionem eſſe*; ambo autem, conſilium & executionem quintam eſſentiam Politici.

 In

*Polyb. l. 4. de Rhodiis.*

Incaſſum decreta ſinè eventu ſunt (ad quid enim ſpeculatio ſinè praxi) eventum proſperat, conſiliáque manuducit obſtetrix diligentia. *Ad Byzantios Rhodii Legatum Aridicen delegerunt, ſimúlque cum eo Polemoclen emiſerunt tribus inſtructum triremibus, volentes ſimul & haſtam & caduceum mittere ad Byzantios*, ut ſcribit Polybius. Caduceo Conſilium, haſtâ operatio deſignatur. *Vana enim ſinè viribus ira.* Quos muros confringes, quàm ſtragem in hoſte excitabis, ſi cæcos ignes ſinè globo emiſeris. Nunquid ſemper, quando boat cœlum, ferit? Sæpè murmur inane eſt, tonat & ſonat, eſt cymbalum tinniens. Stabit ad tormentorum mugitum hoſtilis acies, vanásque minas ridebit, quia globum non videt. Paupertatem tuam deſpiciet, quia munitione cares; nec potes, quod vis, quia nulla tibi in manibus vis, *vi geritur res*, cecinit veteranus Poëta Ennius. Omnia negotia publica ſtant duplici Baſi; & non ſatis eſt exordium callidum ſinè exitu callido; calliditate conſilii, calore executionis regna proſperantur. Tiberius datis ad Germanicum *litteris gloriatus eſt, ſe novies à Divo Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quam vi perfeciſſe.* Tacit. Sed tamen non absque vi. Sed & Ferdinando Regi Catholico etiamnum applaudit Hiſpania, res magnas ab eo geſtas; quia, quæ maturo Conſilio expendebat, forti manu aggrediebatur. Eámque ob cauſam Athenienſibus vitio dabat Demoſthenes, quòd executio, quæ anima eſt, mortuum excitet. Conſilium animum vegetat, opus ei vitam confert & motum. In ſola ſi imaginatione conſiſtat, mentis illuſio eſt. *Agendo & audendo res Romana crevit*, ait Tit. Livius. Et Jacobus Angliæ Rex Filium ſuum monuit, ut in conſultando prudens eſſet & circumſpectus, in decidendo firmus & conſtans, promptus & expeditus in exequendo. Ideò natura manus dedit, ne otioſi ſimus; his enim irati inſenſique ſunt Dii, ait Salluſtius.

# QUÆSTIO II.

## *De Fulgure, ſeu coruſcatione.*

Concluſio prima. Fulgur nec ignis eſt ex æthere diſtillans, ut voluit Anaxagoras, neç ſolis radiis accenſus, ut docuit Empedocles. Ratio primi eſt, quia ex Æthere, hoc eſt, è cœleſti mundo, qui corruptionis expers eſt, & alterius naturæ, quàm igneæ, non poteſt ignis defluere. Deinde, etſi ignes diſtillaret, non tamen Philoſophus hic exponit, cur in quibusdam potiùs nubibus, quàm in aliis ignem micare videamus. Ratio ſecundi eſt, nam noctu, cùm jam Solares radii ex aëre & nubibus evanuerunt, conſpiciuntur fulgura, quod luculenter oſtendit, eam lucem non profluere à Sole ut cauſa effectiva, cùm communicationi huic tunc temporis umbra terræ obſiſtat.

Dices: Lucem hanc interdiu à Sole productam perſeverare, à diurno tempore in nocturnum. Contra enim eſt, quòd lux ad ſui conſervationem requirat præſentiam corporis lucidi, à quo genita eſt. Accedit, quod nubes, quæ fulgura ſunt, ſæpè noctu gignantur. Quare ſit

Concluſio Secunda ad mentem Ariſtotelis, juxta quem fulgur nil aliud eſt, quàm exhalatio in nube accenſa, & igneo colore tincta, vi inde erumpens, & in proximo aëre evaneſcens. Dicitur etiam coruſcatio, cùm frequens, & non adeò copioſa luminis tremuli fit emisſio. Seneca diſtinguit fulgur à fulmine, quòd illud ſit ignis latè explicitus, hoc autem coactus ignis, & impetu jactus. Notandum verò, evibrationem hanc tremuli ignis non eſſe jactum localem, & proprium, ſed metaphoricum. Unde dùm videtur excurrere, fit, quia una aliam exhalationem accendit, ut in pulvere nitreo. Hinc Fromondus lib. 2. Meteor. c. 3. art. 4. duplex ait eſſe genus fulguris: unum quod more fulminis nubem terebrat quidem, & erumpit, ſed ad terram non venit, vel quia impetu non ſatis valido erumpit, vel quia ignis in jactu disſilit, aut in obliquum nimis deflectit. Alterum quod ignem tantum in nube rara oſtendit, non emittit, atque hoc propriè coruſcatio dicitur, quod Germani Wetterleuchten appellant.

Ex quibus benè deducitur fulgur & fulgurationem non niſi accidentaliter à fulmine, & fulminatione differre, in materia autem & in modo, quo producuntur, convenire, ut benè obſervavit Seneca l. 2. Natur. Quæſt. nam Cap. 17. ait: fulguratio oſtendit ignem; fulminatio emittit. Illa (ut ita dicam) comminatio eſt & conatus ſine ictu, iſta jaculatio cum ictu. Et Cap. 21. alterius utriúsque naturam explicans dicit: fulmen ignem eſſe: æquè fulgurationem; quæ nihil aliud eſt, quàm flamma, futura fulmen, ſi plus virium habuiſſet. Non naturâ ſuâ, ſed impetu diſtant, Fulguratio enim eſt fulmen, ſed non in terram usque prolatum.

Concluſio tertia. Accenſio fulguris variis modis fieri poteſt. Primò & potiſſimùm vehementi ſpirationis ad latera nubis impulſæ colliſione & attritione, per quam partes calidæ

lidæ ab humidis divulſæ, ac inter ſe congregatæ inflammantur. Probatur hoc à paritatibus, ſic ligna confrictione igneſcunt; ſilex chalybi alliſus ſcintillat; ferrum limâ exercitum calet. Ideò etiam alapâ fortiori cæſis ſcintillæ videntur ex oculis prorumpere, quia ſpiritus calidi, viſioni ſervientes, alapæ ictu, & manus alliſæ attritione attenuantur, & ab humidis ſeparatæ in aëre uniuntur, & lucent. Secundò fieri hæc accenſio poteſt per Antiperiſtaſin intra frigidam nimis nubem, ut ex alibi dictis ſufficienter patet. Tertio motûs velocitate, per quam ignem poſſe excitari, multæ confirmant experientiæ. Sic de plumbo ſagittæ alligato, teſtatur Ariſtoteles, illud ob excuſſæ ſagittæ velocitatem liquefieri. Hinc effera gens Tartarorum redacturi flammâ in cineres urbes & oppida, ſulphur & fomitem telis illigant, quæ per præpetem motum incenſa domum, in quam recidunt, flammâ corripiunt. Credibiliùs tamen eſt, ut oculati affirmant teſtes, ſagittas has incendiarias ab ipſis prædatricibus manibus antea ſuccendi. De ovo tamen in funda repoſito paſſim creditur poſſe agitatione per aëra coqui. Huic tamen inflammationis modo per motum facto, niſi attritio accedat, non inſiſto: cùm ſciamus in multis rebus, præſertim animâ carentibus, motum connaturalis frigoris potius, quàm caloris cauſam eſſe; ſic aqua calida motu potiùs refrigeratur, quàm ut ampliùs incaleſcat; & ratio eſt, nam per motum aër circa corpus diffuſus, & ab ejusdem evaporationibus tepefactus, continuo renovatur recentiori aura ſuccedente. Hinc Solis æſtum mitigare flabelli agitatione ſolemus. Quarto demùm valdè credibile eſt, ipſas inter ſe nubes vehemente conflictu, uti ſilices ſolent, ignem elicere. Cæterùm non diſplicet etiam modus ille inflammationis, quem Joh. Jonſtonus in ſua Thavmatographia naturali in hæc verba proponit: notum eſt etiam ex nitro, ſulphure, calce viva & bituminibus, ſi fiat miſturæ, humidi aſperſione accendi poſſe. Similis hìc res agitur, nam ubi vapores ſulphurei & nitroſi tempore æſtivo à calore Solis, flantibus præcipuè ventis meridionalibus, ſurſùm elevantur, à ventis oppoſitis uniuntur, atque denſantur, ob peculiarem accenduntur repugnantiam, hinc & ſonus oritur & coruſcatio.

Quæres primo. Quinam effectus fulguris numerentur. Reſpondeo, inter hos ſolere præcipuè numerari, primo ſi fulguret à ſeptentrione grandinem, ſi ab Auſtro imbres portendit. Secundo fulgur intuentium hebetat viſum partim ob acutam lucem oculis inimicam, partim ob venenoſas & ambuſtas exhalationes, quæ in delicatisſimam oculi pupillam emiſſæ facilè eandem exaſperant. Tertio. In locis illis, ubi frequentiora ſunt fulgetra & coruſcationes, fructus redduntur inſalubres, uti & in vineis vites ſteriles ob eadem maligna effluvia fulgurationum. Quod ſi vero clara ſunt fulgura, cenſentur innoxia. Mirabilem horum effectum in Muto perſanato recuperata abinde feliciter voce recenſet Vir clariſſimus Nicolaus Tulpius Obſerv. Med. l. 1. c. 41. his verbis: Joannes (cui muti cognomen impoſuit infortunium) petiturus Italiam incidit in Piratas Turcicos, quorum Religioni nomen dare, cùm renueret, adniſi fuêre homines feroces, linguam propterea radicitus ejusdem evellere, ſed per plagam ex vulgi ſententia ſub mento inflictam. Verùm ea crudelitate minus ex voto ipſis ſuccedente detruncarunt totam illam partem, qua lingua hominis volubilis eſt, eaque adempta privarunt juvenem omni voce. Qua tres ampliùs annos cùm caruiſſet, evenit ſorte, ut intempeſta nocte admodum percelleretur ab inopinato fulgure; cujus perniciſſimum lumen cœlitus immiſſum perſtrinxit usque eo pavidum ipſius animum, ut indè ipſi non ſecùs, ac olim Crœſi filio diſſolveretur violenter tenax illud vinculum, quod ipſum ſermonis uſu hactenus privaverat. Faſſus etiam Tulpio ille Juvenis, ſe protinus à fulgure percepiſſe majorem motum in muſculis linguæ, quaſi ſublato jam inæquali illo Coalitu, quem ſub mento reliquerat vulnus, ibidem à piratis ruditer ſanatum.

Quæres Secundo. Cur prius videatur fulgur, quàm audiatur tonitru, cùm tamen certum ſit priùs fieri tonitru, quam fulgur. Reſpondeo rationem eſſe, quia ſpecies viſibiles luminis toto medio propagantur unico inſtanti, cùm non habeant Contrarium; audibiles autem ſucceſſivè deferuntur cum motu locali per aëris fluctuationem, & quaſi undationem, quæ non niſi cum longiori tempore fit. Sic etiam accidit in bellicis tormentis, unde milites in acie ſtatim ac vident coruſcationem tormentorum, procumbunt ſubitò in terram; quâ induſtria Carolus V. dicitur evaſiſſe mortem in obſidione Maſſiliæ.

Quæres Tertiò. Cur fulgur ſeu coruſcatio quandoque videatur ſine tonitru? Reſpondeo. Id ea de cauſa fieri, quia nubes adeò quandoque tenuis eſt, ut exhalationi diſcurrenti non valde obſiſtat & nihilominus eam habet concretionem, quæ ad excitandum ignem ſufficiat. Per tales coruſcationes refrigerari etiam cœlum dicitur, utpotè per quas exhalationes calidæ, quæ interdiu aërem calefecerunt, conſumuntur.

Quæres Quartò. Cur ſinè fulgure quandóque tonitru contingat. Reſpondeo, hoc contingere, vel quia nubes ab exhalatione non disrumpitur ſaltem verſus eas partes, quibus terram ſpectat; vel quia exhalationis materia non ſemper ad ardorem concipiendum idonea

eſt ob multam admixtam humiditatem; vel demum, quia flamma propter nubium aliarum craſſarum interpoſitionem ab oculo removetur.

Colliges, dum noctu ſtellatum interdum cœlum fulgurat, minimè id fieri ſine nubium & exhalationum conflictu, patet enim ex dictis, fulgura è nubibus procedere, nobis ob globi terraquei declivitatem inviſiblibus.

## *APPENDIX.*

CORuſcationem arte repræſentandi modum tradit Porta lib. 12. Mag. naturali, c. 11. his verbis: ſumatur quantitas magna aquæ vitæ optimæ repurgatæ, & in eam conjiciatur Camphora fruſtratim conciſa, quæ brevi ſpatio in ea diſſolvetur, hac diſſoluta feneſtræ, & fores cubiculi claudantur, ne exhalans vapor exſpiret, vas, quod aquæ vitæ plenum eſt, ſine flamma carbonibus ſubjectis ferveat, ut tota aqua in fumum ſolvatur, qui cubiculum expleat, & adeo tenuiſſimus erit, ut vix conſpici poſſit. Intret deinde aliquis accenſa in manu candela cubiculum, apparebit ipſi totum in flammis conſtitutum. ſi deindè in aqua vitæ moſcus, aut minimum quid ambræ diſſolvatur, poſt flammam ſuaviſſimus odor ſequetur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Arma non apprehendat niſi coactus.

13.



R*Egni columnæ ſunt pœna & præmium.* Ubi enim boni & mali ſunt, his utriſque regenda eſt reſpubl. unde Solon *illam Civitatem optimè habitari dixit, in qua viros bonos honoribus affici, contra improbos pœnis, mos fuerit.* Verùm ingenuis pœnæ loco eſt videre faciem irati principis. *Minari ſufficit.* Nam & Leo dum rugit, in fugam hoſtilia animalia conjicit, blandientibusque agnellis parcit. Cœlumque ipſum, non ſemper dum fulgurat, fulminat: Terruiſſe ſat eſt. Subditi pœnarum rei, ſi ſupplices fiant, non ſemper cædendi ſunt. Et ſi hoſtis in genua pronus inducias petit, aut palinodiam canit, noli ſanguinem petere. Optima victoriæ pars eſt, ſolo intuitu ejus cervicem fregiſſe. Notet, cui humanus in venis ſanguis ſtillat: *Terrore meliùs eſſe hoſtem domare, quàm prælio, qui quidem terror multis plus pœne veris viribus profuit,* ait Vegetius. Sic olim Germani ipsâ plerumque famâ bella profligarunt, canitque de imperterrito belli terrore Poeta: Vet. Jamb. Stob. ſerm. 41. Veget. l. 3. c. 26.

*Pròque omnibus armis*
*Et caſtrorum opibus, dextrìſque recentibus unum*
*Hannibalis ſat nomen erat* Sil. Ital. l. 16.

Alloquitur Trajanum Panegyriſta Plinius, atque ad nominis ejus commendationem dignam ævo ſententiam pronunciavit: *Cùm ferociam ſuperbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes, Rhenúmque & Euphratem admirationis tuæ famâ conjungeres* Glorioſior victoria eſt, ubi ſinè ſanguine triumphus canitur. Palma imperatoria eſt, quæ non ex humano cadavere enaſcitur, ſed ſinè tumba vireſcit. Marciani Imperatoris laudanda eſt armorum pigritia, ſoliti iterare: *dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus.* Hæc ſemper vincendi regula eſt, ſemel triumphando ità ſibi nomen feciſſe, ut deinceps minando arma jam pacem victoriámque conciliet. Quoties nomen Alexandri & fama, maximum utique in bello momentum, hoſtes in fugam convertit? Sanè præfectos Darii non tam armis quàm terrore nominis ſui vicit. Tam enim de victoria præſcripſit, ut antequam arma acciperet, jam victor audiret. Neque enim ejus potentiam ſubterfugit, quem ſubjectum voluit. Qualiter & cœlum, dum fulgur præmittit, ferire poteſt, ſi vult; ferire non vult, ſi ſolo terrore perculſum humiliat, ut ſubditus fiat. Ergo videmus, ſolo terrore Bella ſtare, pacem florere, dari victores ſine armis. *Si vis vincere, clementer te age, & de civium nece ne cogita, monet Fl. Vopiſcus.* Plin. in Panegyr. Curt. l. 5.

# QUÆSTIO III.

## *Quid, & quotuplex ſit fulmen?*

POſt fulgur fulmen ſequitur, maximè verendum meteori genus, ex quo divinæ potentiæ vis præcipue eluceſcit canente Petronio:

*Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cœlo*
*Fulmina cùm caderent, diſcuſſáque mœnia flammis*
*Atque ictus flagraret Athos.*

Exiſtimat vulgus, fulmen eſſe corpus quoddam ſolidum teli accenſi inſtar ex nubibus in terram excuſſum. Opinionem hanc pictores ſtabiliunt, fulminantem Jovem triſulco jaculo armatum effigiantes. Verùm errorem præſens quæſtio explananda mox manifeſtabit. Unde ſit

Concluſio prima ad mentem Philoſophi. Fulmen eſt exhalatio ignita è nube magno impetu excuſſa: ſive ut fuſius & clarius exponatur, eſt ignis in exhalatione accenſus, & è nube, velut globus ex tormento æreo exploſus. Nam dum exhalatio illa vehementi agitatione majorem locum quærit, ſi inferius nubem rumpit, eodem impetu deorſum verſus terram fertur. Et quia eſt valdè denſa & coagmentata, conſtans partibus benè cohærentibus, & velociſſimè etiam fertur, non extinguitur in aëre, ſicut aliæ impreſſiones accenſæ, ſed in terram defertur, & obvia quæque perrumpit & diſſipat.

Ex quo habes primò, materiam fulminis eſſe exhalationem ſpirituoſam ac ſulphuream è rebus ſublunaribus maxime nitro, ſulphure, ſpiritu minerali & metallico cum analogia pulveris pyrii & auræ fulminantis in nubes ſublatam; fulmina enim ac tonitrua plerumque contingunt poſt dies ferventiores, quibus plurimæ exhalationes fuêre extractæ atque in altum ſublatæ. Ratio vero hujus materiæ deducitur primò ex eo, quod ea loca ſint potiſſimum ſubjecta fulminibus, quæ fodinas ſulphuris & bituminis habent; ut Campania, ubi & hyeme fulminat, Lovanium, Inſubria & maxime Mutina, ubi Zibius mons naphtam exſtillat; Expertum ſe hoc eſſe teſtatur Schottus lib. 11. c. 15. dum Mænis & Calataierone in Siciliæ urbibus in Ætnæ ignivomi montis conſpectu habitaſſet affirmans, ſe nullibi tam frequentia horribilia, & periculoſa notaſſe tonitrua ac fulmina, quàm in prædictis urbibus ob effluvia nempe

Sulphurea

ſulphurea montis Ætnæ. Probari poteſt Secundò ex eo, quia, ut teſtatur Fromondus Meteor. l.2.art.6. ex Seneca, Plinio, & experientia teſte, omnibus fulminibus ineſt odor quidam ſulphureus.

Habes Secundò: Fulmen non eſſe lapidem igne ex nubibus delatum, ut vulgus putat apud Ariſtotelem l.3. c.1. Ratio eſt, quia alioquin non eſſet tam ſubtile, nec poſſet corpora ſine læſione trajicere, & intus latentia disjicere, cùm forma lapidis in tanta tenuitate ſervari nequeat.

Habes tertiò, Rejectas Paracelſi, Plinii, & Bodini erroneas de generatione fulminum opiniones, quorum primus ſomniabat, DEUM in firmamento poſuiſſe ſulphur, ſalem, & Mercurium. Secundò dicebat: inter alias ſtellas eſſe quasdam ſulminales, ſolùm igneas, deque numero æſtivarum vehementiores aliis; adeo, ut cùm aliæ ſint in primo, aliæ in ſecundo &c. gradu, fulminales ſint in trigeſimo ſecundo. Tertio ajebat: in ſtellis ſulminalibus eſſe ſulphur in ſupremo gradu, ſalpetram in ſumma pinguedine, Mercurium in ſumma contrarietate. Ex his tribus concludebat, tonitru, fulmen & tempeſtates fiunt; Ità Paracelſus: quæ retuliſſe, ut jam ex dictis patet, refutaſſe eſt: Secundus docebat, fulmina eſſe deciduos trium ſuperiorum Planetarum ignes, Saturni inquam, Jovis, & Martis, & ab iis exſpui cum crepitu, ut è flagrante igne carbo. Jovem tamen, qui inter Saturnum & Martem eſt medius, dici præcipuum fulminatorem. Hinc ſupponebæt, ſtellas vivere, vaporibus paſci, atque nutriri. Hæc ut prima à Paracelſo relata, patent primo intuitu, figmenta & ſomnia eſſe. Tertius demum docebat, fulmina à Dœmonibus fieri aëra incolentibus, eo quod explicari recte non poſſit, quomodo exhalatio intra nubes accendatur, & incenſa tantum fragorem edat, cùm nubes ſint corpora mollia, humida, & facilè cedentia. Hanc opinionem pariter erroneam eſſe ex dictis colligitur, & ulterius mox ex dicendis conſtabit. Cœterùm ſi maligni hi ſpiritus fulminum cauſa ſunt, cur apud nos non fulminat hyeme, in Regionibus calidis æſtate, cur non ſereno cœlo niſi rarisſimè, ut prodigii loco id habeatur? Non renuo quidem, quandoque hos genios tum per ſe, tum per magos excitare tempeſtates & fulmina, at ſemper id facere nego.

Concluſio ſecunda. Fulminum differentiæ accidentales tres ſunt, nempè *penetrans* ſeu *terebrans*, *diſſipans*, & *adurens*. Fulmen *penetrans* eſt valde ſubtile & flammeum, cui per anguſtiſſima effugium fit ob ſinceram & puram flammæ tenuitatem, quale eſt illud, quod cadens ſuper lignum non comburit ipſum, ſed per poros ejus tranſit. Fulmen *diſſipans* eſt, quod absque combuſtione diſſipat, & frangit corpora dura reſiſtentia, in quæ impellitur, & eſt valde conglobatum viſcoſum. Fulmen *urens* eſt, quod ſcilicet corpora, quæ ferit, urit, & eſt exhalatio magis ignea, quàm flammea. Tribus autem urit modis; vel enim afflat, & tenui afficit injuria; vel comburit, vel accendit. Poteſt quippe aliquid uri, non tamen ardere, aut combuſtum eſſe, quod non ſit accenſum; ardere tamen nihil poteſt, quod non uratur, etſi accenſum aliquid eſſe nequeat, & non combuſtum. Plinius tres alias aſſignat fulminum ſpecies, ſed à prioribus non re, ſed nomine tantùm differunt, nempè *ſiccum*, *humidum*, & *clarum*. *Siccum* ſuâ tenuitate dura diſſipat, ſic marmora fulmine hoc icta in farinam quandam & pollinem reſoluta videmus. *Humidum* infuſcat tantùm, cùm innocuum cadat ſine ſtrage. *Clarum* omnia penetrat, ſéque per venas omnes inſinuat, & acerrimè urit; ſed teneris tamen & rarioribus parcit, quia non inhæret; hìc enim citiùs transvolat, quàm urere potuerit, confligitque ſolùm cum duris & presſis, quæ tranſitum negant; hinc dolia exhauriuntur intactis operimentis. Idem lib. 2. Natur. hiſt. c. 43 dividit ea in *bruta & vana*, ut quæ nullâ veniant ratione Naturæ; iis percuti montes, iis maria, omnésque irritos ictus; alia eſſe fatidica ex alto, ſtatisque de cauſis & ex ſuis venire ſideribus, ſed hæc omnino vana eſt, & ex antiquorum ſuperſtitione orta fulminum differentia, omnia enim fulmina cauſam habent phyſicam, ac nullum ex iis fatidicum eſt, ſi fatum ſumatur pro inevitabili necesſitate.

Prioribus tamen merito fulmen *mutum* annumeratur, quod ſinè tonitru tacitè de cælo cadit, unde minus violentum, quemadmodum pulveri pyrio quantum ſoni, tantundem virium adimitur. Tale fulmen imitatus Floravantius: Reſpond. lib.3. ſalnitri purificati unciam unam, & ſemis camphoræ puræ, ſulphuris optimi unc. 4. carbonum nucis unc.6. quæ mixta Pulverem mutum efficient.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.

## Sæpe unius malitia Reipublicæ excidium eſt, ſicut unius probitas ſalus.

14.




NOta eſt Virgilii canentis lamentatione referta quæſtio :

*Pallasne exurere claſſem* — Virg. l. 1. Æneid.
*Argivûm, atque ipſos potuit ſubmergere Ponto?*
*Unius ob noxam, & furias Ajacis Oilæi.*

Unum pomum centena inficit: una ovis centum conficit: — Juven. Sat. 2.

*Grex totus in agris*
*Unius ſcabie cadit.*

Juſtè cæteri terrore concutiuntur, & ad fontes recurrunt, quando proximus ardet Ucalegon. Serpit enim flamma, & vicina quæque devaſtat: ni providentiâ præmaturâ ſopiatur. Unum præcipuè cœlo deciduum ignitum fulmen occultâ vi & contagione vagatur, ut vel unum ſufficiat, junctam domui domum univerſámque urbem cinereâ ſtrage involvere. *Sufficit unus* aut malitioſus Reipubl. Adminiſtrator, aut perverſus Regni Conſiliarius, ut commune bonum in excidium agatur. Plauto id aſſeverante: *Certè exploratum eſt, vel unius improbi ſocietas, quantum damnum integræ multitudini ſæpè attulerit, & afferre poſſit. Ità ut verè aliquid malum ſit vicinum malum.* Una chorda diſſona harmoniam perturbat: unus lapillus tot circum ſe fluctus continuâ ſerie excitat, ut lucidiſſimum æquor, puriſſimum illud ſpeculum, confundat: Una nubecula cœlum in furias agit, ut totus ſiderum ſenatus inteſtinâ rebellione agitetur. Unus reprobus, quo redigit Rempublicam? Heſiodus canat: — Plaut. in Mercator. act. 4. Scen. 4.



*Unius*

*Unius ob crimen pœnas urbs tota rependit,*
*Si quis ſacrilegè ſeſe gerat, atque injuſtè:*
*Jupiter hinc cœlo clades demittit ab alto.*
*Peſtem ſive famem.*

Sed neque præclarè geſtorum exempla deſunt, quando unius viri virtus, aut conſilium univerſam Rempublicam ſolido pedè ſtabilivit. Facta audi! unus Epaminondas Thebanos ad imperium evexit, ut eum Ageſilaus, quantumvis hoſtis, conſpiciens exclamârit: *O virum magnificum.* Unus Scipio longum Romanorum cum Carthaginenſibus de imperio duellum diremit, atque Romanis aſſeruit, Catone in hunc militem illud laudis pronuntiante: *Iſte ſapit ſolus, reliqui velut umbra vagantur.* Quem in Scipionem & Numantini honorificum dictum derivârunt, interrogati, cur Romanos Duce Scipione fugerent, quos ante fugârant? *Quia oves quidem eædem ſunt, ſed alium habent Paſtorem.* Plut. Auſtriacum Principem Albertum non præterivero. Illo Belgium gubernante pertinax hoſtis in pacta induciarum promptè deſcendit; & Religio Chriſtiana ac Divini Nominis honor haud mediocre incrementum ſumpſit; & corrupti aulicorum mores in ſaniorem faciem redierunt. Ita unus multis ſufficit, & ſæpè regnum pendet ab uno.

*Plutarch. in Rom. Apopht.*

# QUÆSTIO IV.

## *An detur, & quid ſit lapis fulmineus.*

NOn ſaxeum aut metallicum nucleum neceſſe eſt advocare ad fulmen explicandum, cujus nuclei inter antiquos ſolus Avicennas meminit. Unde & vulgi opinio orta, cenſens fulmen lapidem eſſe, è nubibus evibratum. Non negaverim tamen, in nubibus lapideſcere poſſe aliquod corpus, quod una cum fulmine tanquam bombardæ globus in terram excutiatur. Unde ſit

Concluſio. Probabile eſt, dari lapidem fulmineum, qui quidem fulmen non ſit, ſed alius effectus, ipſum quandoque concomitans. Ratio hujus eſt primò, nam ſi ad ignem ex ſulphure, nitro & luto fieri poteſt lapis duriſſimus, Item, ſi vinum duratur in tartarum & in homine generatur calculus; cur id ipſum fieri non poſſet in nubibus? ſimiliter multæ exhalationes addenſantur in metalla, ut advertit Albertus M. lib. 3. tract. 3. Cap. 73. & Georg Agricola lib. 4. de rerum ſubterranearum ortu, cur igitur non idem præſtare potuerunt exhalationes inter nubes receptæ? Secundò. Copioſam intra nubes terreorum vaporum copiam contineri, aqua pluvia vaſe excepta docebit, cujus fundus terreis fæcibus abundabit, ut proinde lutum in lateres, ita terreæ hæ partes ignis potentiâ in verum lapidem conflabuntur; & ſi, ut teſtatur *Etſervus*, Serpentes à natura edocti ſunt ſolo halitu efficere lapidem, longè ſane facilius halitus in nube congregati lapideſcent. Tertiò videmus, fulmina hinc inde diſcurrere, & relinquere veſtigia curſus; hàc intrare, illuc exire, â loco in alium ſerpere, & mille mæandris per domus, per templa, huc illuc vagari, ac tandem terris ſe abſcondere. Unde valde probabile eſt, fulmina, quæ non penetrant, ſed terebrant & diffundunt, ſæpenumero lapidem vehere, quem cuneum vocant. Dixi ſæpènumero, neque enim id ſemper contingere etiam tunc, quando tam luculenta veſtigia poſt ſe relinquit fulmen, nam ſatis eſt ad illos effectus fulmineam flammam dejici è nubibus in materia craſſa, & conſiſtente accenſam. Raro enim, tametſi exſtent veſtigia prædicta, lapides reperiuntur fulminei, cùm tamen conſtet, & Plinius etiam fateatur, nunquam altius quinque pedibus intra terram penetrare fulmina.

Roboratur Concluſio Exemplis. Jo. Bapt. Morinus narrat, anno 1627. die 29. Novembris ſereno cœlo in montem Naſſonem, Alpium maritimarum unum, poſt bombardarum fragores auditos cecidiſſe lapidem cinctum flammeo circulo, librarum Pariſiacarum 38. tribus oculatis teſtibus, qui aſſervatur ad Aquasſextias in cimeliarcho D. Borrilii.

Legitur apud Cardanum lib. 14. variet. c. 72. 15.10. in agro Abdiæ, ex nube ignita poſt ingentes fragores, lapides ferrugineos proſiliiſſe, ponderantes libras 100. & alios 60.

Idem citatus Morinus in diſſer. cont. Gaſſen. pag. 101. memorat, hoc eveniſſe an. 1634. 25. Octobr. in Comitatu Carolotenſi, ſpectante totâ militum Legione, lapidésque à nube ignita & fragoſa decidiſſe, qui 5. vel octo libras pendebant.

Enſichemii fulmineus lapis 300. librarum gravis in templo ſervatur, quem anno 1492. lapſum ſcribit Ant. Buet.

Teſtatur & Schottus l. 11. c. 19. ſimilem in urbe Herbipolenſi aſſervari in Eccleſia D. Jacobi trans Mœnum in monaſterio Scotorum catenulâ è columna templi ſuſpenſum.

Con-

Concluſio Secunda. Lapis hic Ceraunius ſive fulmineus, qui eſt cuneus, ſeu fulminis telum paſſim nominatur, generari cenſetur, ex terreſtri viſcoſa diverſarum rerum exhalatione, & humore vaporum vi efficaciſſimæ illius flammæ fulmineæ repentè concretis partim in ipſa nube, partim in deſcenſu per aërem; haud aliter, quàm in fornacibus metallicis, aut ferrariis Lapides à vehementi liquefactione coquuntur & conflantur. Hinc etiam varias hi lapides cœlo decidui accepêre nomenclationes? 1. Fulmineus, cuneus vel ceraunius dicitur. 2. Brontius vocatur, qui cum tonitru labitur figuræ ſemiſphæricæ, ovi ferè magnitudine. 3. Omphias, qui cum imbribus cadit. Naſci tam hic, quàm ſuperior ex aquis poteſt, cum plurimi hodienum ſint fontes, quorum aqua lapideſcit. Teſtis eſt Sepuſienſis per Ungariam tractus, ubi domus amplæ aqueis è lapidibus erectæ.

Quæres Primo: Quænam ſint qualitates hujus Lapidis Cœleſtis? Reſpondeo: Candidus imprimis ut plurimùm & pellucidus hic lapis eſt, quod ignis excoquentis, & à ſordibus depurantis vehementiæ adſcribendum. Secundò. Præter Lapidum naturam levis eſt: quia nempè probè excoctus parùm humoris habet, qui gravitatem augere ſolet. Tertiò in cuſpidem acuitur; quia nulla figura perruptioni aptior, hanc proindè exhalatio nubem perforatura induit. Quartò, conicam plerumque figuram retinet; quia mixtum eſt è levioribus ſimul & gravioribus vaporibus, quo fit, ut graviores ſubſideant, & leviores attollantur. Quintò, Lapis hic molliri, aut elaborari ſe non patitur; quia eſt ultima decoctione decoctus, adeoque duriſſimus.

Quæres Secundò: quæ ſit cauſa finalis horum Lapidum? Reſpondeo, cuneus puerorum lactentium cunis ſuppoſitus eos ab hernia præſervare creditur, eò quod qualitatem valde reſtringentem exhalet. Indi ſuis Lapidibus metallinis (de quibus mox agemus) aurum admiſcent, ex cujus Maſſa annulos conficiunt, quos & ad morbos pellendos, & ad victoriam contra hoſtem obtinendam plurimùm valere ſuperſtitiosè exiſtimant. E contrà memoratur in Anni. 4. decc. Ephem. Germ. obs. 53. fulminares Lapides in Scopeliſmo repertos aliquando infelicis eventus prodromos fuiſſe. Hiſtoria in hæc verba exponitur: contigit aliquando quaſdam fœminas curioſitate intempeſtiva impulſas viris in convivio vino intentis convocaſſe aliquot glebæ adſcriptos viros, ut ſcopeliſmum effoderent. In effoſo Gigantis cubili reperiunt ollam cineribus plenam, & veterem quendam cultrum novémque cuneos fulmineos elegantes, & quaſi politos; peracto labore in convivium revertuntur; re quaſi benè geſta facinus, vel curioſitatem pœnitentiâ dignam recenſent; ſuccenſet & indignatur convivii caput, vel hoſpes, malum indè futurum prædicit. Eventus præſagium probavit; mors etenim atra, quot fuerant fulminares Lapides ex illuſtri familia una cum hoſpite e vivorum ſocietate unius anni ſpatio proſcripſit. Ita ibi. Sed hoc portentum eſt, cujus cauſæ naturales haud aſſignari poſſunt.

Concluſio Tertia. Non modò lapis, ſed & ferrum, aut aliud metallum cum fulmine quandoque cadere poſſunt. Ratio eſt, quia exhalationi Sulphureæ admiſceri poſſunt metallorum ramenta, maximè argentum vivum contemperatum & ita ad invicem coacta & compacta ſolidari in ferrum, vel aliud metallum, nam quemadmodum, ut bene obſervat Le Grand. hiſt. natur. parte 6. art. 8. experientia diſcimus, ſi hujus terræ & nitri & ſulphuris &c. certas partes ſimul miſceamus, miſturamqúe iſtam incendamus, illam in variam & ſolidam maſſam juxta varietatem materiæ & qualitatum condenſari: idem ergo ex viſcoſis terreſtribus, & metallinis exhalationibus ſulphure admixto fieri poterit. Unde deinde non lapis modo, ſed & ferrum, aliáque metalla cum fulmine dilabentur. Confirmat hoc Georgius Agricola lib. 5. de ortu ſubterran. ex Avicenna, qui docet: in Perſia decidere, cùm coruſcat, corpora ærea, & ſimilia ſagittis hamatis, quæ in fornacibus non liqueſcunt, ſed eorum humor in fumum reſolvitur; terram autem reſiduam fieri cinerem. Cecidiſſe quoque prope Lurgeam ferri maſſam 50. librarum, quæ præ duritie frangi non quivit, cujus pars ad Regem Torati eſt miſſa, eum vero ut enſes inde cuderentur, juſſiſſe, ſed illam nec frangi, nec cudi potuiſſe. Meminit etiam D. Rumphius in lit. ad D. Mentzelium datis ex Amboina Inſula die 30. Auguſti Anno 1683. ut videre licet, Ephem. Germ. Dec. 2. his verbis. Contigit maximè in Inſula Celibes, nobis verſus occidentem propinqua, ubi multi montes metallici ferrum, æs, & aurum ferentes, è quibus conjectura eſt, vapores cum particulis metallicis, ſaxeiſque in nubes tolli, illic igne fulmineo concentrari, unde Ceraunii dejiciuntur Lapides, modò ærei, modo terrei, modo ferrei, raro etiam aurei, ſæpè etiam à pluribus miſti. Metallum hoc fulmineum plerúmque impurum eſt, primæ fuſioni ineptum & difficulter tractabile. Indi plerúmque aurum admiſcent, ut ſuperius annotavimus, & annulos ex eo faciunt, quos contra varios morbos & ad victoriam conſequendam geſtant. Idcirco Ceraunias hujusmodi nec pretio, nec precibus ab illis redimere poſſumus, niſi vel aperto bello, vel clanculum per amicos, qui clàm ſuis magnatibus illas nobis vendunt. Hæc Rumphius. Ceraunia

verò ſpatha, ſicut in ſcholio ibidem additur à D. Mentzelio, ponderavit ferè uncias undecim, Splenduit æs ad Luteum aurichalci colorem, ad cujus manubii latera ſtriæ ſivè lineæ aliquot tanquàm arte factæ incurvabantur. Superior pars tenuior & in acumen & rotundum deſinens plena fuit foraminibus non perviis, adeò, ut formam ſivè modulum, cui æs illud mixtum infuſum fuit, non admodum læve & tersè confecerit, quicunque fuerit æthereus ille chymicus.

Non obliterandum eſt, quod Anno 1677. die 28. octava Maji Ermendorffii in pago ſcilicet tribus quaſi millibus paſſuum ab urbe Hagâ diſtante contigit. Exorta hic tempeſtas circa veſperam, in qua unà cum fulmine minera quædam aërea *chryſocolla*, aut *Venus aurea* dicta à Balduino, ſive vis quædam lapidum effuſa eſt, quorum color nempè viridis miſtus cum cæruleo fuit, quibus etiam in pariete literæ cæruleæ exarari potuerunt.

Huc revocanda quoque ſunt mira illa, quæ referunt Ephem. German. Decur. 2. Anni 7. obſ. 3. & ab incolis in India oſtenduntur. Habent *Balienſes* in ſua Inſula Rotam ſolidam ex ære cum ſuo modiolo, quam ajunt eſſe rotam de curru Lunæ magna tempeſtate delapſam in illum locum, ubi adhuc cuſtoditur. Similiter narratur de inſula *Serou*, 60. milliaribus hinc Euronothum diſtante, & è ſolo ferè monte conſtante, qui non ita diu valido terræ motu & igne ſubterraneo cum tota ferè inſula disruptus eſt. In illius montis vertice ante 50. annos ingens & monſtroſum vas æreum ſtetit, ambiguam habens figuram inter tympanum, dolium, & ahenum; ab Incolis *Sitangontor*, id eſt, tympanum tonitru appellatur, quod unanimi voce Incolæ narrant, Patrum ſuorum tempore ingenti cum tempeſtate & tonitru illuc projectum eſſe; poſteà Ternatani Prætores magnâ vi illud vas fregerunt, & plurimum æris abſtulerunt. Præfectus tamen quidam Batavus teſtatus eſt, ſe reliquias ejus vidiſſe, & ex iis conjeciſſe, tam vaſtum illud vas fuiſſe, ut ab hominibus in aſperum & præcipitem illum locum portatum fuiſſe incredibile ſit.

## *APPENDIX.*

Lapidi fulmineo, ferro & metallo, è nubibus ejaculato addi poſſunt globi igniti indè pariter aliquando decidui. Sic Anno 1693. die 7. Decembr. Argentinum verſus è cœlo aperiri viſo ingens globus igneus delapſus comparuit; qui in aëre haud aliter, quàm ſi tormentum exploderetur in modum feſtivæ Salutationis fragorem repetitis vicibus edidit. Globus autem juxta relationem eorum: qui viderunt, in tres vias diſperſus decidit; aliquibus viſus eſt in vallem *Kinſigenſem*, aliis ad diſtrictum verſus caſtrum *Fort-Louis*; Alii viderunt ad pratum ſic dictum *Riet* Argentinam verſus, quorſum etiam decurrit, quem locum, cùm quidam inſpexiſſent, viderunt gramen ibidem ambuſtum, & foramen terræ incuſſum.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Caſus ſæpe gloriæ incrementum eſt.

NOn omnis Icarus infelix eſt, licèt in mare ruat: nam ut gemma ſurgit. Non omnis Phaëthon buſta excitat, niſi ea, quæ illum in aurum eliquant. *Cecidiſſe* bonum erat Bruto, per hujus caſum Roma ſtetit. Bonum erat Horatio Cocliti, per hujus lapſum collapſa Patria ſurrexit. Bonum erat Antæo: *non ſurrecturus*, *ni cecidiſſet*, *erat*. Tollitur in altum informis glebæ ac terræ imperfecta maſſa: at ut velut in conflatorio ſolis focò à ſcoria purgaretur, in lapidem fulminis labore ſolidatur, deciduáque de cœlo anulis inſeritur, in ſignaculum efformatur. Labitur humana fragilitas, in lapidem offenſionis etiam Heroës impingunt; ut auſu fortiori ad majus gloriæ incrementum aſſurgant: *cecidiſſe juvat*. Et Sol occidit reditque illuſtrior. Et in profluentem Cygnus delabitur, ut candidior emergat. Et aquilis pennæ decidunt, ut velociores repullulent, ut & ceſpitante pede pronus in terram equus ſurgit ex lapſu velocior. Et demerſum in pelagus rete prædâ dives egreditur. Et defoſſus in ima terræ ſurculus fructibus gravis exſurgit. Et confectus in acie belli dux animos reſumens meliores meliores laureas metit.

*Serò gemis, cùm ſpes haud reliqua eſt remedii*:

Ita dicebat Electra Clytemneſtram redarguens apud Euripidem, quia poſt caſum non dabatur reſurgere. At, ubi redire datur ad melius, *malè captum benè mutatur*, ſic in proverbio dicente Philippo Imperatore. Memini me legiſſe: quòd de Julio Cæſare Suetonius ſcribit: *Sueton. in vita.* Rhodum petebat Cæſar, daturus operam arti benedicendi Apollonio Molonio Præceptore, cùm circa Pharmacuſam à prædonibus captus eſt. Verùm numeratis quinquaginta talentis redemptus,

demptus, eloquentiæ curâ poſthabita, claſſe deducta prædones inſectatus, eos in ſervitutem redegit. Caſus eum ſervum fecit: caſus victorem; quin & Imperatorem. O geminum aquilæ Romanæ Pullum! nam & hi in altum ſublati, præcipites dilabuntur; ut ſi genuini ſunt ac non degeneres, ſpontaneo aſcenſu aëra ſuperent. Ita Sineſius in Dione, referente

15.




Ulyſſe Aldrovando. Ipſa lux poſt tenebras ſplendidior: ipſa ſalus poſt ægritudinem gratior. *A Scorpione aliquando percuſſi nunquam poſtea à crabronibus, veſpis apibúſque feriuntur.* Plinius. Cum Alexandro vulnerato ſemel cadens ità reſurge, ut deinceps ſemper victorioſus nunquam labaris. Siç *cecidiſſe juvat.* *Aldrov. l. 1. ornitholog. Plin. l. 28. c. 3.*

# QUÆSTIO V.

## *Quænam ſit cauſa fulminis impetus, & motus obliqui.*

QUamvis præſens difficultas majori ex parte jam enodata ſit ex quæſtione ſecunda de fulgure & præcedente, pro clariori tamen rei expoſitione, ſit

Concluſio prima. Cauſam, qua exhalatio in nube incluſa inflammatur, eſſe primò Antiperiſtaſim, qua nubes frigidior effecta conſtipatur magìs, & diſperſas colligit partes exhalationis, quæ collectæ ac conſtipatæ mutuo affrictu & diſcurſu ſe attenuant, ſicque incaleſcunt magìs, ac tandem inflammantur. Secundò. Refractionem luminis ſolaris; quod in nube velut in cryſtallo directum facilè materiam illam ferit & accendit, vel demum ſtellas diſcurrentes, ſcintillas deciduas ex ſuprema regione aëris, aliáque ignita meteora ex eodem loco in ſtationem nubium dejecta, & exhalationem ibi conglobatam incendentia.

Concluſio ſecunda. Cauſa verò, quæ accenſam exhalationem torquet deorſum, eſt impulſus, quem flamma rareſcendo,& intra nubis anguſtias compreſſa recipit à nube,cujus latera quatit, ut poſſit evadere.Unde ſic contingit generari fulmen: exhalationes multæ ſulphureæ ac nitroſæ nubibus immixtæ, frigore tandem & condenſatione vaporis in unum conglobatæ, flammam concipiunt, & collecto impetu extra nubis anguſtias ſe clauſtris effractis ejiciunt.

Nec mirum videri debet, quod tanto impetu exhalatio illa accenſa feratur, quando invenit reſiſtentiam nubis ſubſtantiæ ſibi contrariæ, quandoquidem ſimilem apud nos habeamus experientiam de pulvere tormentario intra bombardam vel chartam, vel aliud corpus eruptioni reſiſtens incenſo. Solùm difficilè apparet, quomodo nubes poſſint tantoperè reſiſtere, cùm non videantur eſſe tam difficulter permeabiles. Sed hæc difficultas facilè refunditur in qualitates contrarias, nubis frigidæ cum qualitatibus exhalationis calidæ & accenſæ; patet hujus veritas ab inductione aliorum mixtorum inter ſe contrarietatem adeò pervicacem exercentium, ut etiam motu locali inimicum diffugiant; ſic ſal in igne ſaltat & exilit; ſtannum non purgatum infusâ aquâ, dum liqueſcit, extra vas erumpit. Ita etiam S. Hieronym. Proverb. 25. cap. 10. inquit: nitrum crepitare in aqua; ſicut calx viva; ſicut & idem halinitrum in igne. Nec ad edendum ſonum corpus durum neceſſario requiritur, nam certum eſt, ne quidem ſtrepitum tormenti à duritie metalli procedere, ſed ab impetu erumpente, & in vicinum aërem incurrente, eúmque disjiciente, nam idem bombus auditur ſeu æneum ſit tormentum, ſeu ferreum, ſeu coriaceum.

Inſtat tamen adhuc Bodinus lib. 2. theatri, nubem, cùm ſit rariſſima & admodùm fluxa, non poſſe tantùm flammæ impetum imprimere, ut ſumma vi torqueatur in terram. Reſpondeo, id fieri ad evitandam penetrationem; nam exhalatio in anguſtum à nube undique ſtipante contracta, & deinde tota ſimul inflammata, tam celeri rareſcit motu, ut vicinæ ac contiguæ ignis partes tanta feſtinatione cedere illi non valeant ac diffugere, quin flamma, puncto ferè temporis tam latam poſtulans expanſionem, non ſentiat, ſe vehementer etiam premi, ac proinde in nubem jam aqueam, & gravem incurrens impetum accipiat, quo in terram fertur.

Deinde licèt ignis & flamma naturâ ſua ſurſum tenderet, ab oppoſita tamen nube craſſiore deorſum impellitur, nubem vero ſuperiori parte craſſiorem major à radiis reflexis Solis diſtantia facit, quæ frigus intenſius, & hoc majorem partium condenſationem cauſat.

Quæres tamen, utrum omnia fulmina deſcendant? Reſpondeo, communiter deſcendere deorſum, cùm nubes ob dictam cauſam communiter rarior ſit in parte inferiori aliquando tamen ſurſum aſcendere, quando ſcilicet ob alias circumſtantias contingit, ut nubes rarior ſit ex parte ſuperiori, in qua tunc frangitur.

Concluſio tertia. Fulmen ordinariè irregulari motu & obliquè defertur. Ratio eſt primo, quia ignis hic ob ſubtilitatem ſuam facilè à recto itinere avertitur. Secundo, quia ipſum ſequitur, præitque halitus plurimus & flatus conglobatus, quo in varias partes reſilit, ut annotavit Albertus M. in tract. de fulmine cap. 21. Analogia præſto eſt in aqua ex ſublimi turre demiſſa, quæ ſubinde viam obliquat. Tertio, quia ſæpè ex latere nubis obliquè excutitur, ſi nimirùm illud rarirùs eſt. Quarto denique, ut docet Seneca lib. 2. natur. quæſt. cap. 28. quia natura ignis ſurſum vocat, vis, qua è nube dejectus fuit, & exhalationis craſſitudo deorſum premit; atque ita, dum neutra vis alteri cedit, mediâ viâ, id eſt, obliquè fertur, donec victo ignis conatu ad terras deſcendit. Quæ cauſa eſt, cur turres, & alta cacumina ſæpiùs feriat, quàm quæ in humili loco conſiſtunt, juxta tritum: *Feriunt ſummos fulmina montes.* Cùm enim perpendicularis linea è cœlo unica, ad latera vero ſeu diametrales duci poſſunt innumeræ.

Quæres: in quo conveniat, & in quo differat fulmen à bombardis, & fulmineis noſtris tormentis? quæ ante trecentos paulo minus annos invenit Bertholdus quidam Scurrarſus, Monachus Germanus, ut ait Pater de Rhodes, Phil. Peripat. l. 2. D. 13. q. 2. Sec. 2. in perniciem orbis terrarum? Reſpondet quæſtioni huic idem cit. Author, & docet primo, ea convenire in motu & celeritate; nam ſicut fulmen validiſſimo impetu, & boatu magno in terram vibratur è nubibus; ſic pleræque machinæ per quinque paſſuum millia ſexcentas ferri libras excutiunt, tanta celeritate, ut unoquóque minuto tria circiter millia paſſuum conficiat talis globus.

Secundo conveniunt potiori ex parte; nam pulvis pyrius conſtat Salpetra, quod alii vocant halinitrum, ſulphure & carbone; neque pulvis idem pro majoribus adhibetur tormentis, qui minoribus inſervit; grandiores enim machinas franges, ſi minuto eas oneraveris ſclopetorum pulviſculo, in quo abundat magìs halinitrum, miſcetur etiam ei aliquid mercurii & ſalis ammoniaci cum aceto. Ea vero proportione infunditur pulvis, ut glandis pondus tertia

parte


parte ſuperet pondus ipſius pulveris; ſi enim pondus glandis ſit librarum 30. pulveris pondus eſſe debet librarum 20. ſic in fulmine abundat ſulphur, ut patet ex odore, & nitrum etiam, quod cauſa eſt ſubitæ inflammationis & rarefactionis.

Tertiò ſicut exploſio fulminis fit per ſubitam materiæ rarefactionem intra cavum nubis, ſic alterius eruptio è tormento. Denique prius, ut alibi dictum, in utróque videtur coruſcatio, quàm ſonus audiatur.

Diſcrepant verò primò, quia ex nube ſola ſine ullo alio telo, plerúmque exilit flamma, dixi plerúmque, quia quandóque, ut dictum eſt, lapis fulmineus comitatur; flamma verò pulveris glandem excutit, alioquin eſt ferè innoxia. Secundò flamma erumpens è nube, longè pervadit, id eſt, ad 500. amplius paſſus cum ſtrage maxima; flamma verò pulveris vix longiùs uno pede proſilit ex ore tubi. Tertio notant Seneca & Plinius, fulmen non ampliùs quam pedes quinque deſcendere in terram, cùm tamen glandes noſtræ penetrent ad pedes 20. denique motus fulminis transverſarius eſt, non rectus ac perpendicularis, quod in tormentis non evenit. Triſculum autem dicitur fulmen, quia pluribus foraminibus & in ſulcos diviſa erumpit flamma.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Sine reſpectu agendum.

16.




Cœcum eſt fulmen, ſiderati licèt cœli oculis vicinum. Non enim reſpicit perſonam hominum. Summos quoſque ac infimos ferit. In ſubjectam terram graſſatur, & in ſuperna elevatur; non affectu abripitur, nec œſtro corripitur; partiale non eſt. Fulminis naturam induat, qui bonæ politicæ Leges amat. Seu Chiliarcha ſit, ſeu gregarius, ſi reus eſt mortis, enſem ſtringat. Ut ſine diſcrimine hoſtis in hoſtem globum trajicit, niſi quod libentiùs caput tangit, ut membra timeant. Diviniſſima eſt illa juſtitia, quæ & filio non

non parcit, & amicos neci ſubjicit, & familiares mortis ſententiâ condemnat; unde cæteri velut fulmine perculſi timorem concipiunt. Quid enim? in extraneum an mitis fuiſſet Manlius Torquatus, qui ſupplicio filium ſuſtulit, quòd bello Latino contra imperium hoſtem depugnârit? Ergo, ſi conſtitutus es ſequeſter Juris, arbiter boni & æqui, ſponſus juſtitiæ, Livius l. 8. Hymenæus pacis, fecialis communis boni, cuſtos æquiratis, medio pede pertranſiens, affectu ne abripiaris, nec irâ inſanias, ſed medium tueare. Hoc tibi præfigas album tuarum actionum, nec ad dexteram, nec ſiniſtram inclinare; quemadmodum ſagittarius ad metam tela mittit; & ut juſtitia libram geſtat, unâ ſingulâ bilancem tenens, ſimulac cœca: ita non cognatio, non utilitas, non familiaritas attendatur. Conſanguinitatis pullus puniatur, ſi reus eſt: extraneus foveatur, ſi dignus eſt: nitido, non intereſſato oculo ſapientisſimæ ſimul ac piiſſimæ Hildegardis, Philippum Flandriæ Comitem monentis, dictum obſerva: *Attende, ut puro oculo juſtitiæ in Deum, velut aquila in Solem aſpicias. Et ut absque proprietate judicia tua juſta ſint.* Optandum eſt, ut Jovis ſint omnia plena; tot fulminum, quot regnorum adminiſtri, & Val. Max. l. 12. in intimos, & in exteros animadvertentes. Qualem Junium Brutum fuiſſe legimus, qui duos adoleſcentes filios proditionis convictos virgis cæſos ſecuri ſubjecit. *Bonis nocet, qui parcit ma-* Sen. L. de Clement. *lis.* Neroni Seneca dixit. Dicti rationem reddidit, & Legem explicuit: *In vindicandis injuriis Lex eſt, ut hæc tria Princeps conſideret, aut ut eum, quem punit, emendet: aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat: aut ut ſublatis malis cæteri ſecuriores vivant.* Vetus eſt de Cæſare Auguſto, quòd filiam & Suet. c. 65. neptem ob pudicitiam proſtitutam in Inſulam relegârit. Recentius eſt, Vandalorum integerrimus Rex Canutus indiſtinctè ſupplicia exegit: non affinitas, non neceſſitas, non amicitia delicto patrocinabatur: Deprehenſi in Mercia latrocinantes, dum ad ſupplicium duce- Lib. 3. Wadal. c. 32. rentur, è grege damnatorum quidam jure conſanguinitatis impunitatem prætendit; *Cognato ergo meo*, reponit Rex, *ut honoratiore loco ſit, altiorem crucem parate. Bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit.*

# QUÆSTIO VI.

## *Qualesnam ſint effectus Fulminum.*

Ut ex variis ſalis, nitri, bituminis, aluminis, calchanti, ſulphuris, aliisque ſpiritibus fulmen coaleſcit, ita diverſiſſimos & admirandos parit effectus, qui paſſim ab Authoribus copiosè adducuntur. Horum rationem & cauſam reddere proprium Philoſophi eſt. Quia verò longum nimis foret ſingulos enumerare, præcipuis in præſenti & ſubſequenti quæſtione ſelectis, eorum cauſam breviter adferemus. Sit igitur

Concluſio prima. Fulmen ordinariè in res duras, & magis reſiſtentes plùs ſævit, mollibus intactis; ita haſtæ ferrum liquat ligno ſalvo; aurum & argentum in cineres reducit marſupio inviolato; ferrum intra vaginam abſumit vaginâ illæsâ, integrâ carne, & nullâ interdum apparente notâ oſſa comminuit; dolio fracto illæſum relinquit vinum, conſumit veſtes ſalvo corpore, pedem comminuit intacto calceo. Cujus rei cauſa eſt, ut advertit Ariſt. l. 3. c. 1. & poſt eum alii, quia in iis, quæ ignis trajectui reſiſtunt, neceſſario aliquam moram facit, & vim ſuam exercet, in iis vero, quæ mollia ſunt, & non reſiſtunt, nullo modo hæret, ſed ſubito ſine applicatione virtutis ſuæ, & conſequenter ſine læſione, per poros & occulta foramina celerrimè pertranſit. Ex quibus patet etiam fulmen non eſſe lapidem, ſed ignem, ut ſupra diximus. Confirmari poteſt analogiâ, ſic aqua fortis arrodit & conſumit metalla, non ceram, aut lignum. Quod vero nec vinum diffluat fracto dolio, ita ut rigor ille triduo duret, cauſam ita explicant Conimbricenſes: calor poteſt liquores addenſare, ſi ii ſiccam exhalationem admixtam contineant, hâc enim ratione gignitur ſal, nitrum, ſulphur, Saccharum, aliàque id genus. Igitur cùm fulmen vinum calidis exhalationibus & viſcoſitatibus conſperſum attingit, nec id ob liquoris copiam aliamve cauſam penetrat, extimas illius partes circumquaque addenſat, & durat, quibus totum vinum quaſi corio incluſum detinetur eo modo, quo aqua, cùm exterius gelaſcit, per ſe tota conſiſtit, nec diffluit. Declarat hoc Albertus M. in tract. de tonitru c. 22. experimento; nam ſi pſillium (herba eſt, quam vulgus noſter pulicarem, Germani Flöch-Kraut/ vocant) vino admiſceatur, replet ipſum humore quodam viſcoſo, quem vinum inſito calore ad extremitates diffundit; ſicque obducitur vinum quadam veluti cruſta, qua per aliquot dies cohibetur, nec dilabitur etiam fracto vaſe. Eadem porro vis, quæ vini partes exteriores indurat, totum etiam vinum ad centrum usque congelat. Neque hoc mirum, cùm etiam modicum coaguli calore ſuo totum lac, cui injicitur, coagulet. Ex his rationem reddes ſequentium eventuum.

Teſtatur Muretus in notis ad Senecam, fulmen in palatium Hyppoliti Cardinalis Ferrarienſis

rienſis decidiſſe, & mucronem gladii, qui ad lectum unius de famulis dependit, ita colliquefeciſſe, ut in globulum ſe converterit vagina penitùs illæſâ.

Anno 1560. referente Torquemade, in Hiſpania, propè pagum *Benavaide*, duo in itinere conſtituti ingruente terribili tempeſtate fulminis vi in terram proſtrati. Horum unus valida recuperans membra ſurrexit, & abiit relicto ſocio, quem deinde incolæ præfatæ coloniæ requirentes exanimem invenerunt, corpore quidem integro & omnino illæſo, ſed oſſibus omnibus ita comminutis aut emollitis, ut totum corpus quaſi una caro quàquà verſus in omnem partem mollis inſtar corii complicari & convolvi potuerit.

Aliquot abhinc annis Heidingsfeldiæ, non procul Herbipoli, ubi fulmen ante aliquot annos turrim Eccleſiæ propinquam, quam Sartor cum tribus filiis inhabitavit, terribiliter feriit; Sartori in hypocauſto pilos capitis ſolùm ambuſſit, inde pavimento perterebrato, longo deſuper tractu trabes excuſſit: Tres verò filios in laterali conclavi curioſiùs per patentem feneſtram nubium tempeſtiferarum curſum obſervantes, in terram poſtravit, ex quibus duo tandem reſolutas vires receperunt, tertius verò exanimis permanſit, ut etiam pro defuncto habitus fuerit. Advocati Herbipoli chirurgi & Medici, dum Sanguinem adhuc calentem in eo comperiſſent, cuſtodiendum mandârunt, tertio demùm die, cùm horribilis denuò tempeſtas ingenti fragore turrim concuſſiſſet, mox & hic velut è ſomno evigilans ſopitas hactenus vires, recuperavit, diuque poſteà incolumis ſupervixit. Ita narrat Joan. Zahn. in ſua mundi mirabilis Oeconomia. Scrut. 3. diſq. 3. c. 15.

Plutarchus l. 4. Sympoſ. ſeu convival. Quæſt. q. 2. ex Hermanni Cruſerii interpretatione, ſic loquentem introducit Dorotheum Oratorem: mihi certè conſtat fulmen in domum apud nos delapſum multa miracula edidiſſe: hominem ſomno ſtratum transvolans, neque illum offendit, neque veſtem attigit; ſed ejus cingulum, in quo ſuccinxerat nummos æreos, liquefecit & fudit totum. Et paulò poſt: accepi etiam militis, qui Romæ ædem ſacram cuſtodiebat, fulmen, quod propè delapſum ambuſiſſe calceamentorum corrigias, neque aliud quidquam incommodi attuliſſe. At pixidularum argentearum, quæ ligneis incluſæ capſulis erant, argentum quidem colliquatum & conflatum fuiſſe, lignum intactum & integrum inventum.

Concluſio Secunda. Fulmen aliquando rem molliorem corrumpit, duriore ſalvâ. Ita *Marcia* Romanorum Princeps, teſte Plinio, cùm graviùs à fulmine fuiſſet icta, exanimato in utero partu citra omne aliud periculum vixiſſe fertur. Refert etiam Lucretius illæſo dolio vinum fulmine exhauſtum fuiſſe. Huc quoque referri poterit illud, cujus Schottus l. 11. c. 18. §. 6. meminit in hæc verba. Celebrabatur Anno 1637. Panormi in Sicilia prima Dominica Decembris in Collegio noſtro S. Franciſci Xaverii, magnâ ſolemnitate, magnóque hominum concurſu, dicti Sancti feſtum ante pomeridiano tempore; quo religioſus quidam natione Gallus in laterali quodam templi Sacello inter confertam hominum turbam orationi vacabat. Ingruit interim ſæva tempeſtas, & fulmen ſpectantibus cunctis cadens in templum, ſerpit per ſuperiores parietes, atque in dictum ſacellum deſcendens, proſtrat in terram quotquot aderant, ſed neminem lædit, ſolùm deprehendit poſteà dictus Religioſus, omnes totius corporis pilos, veſtibus tectos, fuiſſe ambuſtos atque conſumptos, reliquis cum veſtibus illæſis. Ratio primi eſſe poteſt, quòd fœtus ob teneritudinem ſuam faciliùs quàm Mater à ſubtili, languida tamen, & non adeo vehementi exhalatione, affici malè potuit. Cœterùm credibile mihi videtur ex vehementi fulminis illapſi terrore eam hic abortiviſſe, & ita fœtum quaſi fulmine tactum & percuſſum edidiſſe. Ratio ſecundi eſt, quia dolium illud, cùm rariori ſubſtantia conſtet, fulminis vi laxatum fuiſſe, ejúsque latera omnia rariora facta, ita ut igneus Spiritus facilè in id ſe reciperet, atque acerrimi caloris ſui vi repentè vinum exſiccaret & abſumeret. Cauſam tertii reddit Virgilius Wellenderffer in Decalogo Serm. 7. c. 5. quia vapor ille divaricatus, hoc eſt, diviſus in partibus, debiliſſimus eſt; igitur talia ſolùm accendit, quæ ſunt facilis incenſionis, ut capilli, qui ſunt de materia terreſtri & ſicca; & per tactum alicujus humoris vapor ille extinguitur.

Concluſio Tertia. Venenata interdum poſt fulminis plagam venenum deponunt; & quædam, veneno prius carentia, illud concipiunt. Cauſa primi èſſe poteſt, quia in illis fulmen exurit venenum. Ita Seneca l. 2. nat. Quæſt. c. 31. malorum, inquit, Serpentium & aliorum animantium, quibus mortifera vis ineſt, cum fulmine icta ſunt, venenum omne conſumitur. Nec mirum eſt, cùm veneno alias (quale in ſulphure fulminis eſt, ut mox dicemus) aliud venenum pelli poſſe notius ſit, quàm ut pluribus declarari debeat. Hinc S. Greg. lib. 3. Dial. c. 15. t. 1. ſcribit ſuper *Nurciam* tonitru aliquando delapſum, omnes, qui in illo diſtrictu, reperiebantur, Serpentes intereміſſe. Cauſa poſterioris eſt, quia cùm exhalatio fulminis ſulphurea ſit, & ſimul calidiſſima; ſulphur autem inter venena & deleteria habeatur,

beatur, afflatus fulminis non tantùm lethifer exiſtit, ut facilè vitalem calorem ſuffocet, ſed etiam ob calorem calidiſſimum, tenuiſſimè ſeſe inſinuantem, quandóque accidit, ut momento humorem quaſi exſugat, & humida corpora afflata in arida convertat. Exemplum mirum adducit Cardanus l. 8. variet. c. 43. Referunt, inquit, in Lemno Inſula, ubi inſulæ cornu dividitur, octo meſſores ſub quercu cœnantes à fulmine percuſſos, atque examinatos manſiſſe ſub ea ſpecie, quâ diſcubuerant, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere; cúmque nigri omnes eſſent, imaginem ſtatuarum totidem repræſentabant.

Simile quid contigit 1546. Mechlinæ, ubi tempeſtas fulminis ictibus & afflatibus horrendas edidit ſtrages, inter eas autem memoratur, congerrones aliquot potantes ad tabernam cerevisiariam ſediſſe, temporisque terendi causa chartis luſoriis certaſſe; hoſpitam autem, cùm ad promendam cereviſiam in ſubterraneam iviſſet cellam, redeuntem bibones ad menſam, ut eos reliquerat, ſedentes omnes, ſed exanimatos ac mortuos reperiſſe.

Concluſio quarta. Fulmen tacta hominum corpora interdum redigit in cinerem, & in ictu quaſi oculi abſumit. patet exemplo, quod Wolffgangus Meurerus in Comment. Meteorol. apud Sennertum in Epitome ſcient. Natur. l. 4. c. 2. refert, nimirum miniſtrum quendam ita ſubito ereptum ex hominum oculis ictu fulminis in via, quâ Lipſia itur Torgam, ut poſtea nunquam apparuerit. Cauſa utique fuit, quod totus, quantus fuit, carnes, oſſa, veſtes ipſæ in cineres & ventos abierunt; nam fieri poſſe, ut fulminis efficacia à non ſolùm comburantur, ſed ſtatim calcinentur, & in cinerem redigantur corpora aliqua accenſo ſpiritu totam humiditatem momento quaſi abſumente, dubium eſſe non poteſt. Redacto autem corpore in cineres, hi vel ab ipſo impetu fulminis, qui aërem rapidiſſimè ſecum trahit, vel à ſubſequente vento diſperguntur in auras.

Hoc etiam fortaſſis modo urbis Romanæ Conditor Romulus è vivis ſublatus eſt, qui, ut Livius & alii narrant, cùm ad exercitum recenſendum concionem in campo ad capræ paludem haberet, ſubito coorta tempeſtas cum magno fragore, tonitribúsque tam denſo Regem operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit; nec deinde in terris Romulus viſus fuit, creditúmque in cœlum ſublatum, quem fulmen aut turbo diſſipaverat.

Quæres primò: Cur ſæpè fulmineus ignis tantùm allambat, nec quidquam nocumenti adferat? Reſpondeo, hoc vel contingere ob debilitatem flammæ, ut diximus, dum nimium divaricatur, & in partes dividitur: vel quia in talia corpora incidit, quæ qualitatibus ſuis contrariis ignis reprimunt activitatem. Quædam enim natura ſua contra ignem ſe tuentur, ut asbeſtus, qui in telam ductus, ſi forte uſu ſordes contrahat, igne purgatur. Sic etiam ſi aquam fabarum calidam calci diſſolutæ miſcueris, & malvaviſci, atque magranculi aliquid addideris, iſtâque maſsâ imbueris, ac reſiccaris manum, ignem tractabis innocuè. Simili arte utuntur empirici, dum publico in theatro ad populi circumfuſi admirationem plumbo & pice liquata manus lavant.

Quæres Secundò: Cur in una ſylva arbores certæ læduntur aliis intactis? ubi Helmont. refert tract. Meteorolog. Anomal. num. 20. vidiſſe ſe unico fragoris ſono ſe præſente aliquot myriades quercuum, & corylorum combuſtas propè Vilvordium, ubi interim frequens betula, fagus & alnus denſâ confuſione aliis commmiſtæ à tonirru illæſæ permanſerunt. Reſpondeo, eventum hunc refundendum eſſe in harum arborum effluvia contrariantia qualitatibus fulminis excuſſi, juxta enim varietatem ſubjecti ſæpè varius ab eadem cauſa exiſtit effectus, & quæ amica eſt uni, inimica eſt alteri, huic appropinquat, ab altero refugit; ſic aqua fortis, ut ex dictis conſtat, chalybem exedit, & eadem ceræ molli parcit.

Quæres Tertiò: Cur vulnera à fulmine frigidiora ſint reliquo corpore? Reſpondeo, cauſam quidam eſſe volunt, quòd unà cum fulmine omnis calor abigitur. P. verò Adalbertus Tylkovvsky part. Meteorolog. curioſ. cap. 30. ſentit, à terrore & veneno id evenire, quod una cum fulmine vulneri affunditur. Probabilior tamen opinio eſſe videtur, quòd fulminea flamma ſanguinem, caloris & ſpirituum calefacientium ſedem, exſiccet, aut unà avehat, aut abſumat, ad cujus defectum neceſſariò frigus ſubſequitur. Ita philoſophatur Cardanus lib. un. de fulg. c. 19.

Quæres Quartò: Unde contingat, quod aliquando è duobus eodem in lecto recumbentibus unum ignis hic exanimet illæſo altero? Reſpondeo, cauſam eſſe, quod illo temporis puncto, fulmen utrique æquè applicatum, & indifferens erat. unus ſpiritum, & cum eo exhalationem fulmineam omni aurâ mobiliorem attraxerit, alter verò reſpirium emittendo fulmen à ſe amoverit.

Quæres Quinto: Quomodo fiat, quod ſæpè homo vel brutum à fulmine interimatur, ut nullum veſtigium vulneris appareat? Reſpondeo, id contingere forte vel ob vaporis ac-

cenſi

cenſi ſpirituoſam ſubtilitatem, quæ per nares, os, & hiantes poros vitalia veneno occupat; vel quia repentino auræ afflatu ſuffocat. Huc revocandum eſt illud, quod P. Schottus Phyſ. cur. l. 11. c. 18. §. 3. narrat eveniſſe Mœnis in Sicilia, ubi Philoſophiam profeſſus diſcipulo ſuo; Sedebat, inquit, is cum aliis multis præ foribus templi, in montis, cui impoſita eſt urbs, ſupercilio, ſpectabátque fumantem Ætnam, & crebra è nubibus fulmina, atque tonitrua impluvio cœlo; cùm ecce fulmen in turrim primò, ac deinde ante fores templi deſcendit, & in turri quidem duos pueros colludentes confeſtim exanimat; ſedentes verò præ foribus disjicit; currunt omnes ad templum Dei auxilium imploraturi; Diſcipulus autem arrepto ambabus manibus capite proprio, lymphato ſimilis diſcurrit per templum, & voce lamentabili caput ſibi reddi petit, caput ſe perdidiſſe identidem clamitans. Accurrunt cæteri, conſolantur, reficiunt, domum deducunt, metum depellunt omnem, & menti reſtitutum reliquunt. Redit is die poſtera ac ſequenti etiam lætus ad lectiones, at die tertiâ ex improviſo extinguitur. De alio verò ibidem narrat, eum ictu fulminis per aliquot annos dementatum fuiſſe, qui tamen deinde ex integro valetudini fuit reſtitutus. Cauſa horum eventuum haud dubiè fuit venenoſa exhalatio fulminis, qua temperamentum cerebri turbatum, & vitalia plùs minus infecta fuêre.

Quæres ſexto: Cur fulmine tacta corpora contra jactum jaceant? ita, ut caput ſpectet ad exitum fulminis. Item, cur putredinem non patiantur? Reſpondeo ex Alberto M. qui cauſam primi hanc aſſignat, quia, inquit, impetus ictûs vehementis convertit percuſſa contra impetum, & naturale eſt animali ſe convertere, verſus nocivum, improvisè adveniens admovendo ei vultum. Ratio vero ſecundi eſt, quod intenſiſſimus fulminis calor omnem in icto corpore humorem, ut cauſam putredinis, momento abſumat, illúdque exſiccet.

Quæres ſeptimò: Num verum ſit, quod Plutarchus aſſerit, dormientes à fulmine immunes eſſe. Reſpondeo, contrarium ex multis caſibus conſtare, in eo tamen cum Plutarcho conſentio, conſternationem, timorem & tremorem ex fulminis lapſu & fragore conceptum, ſæpè multis mortis cauſam exſtitiſſe, adversùs quæ dormienti propugnaculi vice eſt ſensûs privatio. Ita evenire potuit Regi Mithridati, cujus pharetra lecto appenſa, icta aliquando fuiſſe dicitur, arſiſſéque in ea ſagittas, Rege ipſo dormiente, atque innoxio manente. Ejusdem pueriles cunæ fulminatæ fuêre, perſtrictâ ſolùm infantis fronte.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Uti ferro, ita deliciis ſubjici, turpe eſt.

MOllis machina deliciæ ſunt, ob voluptatum irritamenta, quibus non unus Hercules enervatus corruit, qui ad tormentorum fulmina ſtetit inconcuſſus. Sæpè Martiale pectus blanditiis, & lenociniis eſt emollitum, quod in glandium ferrearum imbre ut marmor, & petra duravit; infinitus ſim, tot molles caſus enumerando, quibus columnæ belli & Martis alumni in Veneris pullos fœda metamorphoſi degenerârunt. Invictus armis Annibal Amilcaris filius, magnanimitatis exemplar, arx fortitudinis, vivum ac ſpirans fortitudinis militaris propugnaculum (quibus omnibus nominibus eum Orator Rom. compellat) quo ariete fuit dejectus? excuſſus? Campana luxuria largis dapibus, unguentorum fragrantiâ, Veneris blanditiis fregit penitus illum, quem Romanus miles, neque armorum impetu, neque militaribus inſidiis, neque ferro, neque igne deterere potuerat. Igitur quid tam pernicioſum eſt, quàm mollis ille adverſarius, & blandiens catapulta, quâ virtus atteritur, fortitudo labefactatur, dilabuntur imperia, animi pariter & corporis amittuntur bona, expugnantur vires? nullus capitalior hoſtis, nullum damnum graviùs, nulla lues miſerabilior, nulla denique vaſtitas calamitoſior. Hæc, quæ legis, Principis Eloquentiæ ſunt ore deprompta: Hæc vaſtitas enervavit Vitellium, hæc lues infecit Themiſtoclem, hoc damnum ſurripuit Neronem, hic hoſtis expugnavit Alexandrum; & quid viros nomino, integras provincias ac Regna, in M. Antonii liquato unione immenſas 50. millionum divitias, in Caligulæ convivio totam Romanam Rempublicam, per victricia illius bellici Fulminis Scipionis arma de univerſa Aſiâ triumphantem, hic helluo voluptuoſus abligurivit.

*Cic. orat. contr. Rullum.*

*Cic. l. 5. Tuſcul. qq.*

*Fulmen itaque te optem, Politice, quod dura & mollia frangit.*
*Fulmina perrumpunt rigidas cæleſtia petras,*
*Et feriunt liquidas, acta potentis, aquas,*

*Et duri cedunt, ſcopuloſa Ceraunia, montes*
*Et cedit mollis, qui fluit amne, liquor.*
*Cedit utrúmque Jovi.*

17.




Terrâ mariq́ue à Romanis quæſitus Mithridates omnes perfregit difficultates; & cum maria emenſus eſſet Perſarum moderator Xerxes, ipſas etiam petras ſcidit aceto. Ita regius animus nec objectis mollium aſſultibus illiciorum, nec ferreorum terriculamentorum umbris expugnatur. Binis hoſtibus expoſitum opponas pectus; & Marti, qui apertâ te fronte oppugnat, & facilè auditur, quia ferreus eſt, & Veneri, quæ ex aqua naſcitur, & tectis armis tantò gravius ferit, quanto molliùs influit. Contra alteram duram machinam te cupio Conſtantium, contra alteram mollem & fortem te opto Conſtantinum. Eſto ex utroque Cæſar.

*Tacit. l. 12. Annal.*

# QUÆSTIO VII.

## *Quæ res vel à fulmine immunes, vel magis obnoxiæ ſint, & de nonnullis aliis fulminis adjunctis.*

Quæres primò: num laurus immunis ſit à fulmine? Reſpondet Plinius l. 2. Hiſt. Nat. cap. 55. cum antiquis affirmativè, quod confirmat exemplo Tiberii Cæſaris, qui tonitrua metuens turbatiore cœlo coronam lauream capite geſtabat, ut habet *Suetonius in ejus vita*; cauſam dat Fracoſtorius, quòd laurus rotunda admodùm ſit & corticis denſi ac lævis, à quibus omnibus fit, ut incidens vapor non inhæreat; propter quam rationem nec columnas à fulminibus tangi videmus, quod rotundæ terſæque ſint; ita ille. Sed rationem hanc improbat Cardanus, cùm & multæ aliæ arbores rotundæ ſint, nec tamen à fulmine immunes, & ipſæ

ipſæ columnæ marmoreæ ſubinde igne hoc proſternantur. Addit Schottus,quod Lauri plerúmque in frutices, raro in magnos, ac terreſtres truncos excreſcant. Teſtatur & Vicomercatus Comment. ad cap. 10. l. 3. Meteororum Ariſt. paucos ante annos (ſcripſit ſub initium præcedentis ſæculi) laurum de cœlo tactam fulmine. Et fortaſſe millies aliàs hoc contigit, nec tamen aut ab hominibus animadverſum, aut à Scriptoribus monumentis librorum commiſſum. Ne tamen omnem antiquitati fidem derogemus, ſit

Concluſio noſtra: Licèt Laurus lapſum toto impetu è cœlo in ſe fulmen haud avertere poſſit, probabile tamen eſt, peſtiferas ignis fulminei exhalationes à ſe arcere poſſe. Ratio eſt, quia multorum Auctorum ſententia eſt, laurum, præſertim virentem, copioſa & vehementia ſpirituum effluvia à ſe diffundere, quæ peſtiferas & contagioſas exhalationes, aërem inficientes, abigunt. Ob quam cauſam lauri ramos antiquitas affigebat domorum foribus. Ipſe etiam Imperator Commodus, Herodiano teſte, contagionis tempore in laurea vireta Medicorum conſilio ſeceſſit. Quemadmodum igitur Laurini ſpiritus peſtilentes arcent halitus, ita fieri poterit, ut & venenatos fulminis odores à ſe repellant. Et ob hoc fors, tradente Columella, gallinæ cubanti laureæ ramuli ſubjiciuntur, ut ſulphureos fulminis halitus, ne ova inficiant, avertant. Iidem & vinorum vaſis, ne tonitru corrumperentur, imponebantur antiquitùs.

Quæres ſecundò: Quid ſentiendum de vitulo marino, uti & ficu? Reſpondet Plutarch. l. 5. convival. Quæſt. quæſt. 9. creduntur arbores ejusmodi fulmine non afflari, uti neque vituli marini vel hyænæ corium. Hinc tentoria Imperatorum ex pellibus vituli marini fieri ſolebant. Et ſcribit Suetonius, Auguſtum multùm adeò expaviſſe fulmina & tonitrua, ut easdem ſemper ſecum circumferret. Hunc æmulatus Imperator Severus ex eadem materia lecticam ſuam inſterni præcepit. Cauſam verò, quoad vituli marini pellem ſomniabant poroſitatem ejus eſſe, quæ facilè illæſâ cute fulmen transmittit. Quòd verò ficus de cœlo non tangatur, exiſtimat Cælius Rhodiginus l. 18. Antiquit. c. 9. amaritudini ejus attribuendum. Verùm has rationes nemo non videt eſſe futiles. Nam ex prima deducitur, nec vitulum ipſum, nec illum, qui ejus exuviis tegitur, à fulmine immunes eſſe, penetrabit enim ad interiora exhalatio fulminea, & recondita ſub pelle perimet. Ex ſecunda pariter ſequitur multas alias herbas & frutices potiori jure debere immunes eſſe ab igne fulminante, utpotè ficu longè amariores. Unde concluſio noſtra eſt, fabularum ſyllabo utrumque inſerendum eſſe.

Collige tamen ex Patre Schotto, famam hanc & opinionem de vitulo marino inde ortam, quod tantam is cum mari habeat ſympathiam, ut pili etiam excoriati animalis, ſi mare turbatum in fluctus ſurgit, erigantur; ſi deſidit, ſternantur: ex quo factum, ut ex horum pilorum mutatione, aëris mutatio colligeretur tam mari, quàm terra. Ut igitur mutationem aëris cognoſcerent, & inſtantem tempeſtatem fugerent, quibus modis poſſent, tum mari, tum terra; ſolebant nautæ in navibus, alii domi, & foris pellem marini vituli circumferre. Hinc factum paulatim, ut ea vim habere averruncandi fulmina crederetur, ideóque, ſummæ velorum partes, & tabernacula, & lecticæ tegerentur. ita Schottus. Obſervant prætereà Conimbricenſes de hoc animali, uti & de aquila rariùs ea tangi fulmine ex eo, quod hæ animantes tacito naturæ inſtinctu præſagiant fulmina, ſéque per id tempus in abditiſſima, tutiſſimáque loca recipiant.

Quæres tertiò: An idem opinandum de quercu, hyacintho & corallo? Reſpondeo affirmativè, hæc omnia ſcilicet inter Poëtarum deliria numeranda eſſe, cùm his maximè de quercu contrarium obvia evincat experientia; quidquid reclamet contrà Albertus M. & Cardanus. Quis enim tam bardus fuerit (ait Scaliger de hyacintho Exercit. 113.) ut pro certo habeat, tantam vim arceri poſſe tantillo fruſtillo neſcio cujus vitri? præſentiâ Jovis iram debilitari; abſentiâ, aut amotione, reſumere vires, animum colligere?

Quæres quartò: Cur feles, canes, & capræ fulminis ictibus magis obnoxii, ut ſedula dedit obſervatio? unde canis naturæ inſtinctu tonante cœlo ſub hominum pedes reconditus aſylum quærit. Reſpondeo ex mente Bartholini, cauſam in halitus ex animalium horum corporibus exhalantes conjiciendam eſſe, quos tanquam materiam cognatam, & nutrimentum aliquod fulminis ſpiritus, fores præſertim ſi pateant, ut liberè in aërem ferantur, ſequuntur. Hinc feles in limine tanguntur ſæpiſſimè. Canes autem odoros eſſe, odoras & capras, quis eſt, qui neſciat? Feles in tanta copia per poros effundere effluvia exhalationum, ut & homines quidam ad illorum præſentiam deliquium patiantur, & generoſiores equi, etſi animalia hæc in curru abſcondantur, ſudorem anxiè emittant, experientia nos plúsquam ſatis docet. Datam tamen rationem ita verificandam reor, cùm delapſa flamma fulminea dictis animalibus propinquiùs ſe alicunde inſinuat, nec enim credibile eſt, vapores ex ejusmodi parvis animantibus eò in altum ferri poſſe, ut fulmen deciduum mox ad ipſa determinent. Probabile præterea valde eſt, ut communis fert opinio, animalia nempè, quæ metu, cœli tu-

multibus excitato, inquieta ſunt, fulminis ictui eſſe magis obnoxia, hoc enim volatile motum omnem ſequitur.

Quæres quinto: Quæ loca fulmini magis expoſita: Reſpondeo, experientiâ comprobatum eſſe, fulmina editiora loca frequentiùs infeſtare. Hinc montes ſæpiùs, quam valles ignibus cœleſtibus afflantur. De arboribus canit Claudianus:

*Incubuit nunquam cœleſtis flamma ſalictis,*
*Nec parvi frutices iram metuêre Tonantis.*
*Ingentes quercus, annoſas fulminat ornos.*

Pariter in urbibus templorum turres ſæpiùs fulmen ferire ſolet. Exemplum eſt Cathedralis Eccleſiæ turris Argentinæ Alſaticæ urbe, 574. pedibus geometricis præalta, vix annus ferè elabitur, quo non ſubinde fulmine infeſtetur. Cauſam plerique aſſignant motum obliquum fulminis, de quo in quæſt. 5. egimus.

His ſubjungo mira quædam, quæ circa nonnulla loca magis fulmini obnoxia variis ab Authoribus conferuntur. In monte Taipæ, Provinciæ Xenſi, quæ eſt una ex Provinciis Imperii Sinici, ab Oreoſcopio ſummè celebrato fertur, pulſata ibidem tympana mox fulgura & fulmina, ingentéſque excitare tempeſtates. Unde cautum eſt quàm ſeveriſſimè, nec ulli omninò licitum eſt, ut ſcribit Kircherus in China illuſtr. part. 4. cap. 4. ibi tympanis pulſandis admovere manum. Effectum hunc mirum credibiliùs eſt magicis illuſionibus, quàm virtute montis profluere. Affine huic eſt, quod de Altari quodam tempeſtifero, in montibus Pyrenæis ſito narratur, locum enim dicunt eſſe in excelſis jugis, ubi præalta & lata ſurgit rupes, in eáque eminens quædam ſaxea moles inſtar Altaris, cui ad latera inſoliti characteres, & ſigna quædam inſcripta ſunt. Hoc Altare ſi quis acceſſerit, illúdque attigerit, ingens confeſtim tempeſtas ignibus & imbribus furens excitari ſolet.

Refert etiam Petrus Thyræus l. de locis infeſtis part. 1. c. 1. Michaële ab Iſſelt Anno 1585. hiſtoriæ ſuæ, eſſe locum paluſtrem decem paſſuum millibus ab *Odepe*, quod eſt prædium Epiſcopatûs *Vendæ* in Livonia, in eòque lacum quendam ita fuiſſe infeſtatum, ut niſi ſingulis annis ſanguis infantum in eum mitteretur, ultra modum affligerentur vicini, & plurima damna iis dœmones afferrent; conturbarent nempe aërem, tonitrua, procellas & tempeſtates excitarent. Ex quo ipſo apparet, fulmina non lacûs exhalationibus, ſed malignorum ſpirituum operâ excitari.

Dignum lectu eſt, quod de monte *Cio* rerum Sinicarum Scriptores commemorant: eſſe nempe in ejus vertice lapidem quinque perticarum altitudinis, qui quoties tempeſtas imminet, titubare, & hinc inde inſtar Cypreſſi vento agitatæ moveri incipiat. Cauſam hujus bene aſſignat Wevverus in Arte Converſ. Reg. 11. Sec. 5. §. 1. Contingere motum hunc ex ventorum intra concava montis viſcera ſævientium flatibus, qui deinde vaporum, halituumque copiam per poros, rimas, fiſſuráſque montium ſecum eructant. Frigidiorem hi auram nacti, in copioſos reſolvuntur imbres & cùm ſulphuris quoque admixtam habeant materiam, etiam tonitribus & fulmine ſæviunt.

Difficiliùs ratio phyſica ſequentis eventus datur. Narrat Kircherus in Chin. Illuſt. propè inſignem urbem *Chaoking* haud procul ab urbe Sinenſi *Sinhing* provinciæ *Quantung* montem ſurgere *Tenlu* dictum, aſpectu horridum & cavernoſum. Dicitur autem intra hunc montem ſtagnare quandam aquam, ad quam ab extra tamen nullus patet aditus, & ſi forſan ab alto hoc à ſuperiori aliqua montis hujus voragine lapis injiciatur, mox ingens boatus & ſtrepitus tonitrui inſtar percipi ſolet, ac mox turbido cœlo imbres copioſi funduntur. Cauſam hujus eſſe reor, quod ex immiſſo lapide turbatus lacus copioſos vapores emittat, qui exhalationibus montis immixti & per attritionem & ſubterraneos ignes accenſi, fragore tumultuent, & erumpentes inde, aptam materiam imbribus in vicinum aërem diffundant.

Ex dictis colliges primò: Fulmina ùt fulgura frequentiora æſtate, quàm hyeme: ſed amplius Autumno & Vere propter exhalationes oleaginoſas & ſulphureas, Romæ præſertim per Autumnum. In regionibus Borealibus rariſſima fulmina ex oppoſita cauſa. Vide dicta de tonitru.

Colliges Secundo: fulmen cùm ſequatur motum aëris, ideò periculoſum ad feneſtras apertas tempore fulminum morari.

Colliges Tertiò: fulminante cœlo profundiores terræ cavernas ſubire tutum; obſervatum quippe, ictum fulminis etiam lapidei non ultra quinque pedes terram penetrare.

Colliges Quartô: Cavendum â vino, quod à fulmine cruſtâ quâdam & pelle obductum; ſolet enim amentiam, aut penè mortem adferre ob venenoſas ignis hujus qualitates.

Colliges Quintò: Quanquam, ut in q. 7. annotavimus, campanarum pulſus & tormentorum diſploſio aliquando, ob rationem ibidem datam, tempeſtatibus avertendis proficua ſint, quia

quia tamen vis hæc ſoni valdè exiguam & vix ſenſibilem in vicinas nubes impreſſionem facit, cùm potiſſimùm ad latera & non ſurſum propagetur, plus virium campanis à benedictione, ac Eccleſiæ precibus, quàm rationi phyſicæ ineſſe deducitur. Quod majori jure etiam de herbis & candelis, celebrioribus feſtis luſtrali aquâ expiatis, ut bene obſervat Jonſtonius in Thaumatographia naturali, intelligendum eſt. De lapide verò ſub tectis aſſervato ad arcenda fulmina, omnino ſuperſtitio eſt.

Colliges Sextò: Flammam fulminis aquæ reſiſtere, ut ſe ab hac extingui haud patiatur, ob vaporum viſcoſitatem nimirum, firmámque cohærentiam, quæ aquam penetrare non ſinit. Accedit, quod aqua præ caloris vehementia in vaporem diſſolvatur. Lac magìs idoneum eſt, quia viſcoſitate nativa ſe rei accenſæ affigit, ac poros claudendo ignem ſuffocat. Acetum verò omnium maximè ad reprimendam fulminis flammam conducit, acre quippe cùm ſit, ſubtilitate ſua rei ignitæ poris promptiùs ſe inſinuat.

## *APPENDIX.*

IGnem aqua inextinguibilem efficere docet Albertus M. in hæc verba: olei benedicti lib. 1. olei lini lib. 3. olei de vitellis ovorum lib. 1. ex quibus fiat mixtura.

# CONCLUSIO PRACTICA.

## Quantò altiùs ſtas, tantò periculoſius.

18.




SUmma cadunt ſubito, Flavii Arcadii uſitatum Lemma erat. Non humiles myricæ, vel pauperum tabernæ, ſed faſtigiatæ turrium moles, verticatæ ad usque nubium regionem Cedri, montiúmque ac coloſſorum apices ſunt fulminum meta ſcopúsque.

Et

*Et celſæ graviore caſu*
*Decidunt turres, feriúntque ſummos*
*Fulmina montes.* Horat.

Fulmen reapſe exprimit, quod Æſopus reſpondit, interrogatus, quid faceret Jupiter? ſi Diogeni, ait, credimus: *Excelſa humiliat.* Inſcribat ſibi potentiſſimi nominis argumentum Darius Perſarum Rex: *Rex Regum, Deorum Conſanguineus.* ab eodem, quem famulum ſuum indigitabat, Alexandro M. vita & regno privatus eſt. Congerat altisſimorum nominum ſpecioſa decora Sapor itidem Perſarum Rex: *Rex Regum Sapor, particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ*; à viliſſimis pulicum & muſcarum agminibus, dum civitatem Mygdoniam jam propè victor appeteret, numeroſiſſimus ejus exercitus profligatus eſt, abjectâ muſcarum copia elephantos equóſque concitante, ut ipſe faſtuoſiſſimus Monarcha turpi fuga dilapſus Perſidem repetierit.

*Diog. Laert. l. 1. de vit. Philoſoph. in Chilone.*
*Q. Curt. l. 2.*
*Cœl. Rhodig. l. 8. c. 2.*

*Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat.*

In M. Antonio, & Julio Cæſare, in Pompejo & Beliſario, Domitiano & Tiberio Auguſto quid orbis vidit: *Plus habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris ſunt altiora.* Lactant. Fulmen inſpiciamus. Cleorchus Ponticus Heracleotarum Tyrannus veſtes Deorum indutus, altiore pegmate locatus, filium ſuum Ceravnon, id eſt, fulmen vocavit; ſibi Divinos honores expetens. Verùm:

*Seneca in Agam.*

*Magna repentè ruunt, ſumma cadunt ſubitò.* Claudi.

A Chyone, Platonis perfamiliari, velut fulmine improviſo obrutus, funus fuit. Hominum Rector, Capútque Rex eſt, tanto Deo vicinior, quanto altiore gradu locatus, venerandus ſibi, ſuſpiciendus omnibus, collega fortunæ, ſpirans divinitatem ſtatua, vitalis Reipublicæ ſpiritus, expreſſiſſimum Numinis ſimulacrum, excubitor hominum, Pro-Deus & Vicarius Sceptri Divinioris. At ſi vel uno gradu altiùs contendit, tanto ruit faciliùs, quanto divinitati aſſiſtit proximiùs. Nam *quemadmodum fulmen eminentia quævis, & celſiſſima dejicit, parcit autem arbuſtis: ſic Deus ſuperbos ubique proſternit, amat humiles.* Erat cognomento Audax Burgundionum Dux Carolus, cujus vox altiſſimorum ſpirituum tumida, qua dicebat, unum ſe futurum Principem, qui ab Oceano Britannico ad ſuperum atque inferum mare productis Imperii finibus, Chriſtianam Rempublicam à Turcarum tyrannide, exercitibus in Græciam & Macedoniam transportatis, vindicaret; at: *Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.* Sen. apud Nancæam, caput urbium Lotharingiæ miſerè trucidatus, docuit Corn. Taciti veriſſimum eſſe aphoriſmum: *Brevibus momentis ſumma verti poſſunt.*

*Sen. in Herc. fur.*

# DISSERTATIO IV.

## De Cometis.

PRimarium locum inter omnes impreſſiones igneas ſibi meritò vendicat cometes, quem cœlum rarò terris oſtendit, niſi ut eas flagellet, ſemper per eum nuntians & inferens mala, canente vate: *nunquam cœlo ſpectatum impunè cometem:* cauda ei videlicet pro flagello eſt, coma pro telis, fulgor minax figura, calor flammineus iræ nuntius & vindictæ. Unde omnium in ſe oculos convertit, ac nemo non ſcire, quid ſit, deſiderat. Et ut nil Seneca lib. 7. Natur. quæſt. c. 1. *aliorum oblitus de adventitio quærit, ignarus utrum mirari debeat an timere.* Pauca de hoc tradidêre veteres Philoſophi; Recentiorum verò in hoc explicando multa cura & prolixum ſtudium eſt. Fatetur tamen candidè Pater noſter Ricciolus Almag. l. 8. ſec. 1. c. 13. Cometa eſt, inquit: *ſplendidum ænigma à Deo propoſitum, nunquam ab humanis ingeniis ſolvendum:* Ne tamen omnis de cometa ejúſque materia & natura tollatur quæſtio, breviter probabiliorem Aſtronomorum opinionem per quæſtiones ſequentes exponemus: quare ſit

QUÆ-

# QUÆSTIO I.

## *De Cometis in genere, eorumque diviſione, ac loco generationis.*

COncluſio Prima. Cometa vulgo à comis nomenclaturam trahere ſolet, quod ſit ſtella comata, ſive crinita comarum inſtar lucem diffundens. Hæc tamen definitio in genere in ampliori ſignificatione accipienda eſt, ne unam ſolùm Phœnomenis cœleſtis ſpeciem ſignificet, nempe ſtellam comatam ſeu crinitam, & non etiam alias ſpecies complectatur. Unde alii ſic eum deſcribunt: Cometa eſt Phænomenon perpetuum, in cœlo apparens ſubinde caudatum, vel crinitum, aut barbatum. Ex quo deducitur

Concluſio Secunda: Cometa juxta diverſam figuræ habitudinem benè dividitur in crinitum, barbatum, & caudatum. Si enim radios in orbem circumquaque projectos habet, dicitur comatus vel crinitus; ſi in unam tantùm partem diffundat, idque procul, caudatus; ſi modico tantùm ſpatio, barbatus vocari conſuevit. Alii novem cometarum ſpecies tradunt. Albertus M. l. 1. tr. 3. cap. 10. quinque numerat; Plinius demum l. 2. c. 25. decem, quæ tamen omnes rectè ad has tres revocantur.

His poſitis ordo quidem poſceret, ut omnium primo in eorum cauſam materialem & efficientem inquireremus, verum quia controverſia hujus ex loco, in quo cometæ generantur, potiſſimùm dependet, an nempè in ipſo cœlo, vel in ſuprema regione aëris generentur, neceſſarium fuit, concluſionem de loco præmittere; hoc enim conſtituto, haud difficilè cadet, exponere quæſt. ſequenti, ex qua materia fiant tanta corpora, & quæ illorum ſit cauſa efficiens. Unde ſit

Concluſio Tertia. Locus, in quo fiunt cometæ propriè dicti, eſt cœlum æthereum. Unde veri omnes & legitimi cometæ ſunt ſupra Lunam. Ita recentiores Aſtronomi ferè omnes. Quorum rationes præcipuè ſunt. Primò, ex paralaxibus, quas cometæ minores habent, quam Luna; quod argumentum eſt certiſſimum majoris diſtantiæ cometarum à terris, quàm Lunæ: Corpora enim majorem exhibent paralaxim, quo ſunt altiora. Hinc propriè dicti cometæ eodem modo obſervati ſunt in India Orientali, ut in Europa; ſed non ita eſſet, ſi non in cœlo, ſed in aëre extitiſſent; ſi enim in aëre extitiſſent, non poſſent à tam diverſi mundi partibus eodem modo obſervari. Secundò eruitur hoc ex ordinatiſſimo motu, tum proprio, tum diurno, quia ſæpiùs cometæ habent motum regularem, eo modo, quo moventur ſidera. Imò aliquando exactè talem ſui motûs ordinem tenent, ut inter duos tropicos ſuum motum peragant Hinc aliqua meteora moveantur inordinatè ac tumultuariè, cometa tamen ſic moventur, ut nunquam deflectant à circulo maximo dividente cœlum in duas partes æquales, ſignum ergo eſt, illos in cœlo eſſe. Tertiò colligitur hoc ex ortu & occaſu cometarum, ſi enim illi eſſent in aëre, breviſſimo admodùm apparerent tempore; ſpatium enim conficerent breviſſimum, & propter propinquitatem viderentur velociter moveri; cùm tamen tardè appareant moveri, ſicut ſtellæ fixæ ex duratione.

Quibus omnibus argumentis efficaciſſimis poteſt etiam addi ratio ab authoritate Nobiliſſimorum Aſtrologorum, quorum diligens & accurata obſervatio rem facit prorſus indubitatam. Sic enim obſervaſſe ſe profitentur de illo cometa, qui apparuit anno 1577. Cornelius Gemma, Tycho Brahe, Mœſtlinus; de illo, qui apparuit anno 1584. Tycho & Rothmannus; de eo, quem conſpexerunt anno 1618. Keplerus, Cyſatus, Puteanus, &c. De nupero denique, qui anno 1681. ortus eſt, omnes uno conſenſu, quotquot eum philoſophicis oculis contemplati ſunt. Unde incredibile eſt viros tot támque doctos, & huic rei explorandæ ex profeſſo addictos, errare, & præ iis quidem, qui totâ nocte profundè ſtertunt, & ubi modò Ariſtotelem perlegerint, hoc uno argumento: *Ariſtoteles negat*; permoti, Aſtrologos falli exclamant. Quare ubi apertè veritas deprehenſa oppoſitum docet, minimè authoritas Philoſophi movere debet, excuſandus tamen omninò is, quia ejus temporibus nondum erant deprehenſa tot nova ſidera, neque exanimatæ paralaxes. Quamquam & hunc pro noſtra ſententia ſtare multis contendit Lycetus l. 1. de novis Aſtris c. 41.

Concluſio quarta. Non negandum tamen eſt, Meteora quædam cometis ſimilia, & cometas minùs propriè dictos apparere poſſe in aëre. Ratio eſt, primo, quia nulla eſt repugnantia, quin exhalatio terreſtris tanta in altum aſcendere poſſit, ibique accendi, lucere, & circumagi, maximè cùm ordinariè tempore cometæ ſint magni ventorum flatus & magna ſiccitas, ingens item ſolet quandoque comitari mortalitas, quæ omnia indicant magnam exhalationum exiſtere copiam. Et ſanè cum alia pleraque meteora figuras referant draconis volantis, ſaltantis capræ, aliáque hujusmodi, non videtur dubitandum, quin figuram etiam imitari poſſint cometarum.

Secundo reipſa nonnulli aliquando viſi ſunt cometæ ferè immobiles; qualis ille fuit cometes gladiatus, quem Joſephus aſſerit, diu viſum imminentem Jeroſolymæ ante illius excidium. Ita etiam narrat Sozomenus, cometam Conſtantinopoli usque ad terram pependiſſe. Refert Plinius l. 2. c. 35. viſam à Licinio Syllano ſcintillam è ſtella cadentem, creviſſe paulatim in Lunæ amplitudinem, & factum eſſe cometam lampadium. Pariter anno 1470. cometa quaſi nubes longiſſimis capillis totum decurrere Zodiacum viſus eſt idibus Januarii, ut teſtatur Bodinus.

Ex dictis colliges primo, præcedentem doctrinam Concluſionis tertiæ procedere omninò de omnibus cometis ordinariis, univerſalibus ac propriè dictis, qui nimirum ſpatio 24. horarum circuitionem circa terram ſimul cum aſtris abſolvunt.

Colliges ſecundo: Licèt locus verorum Cometarum ſit ipſum cœlum; neque tamen in eodem omnes ſunt parte cœli. Sic aſſerit de Chales Aſtronom. l. 8. prob. 3. Phyſic. multos cometas propè Solem incipere, & ſub radiis ejus latere, antequam appareant; multos quoque cometas nunquam à Sole digredi, atque ita Sole eclipſin patiente ſæpè viſum eſſe cometam, qui ſub ejus radiis tegebatur. Albumazar verò cometam anni 844. collocat inter Mercurium & Venerem; Tycho cometam anni 1577. inter Venerem & Martem reponit. Rurſus Tycho & Mœſtlinus cometam anni 1584. intra Martem & Jovem. Cyſatus cometam anni 1618. inter Martem & Venerem. Viſus anno 1680. & 1681. fuit ex communi obſervatione extra Zodiacum, & evanuit inter triangulum & caput Meduſæ.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Minetur, priusquam puniat.

Mitiſſimus eſt cœli genius, amat, cum pœnas intentat. Minari, eſt monere. Ut reliqua ſidera cœli oculi, ſic Cometæ Cœli linguæ ſunt: Terrent, ut abſterreant. Crinitus nuntius imminentia portendit mala, ut te, velut comâ prehenſum, de providentia moneat ac in omnem partem oculatum faciat. Hâc linguâ tibi ad aures loquitur, ut de futuris proſpicias: Hoc Mercurio te excitat, ut in omne latus invigiles; hâc virgâ pœnas intentat, at non intendit; ſed ut tu animum intendas, ictum prævertas. Neque enim tuam tam amat ruinam, quàm quærit vigilantiam. Quòd ſi punire vellet, neque virgam extenderet minantem, neque Mercurium ſubmitteret excitantem. Nemo enim, ferire cùm vult, dicit; cave. *Seneca.* Minantis & amantis, hic genius eſt; non ut puniat, ſed ut parcat. Parcarum eſt, non parcere; at Principum eſt: *Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos*; Cùm & animalium Princeps leo ſupplicibus parcit catellis, & agnis ignoſcit. *Punire potuiſſe, ſatis eſt pœnarum.* Comminatoriam virgam extende, tela acue, juſtitiæ arma prehende: at non ſemper brachium exere, nonnunquam lacertum Juris contrahe. Nam

*Claudian. de Iſtrice.*

*Iraque nunquam*

*Prodiga telorum eſt: cautè contenta minari.*

Odoardi Parmenſium Ducis virtus fuit, ſæpiùs ad fulmina, & comminatorias virgas à ſceleratis provocatum, & contentum fuiſſe, minis ac formidine incuſſa, terruiſſe quidem, ſed & à ſcelere abſterruiſſe. Nam & cœlum cometam retrahit, flammeum enſem recondit: quando maturè *Piſcator ictus ſapit.* *Aloyſ. Juglas.* Victorium Amadeum Sabaudiæ Principem ingenioſus Poëta dilaudans, horologium ſolare figuravit, quod tametſi gnomone, ſeu virgâ ferreâ inſtructum, nullos tamen alios niſi umbratiles ictus ſpargit: *Ferrea virga, umbratilis ictus.* Digna Principe effigies, qui

qui minas formidandas, at moderata ſupplicia infert. Loquatur Romanorum Philoſophorum anteſignanus Seneca: *Nulla Regi gloria eſt ex ſæva animadverſione. Quis enim dubitat,* *Sen. l. 1. de Clem. c. 17.*

19.




*poſſe? at contra maxima eſt, ſi vim ſuam continet.* Agathias Hiſtoricus de Narſete ſupremo Imperatoris Belliduce refert, quòd Luccam, Hetruriæ civitatem, obſidione adeo arcta ſtrinxerit, ut cives obſidibus miſſis deditionem obtulerint, niſi triginta dierum intervallo auxiliares copias reciperent. Dilapſi dies, ſed fide non ſteterunt obſeſſi. Acti ergo in rabiem cœteri Belliduces Narſetem ad ultionem perfidiæ, obſidum obtruncatione concitârunt. Ergo hi, religatis manibus propè urbis Mœnia in civium facie capite plectendi ſiſtuntur, *Milites verò* (Hiſtorici verba ſunt) *ſtrictis gladiis violentiſſimè feriebant, ſed illata plaga ſine illorum pernicie, ligno infligebatur.* En ferream virgam, & umbratilem ictum. Sæpè ſic minatum fuiſſe profuit ad correctionem. *Agat. l. 1. de bell.*

# QUÆSTIO II.

## *De cauſa materiali, formali, & efficiente Cometarum.*

CONcluſio prima: Cometæ non fiunt ex conjunctione vel ſynodo notorum Planetarum. Ratio eſt, quia evidenti experientiâ manifeſtum eſt, videri Cometas, & ſeparatos Planetas vulgares. Præterea uti paulo ante ad finem quæſt. prioris dictum, extra Zodiacum quandoque obſervantur cometæ, unde non exorbitant planetæ.

Concluſio Secunda: Nec eſt conjunctio aliquorum ſemiplanetarum, qui minimi cùm ſint, quilibet ſe ſolo videri non poteſt, cum alio tamen, vel cum aliis conjunctis maximè.

Primò, quia conjunctio unius planetæ cum alio brevi temporis intervallo durat, ut videre eſt in novilunio, & Solis eclipſi; ſed cometæ aliquando ſex menſium ſpatio conſpiciuntur. Secundo: Quia cometa ſtatim incipit in majori quantitate, quàm quæ à duobus vel tribus ſtellis confici poteſt & ad eam devenit magnitudinem, quæ non niſi pluribus ac pluribus ſtellis poſſit componi; ſed non eſt credibile, tot occultas errare, & ſeſe oſtendere ſtellas, aliàs frequentiùs ſibi occurrerent & conjungerentur. Confirmatur, quia Attalo regnante effulſit cometa totum lacteum circulum complectens, ſed ſi ex planetis coaluiſſet, non omnes, qui exiſtunt, ſufficerent, ut patet; ergo. Deinde obſervaretur earum ſtellarum acceſſus mutuus, & receſſus.

Concluſio Tertia: Nec ſunt ſidera, non nata quidem de novo, ſed tantùm de novo apparentia, nec aſtra errantia, quæ per ingentes Epicyclos volvantur, atque ita ex ſummo cœlo, ubi propter ſummam diſtantiam non poſſunt videri, deſcendant interdum & conſpicua fiant; neque ſunt ſtellæ caudatæ, ut ſentit Cardanus, quæ tamen terris caudam ſuam non ſemper obvertant, ut appareant caudatæ. Ratio eſt, quia inprimis ſine fundamento finguntur ignitæ hujusmodi circulares orbitæ. Secundo, ſi deſcenderent ex ſublimiori loco cometæ, ac ſi fierent conſpicui, deberent initio minores apparere, cum videlicet ex alto veniunt, ſenſimque accedunt; hoc tamen conſtat eſſe falſum.

Concluſio quarta: Non eſt ſtella apparens detectis maculis & quaſi velamento materiæ ſtriatæ, illam ante contegentis, ut vult Carteſius; quia perindè maculæ iſtæ, ex vorticibus Carteſianis erumpentes, ſtellas fixas quandoque occultarent, quod nunquam factum.

Concluſio quinta: Nec materia eorum ſunt halitus pingues & viſcoſi ex aqua & terra etiam ſuper lunam elevati. Nam hoc prorſus improbabile videtur, quia tanta interdum cometarum eſt magnitudo, ut terram millies excedant; & aliqui obſervati ſunt durare per ſex menſes, alii per unum, alii per duos annos; unde neceſſe eſſet, ut terra tota ſolveretur in halitus, ex quibus tanta & tam craſſa moles conficeretur. Deinde non videtur credibile, quod aſcendere poſſint halitus terreſtres ſupra Jovem.

Adverte tamen concluſionem hanc procedere de cometis propriè dictis & ſuperlunaribus, illos enim cometas minùs ſtrictè tales, quos dixi præced. quæſt. aliquando apparere in aëre, non renuo conſtare poſſe ex halitu terreſtri accenſo in ſuprema regione aëris, modò tamen parvi ſint, & non diu durent; vide rationes ibidem aſſignatas. Rejectis igitur aliorum ſententiis ſit

Concluſio ſexta: Probabiliſſimum eſt, cometas fieri de novo ex materia & vapore cœleſti effluente tum ex materia ſolari, tum aliorum planetarum, qui vi ſiderum condenſatus & alteratus vel accenditur, vel certè radios Solis excipit inſtar ſiderum. Ratio deducitur ex dictis, quia à materia ſublunari, vaporibus & exhalationibus terræ fieri non poſſunt, ut patet ex allatis rationibus. Ergo, à materia ſuperlunari. Secundo, quia certum eſt, maculas & faculas erumpere à Sole majores ipsâ terrâ: eſt autem obſervatum apud Ricciolum, uti & ſe obſervâſſe teſtatur P. Chriſtophorus Scheinerus in ſua Rota Urſina, quod eo tempore, quo cometæ apparent, nulla apparuerit macula circa Solem, ut anno 1618 Quod ſignum non omnino vanum eſſe poteſt, materiam illam ſolarem (uti quoque cæterorum aſtrorum) longius à Sole effuſam in cometam efformatam fuiſſe. Tertio, ſi novæ ſubinde in firmamento ſtellæ ſunt ex materia cœleſti natæ, quæ deinde iterum conſumptæ quaſi exſpirârunt, cur non poteſt ibidem ex eadem ſtella caudata aut crinita naſci, & ad tempus lucere? Hinc orta celebris illa cœleſtium cometarum à ſeptem planetis ſumpta diviſio, qua Saturno plumbei, Jovi argentei, Marti rubei, aurei Soli, flavi Veneri, cœrulei Mercurio, pallidi Lunæ adſcribuntur.

Concluſio ſeptima: Cauſa formalis, ſive forma ſubſtantialis cometarum eſt eadem cum cauſa formali, ſive cum forma ipſius cœli. Ratio eſt, quia vapores & exhalationes habent eandem cum aqua & terra, à quibus exeunt; ergo etiam cometæ eandem habebunt formam cum cœlo planetarum, à quo per virtutem Solis & ſiderum generantur.

Concluſio octava: Cauſa effectiva cometarum eſt ipſa vis activa Solis & ſiderum. Nam quemadmodum vis activa Solis, & ſiderum & planetarum poteſt influere & alterare corpora ſublunaria, ita etiam poterit alterare corpora cœleſtia illa condenſando, calefaciendo & illuminando.

Colliges primo ex P. Arr. D. unica de cœlo. ſec. 3. n. 2. Aliquos Cometas eſſe miraculosè à DEO procreatos, & hi poſſunt è quacunque materia fieri & procreari, quia cum à Deo miraculosè fiant, non repugnat, à DEO illos ex quacunque materia ad illius beneplacitum procreari.

Colliges ſecundo: Cometam ſublunarem & minùs propriè dictum eſſe exhalationem pinguem, craſſam, copioſam, partibus benè denſis in ſuprema regione aëris accenſam. Cauſa vero efficiens horum cometarum eſt tum calor vapores copioſos attenuans, & usque ad ſupremam

mam aëris regionem evehens, tum Sol materiam congregatam accendens. Sunt etiam inter hos cometæ, teſte P. Cabæo, qui ſolo aſpectu Solis, aut alterius aſtri illuminantur, nec ardent.

Colliges tertiò ex Hevelio, unicum Solem quovis tempore tantum materiæ & exhalationum evomere poſſe, ut ex illa materia uno anno ejecta, 130. ampliùs tales cometæ, qualis anno 1664. luxit, progenerari poſſint. Unde quid de cæteris planetis dicendum ſit, judicandum relinquit. Præterea non tantùm non miraculum eſſe dicit, quòd tot cometæ uno ſæculo prodeant, ſed potiùs, quòd tam pauci, cùm Sol tantam materiæ copiam uno anno poſſit ejicere. Putat itaque, multos cometas vel à nobis longè remotos, vel parvos nobis eſſe inconſpicuos; ideò verò tam rarò apparere, quòd cometæ ex diverſis planetis profluens materia non facilè in unam maſſam coire poſſit, cum raro cometa ex unius planetæ materia naſcatur. Verum & alii graves Authores cenſent, plures cometas ſæpè in cœlo exiſtere, quàm ut omnes à nobis conſpiciantur; imo in eclipſi Solis totali tales propè Solem obſervatos eſſe.

Colliges quarto: Maculas ſolares, ex quibus non fieri cometas docuimus, nihil eſſe aliud, quàm umbræ quædam minutæ cum luce ad inſtar fumorum, qui à ſuperficie Solis bullientis in æthera ejiciuntur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Virtus oppreſſa reſurget.

20.




NOn adeo Flavii Heraclionæ Symbolum tenet: *Mali principii malus exitus*; quin aliquando poſt triſtia nubila phœbus alacrior; poſt ſiniſtrum aſpectum minantis cometæ, meliora ſidera ſecuta ſint. Id teſtatum facit funeſtiſſimus ille ſexcentarum adverſitatum tabellarius,

qui vigeſima ſexta Decembris anno 1680. triſtia quæque ac ominoſa nunciavit. Cometa erat, qui ſtationem initio in Antinoi, aliàs Ganymedis æde poſuit, ſidere hoc integrè occupato. Traducta per Antinoi corpus ſiderea virga conſtellationem aquilæ ita poſſedit, ut collum ejus flammeo enſe ſecuerit, ſtella illic colliucente penitùs obtecta. Eo tandem *Facula* ſe hæc extendit, ut Delphini dorſum radens ad usque dexteram Cygni alam pertigerit. Curſum deinde mutans, Pegaſo ac Andromedæ imminuit. Fuiſſe Ganymedem ſuper Aſiæ partem Monarcham, ac grave inter reges bellum concitâſſe, ſcribit Sabellicus. Aquilam Romani inſigne Imperii, Delphinum tempeſtates portendere, Cygnum ſeu olorem candidum colore, Facis nuntium, quis ignorat? Hac ſiderum conjunctione nemo non per flammantem cœli linguam graviſſimam tempeſtatem ab Aſiatici Ganymedis gladio Romanæ Aquilæ denunciatam interpretabatur; eam nimirum, qua univerſam Hungariam ac Auſtriam inundavit; fixis ad ipſum Romanæ Aquilæ nidum Viennam hoſtilibus caſtris & hac Imperatoriá ſede in dubiam aleam redacta; malo principio Auſtriam funeſtatam, hodierni cineres loquuntur, & tantùm non univerſalem cataclyſmum ſanguinea cometæ cauda denunciâſſe timebatur. Verùm ſic hoſtili gladio ex omni latere ad uſque jugulum petita Aquila ſelici exitu coronavit principium malum: quando velut Cygnus aquis ablutus non obrutus, Pacis candorem, armorúmque ſilentium cum Delphino anno 1697. iniit: Eſt autem Cygnus pacis amicus, Æliano teſte. Ottomannum autem Ganymedem, qui velut marina bellua Auſtriacam Andromedam uno rictu, hiatúque ſorbere aſſurrexit: non tantùm Lotharingici Perſei, advolantisque Polonicæ albæ aquilæ auxilio ex Chriſtianitatis corde Viennâ avertit: ſed & ipſum tanquam Prometheum vinculis ligatum repetitis victoriis vulnerat, recentique usque fermè ad internecionem clade die 11. Septembr. 1697. ſauciavit. In pietatis armis entheatus Politicus, licet funeſto terreatur ſidere, glorioſa tamen lauro finem coronabit. Nam & ſiderum Monarcha principio nubibus involutus, mox erumpit illuſtrior; & fax jactata clariùs rutilat, & aurum in igne probatum purgatur, & navis agitata procellis altiùs ſurgit, velocius currit, ipſi turbines flabra ſunt, quibus ultra Herculis cancellos portatur. Et Auſtriaca Poteſtas tot probata caſibus, vexata inſidiis, jactata fluctibus, ſelici exitu in utriusque & orientis & occidentis Imperium glorioſa inferet vexilla, ex utroque Cæſar.

*Sabell. l. 5. Enn. 1.*

*Ælian. l. 1.*

# QUÆSTIO III.

## *De Figura ceu prima proprietate Cometarum.*

Quinque potiſſimùm quaſi proprietates cometarum, de quibus quæſtio inſtitui poteſt, obſervantur. Prima eſt figura, præſertim cauda illa minax, quæ flagelli inſtar mundo ſublunari exoritur. Secunda eſt magnitudo, tertia color, quarta motus, & quinta demum duratio. De prima hìc duntaxat erit ſermo, tametſi jam ſuperiùs in quæſt. 1. aliquid ſit actum. Hanc fuſiùs & eleganter M. Manilius l. 1. Aſtron. hiſce verſibus expoſuit:

*Diverſas quoque per facies accenſa feruntur*
*Lumina, quæ ſubitis exiſtunt nata tenebris.*
*Nam modò ceu longi fluitent de vertice crines,*
*Flamma comas imitata volat, tenuisque capillus*
*Diffuſos radiis ardentibus explicat ignes.*
*Nunc prior hæc ſpecies diverſis crinibus exit,*
*Et globus ardentis ſequitur ſub imagine barbæ.*
*Interdum æquali laterum compagine ductus,*
*Quadratamvé trabem fingit, teretémve columnam.*
*Quin etiam tumidis exæquat dolia flammis,*
*Procero diſtenta utero, parvósque capillos*
*Mentitur parvos ignis glomeratus in orbes.*
*Hirta figuratur tremulo ſub lumine meſſis.*
*Lampadias fiſſus ramoſos fundit in ignes.*

Ita fulſit cometa facis ardentis inſtar anno Chriſti 1. & anno 68. viſus gladio flammivomo ſimilis, imminens urbi Hieroſolymæ. Anno deinde 72. jaculi ſimilitudine apparuit; columnæ verò imaginem referens ortus eſt anno 384. ſimiliter & lanceæ figuram retuliſſe notatus anno

550.

550. In modum maximæ trabis per 4. menſes viſus eſt 1017. Mirabilis & ſingularis planè videbatur cometa anno 1180. nam ſerpentem hirſutum repræſentans nunc progrediebatur; nunc in ſpiras ſe colligebat; nunc cum horrore intuentium, quaſi inferiores ex alto devoraturus eſſet, humani ſanguinis avidus vaſtum rictum aperiebat. Anno 1511. illuxit cometa in Lombardia inſtar ignei pavonis, è quo, cùm evanuiſſet, tres lapides ſulphurei deciderunt, quorum primus 160. alter 60. tertius 20. libras pondere æquavit. Anno 1541. cometa viſu terribilis Draconis formam referens, caudâmque prælongam igneam extendens die 2. Aug. conſpectus eſt. Hæc occaſione figuræ diverſæ in cometis annotatæ, eruditionis causâ annectere placuit.

Obſerva tamen, differentias cometarum potiſſimùm ex ſola diſpoſitione viſûs noctis inter Solem & cometas oriri, procul nempè hujusmodi corpora aliter ac aliter in oculos noſtros incurrunt. Unde benè etiam Seneca l. 7. c. 11. de cometis diſſerens ait: Sive ſint aliquæ differentiæ illorum, ſive non ſint; eâdem fiant omnia ratione neceſſe eſt. Quod ſi tamen cometæ extraordinariâ & inſolitâ apparuiſſe figurâ, quales paulò ante enumerati cenſentur, ab Aſtronomis adnotentur, ſingulari haud dubio divinâ ordinatione ad erudiendas mortalium mentes de ſecuturis inſolitis ſiniſtræ aut proſperæ ſortis eventibus ita effigiatos fuiſſe credi poteſt.

Dubitabis nihilominus & quæres, quomodo caput cometæ conſtitutum ſit? Reſp. & ſit

Concluſio prima: Caput cometæ formatum ex materia cœleſti, benè compacta ambitur & cingitur ab exhalationibus vel partibus æthereis minùs denſis & opacis. Rurſus licèt ſit opacum ac lucem reflectat, habet tamen etiam aliquam diaphaneitatem, qua lucem transmittit, ſive conſtat tenuiori, & dilutiori materiâ porisque interſita, ut radiis ſolaribus haud difficulter tranſitum concedere poſſit. Non eſt accenſum, ſed duntaxat à Sole illuminatum. Ratio aſſerti ultimi, de quo maximè controverſia eſt, ex eo deſumitur: quia ſi cometa ignis eſſet, motus ejus nequaquam eſſe poſſet adeò regularis, & conſtans, neque caput ferret, neque comam projiceret, utpote temerè propulſus violento actionis igneæ impetu, neque durare tamdiu poſſet. Deinde ignis perpendiculariter ſurſum tendit, cometæ verò cauda deorſum aliquando, ſæpè oblique, & ſemper rectâ ex adverſo Solis porrigitur. Hinc ſequitur

Concluſio ſecunda: Cauda cometæ eſt rarior adhuc materia, quàm illa, unde caput cometæ conſtat, ſed ejusdem tamen rationis. Non verò eſt ab intrinſeco accenſa & ſplendida, ſed opaca & illuminata à ſolari lumine per caput cometæ transmiſſo. Ratio eſt, quia, ſicut per quodlibet foramen, aut particulam vitream convexam Sol radioſa pyramide in conclave illucet; aut per varias ſæpè nubes luminoſus tractus ſurſum, deorſúmve projicitur, cùm vel ignea cœlo tela mitti, vel cœleſtes virgas vibrari dicimus; eodem modo transparens eſſe poteſt cometæ corpus, & ideò radii ſolares per illud vibrantur. Sic etiam conſpicitur in vitreo globo ſolido, aut aquâ pleno, ita per anguſtum foramen in obſcurum cubiculum illabente, ut pars radiorum in parietem album incidat, pars margine globi excipiatur. Confirmatur hoc potiſſimùm ex eo, quòd in omnibus cometis, qui ab annis centum apparuêre, cauda ſemper in adverſam à Sole partem protenditur; quod argumentum eſt, caudam illam eſſe rariorem materiam à radiis Solis per caput & corpus cometæ trajectis & refractis illuminatam. Aliquando tamen obſervatum eſt, cometam caudam projicere in oppoſitum alterius ſtellæ valde lucentis, & præcipuè Veneris, quia tunc cauda formatur ex radiis Veneris. Hinc

Benè explicari poteſt primò, cur cauda minùs ſit illuminata, quàm corpus cometæ, ratio eſt, quia exhalationes & partes ætthereæ rariores, formantes caudam, ſunt minùs opacæ, atque adeò reflectunt minorem lucem, quàm corpus cometæ.

Explicatur ſecundò, cur cauda ſoleat eſſe latior in fine, quàm in principio, imaginem pyramidis inverſæ effigians. Ratio eſt, quia radii refracti poſtquam uniuntur in aliquo puncto, deinde decuſſantur, & divaricantur, atque adeo poſt decuſſationem caudæ incipit lateſcere. Seu ut alius fors clariùs explicat; quia in priori parte cometæ collecti ſunt radii, deinde vero paulatim diſſecantur & diffunduntur, eo ferè modo, quo nebuloſo interdum cœlo Sol per quædam nubium foramina radios, & virgarum veluti faces jaculatur in exitu compreſſos, ſed paulatim ſe diducentes & ſpargentes.

Explicatur tertio: Cur aliqui cometæ criniti ſint, alii barbati? quia aliquando radii materiam cometæ denſiorem non poſſunt pervadere, ſed hàc illàc diſperguntur, & rebulliunt in ſuperficiem, eámque veluti coronant, & crinitam efficiunt. Quia vero radii ſæpiùs non perruperunt initio materiam, poſtea vero diſſolvente ſe materiâ viam reperiunt, propterea contingit non raro, ut barbatus ex crinito fiat cometes, ſicut vice verſâ ob contrariam rationem ex barbato efficitur crinitus. Cujus etiam rei cauſa eſſe poteſt, major aut minor acceſſus ad Solem, ut benè obſervavit Tycho in cometa 1584. cùm enim propior Soli eſt Cometes, comantibus apparet radiis, cùm recedit, promittitur illi cauda.

Expli-

Explicatur quartò: Cur Cometæ aliqui caudam initio non habent, deinde verò illam acquirant, vel etiam illam amittant; hoc enim ex eo evenit, quia radii non initio penetrant opaciorem materiam, quam deinde ſenſim pervadunt; ſin autem condenſetur materia, Cometæ priùs comati aut caudati, glabri omnino fiunt.

Argues tamen adhuc contra dicta primò: cauda cometæ aliquando non omnino in directum Solis, ſed deflectendo ab oppoſito in aliquam partem projicitur, ut de cometa ann. 1558. obſervat Rothmannus, de cometa anni 1577. notat Tycho, & de cometa ann. 1518. aſſerit Snellius, quando cauda non illuminatur à radiis ſolaribus. Reſpondeo, oriri hoc ex diverſa figura cometæ, quæ figura cauſat diverſam refractionem; ſive clarius: fieri hoc, quia radius propter profunditatem & variam opacitatem capitis cometæ avertitur, ut non exeat in oppoſitum; ideóque ſolet id evenire ipſo ſtatim initio, quando adhuc eſt opacior materia, & indigeſta; ubi autem opacitas illa major fracta fuerit, laxat exitum, & tunc radius in directum emicat.

Argues ſecundò: Et eſt potiſſima objectio, licèt radii per refractionem inflectantur, & faciant angulum, adhuc tamen nunquam propagantur per lineam curvam, ſed ſolùm per rectam, conſtat autem, quòd ſæpè apparuerit cauda curva, falcata & arcata, ergo. Reſpondeo, ut ſuperiùs annotavimus, id oriri ex ſenſuum illuſione. Neque enim eſt novum, rectam lineam contemplanti à longè videri curvam. Sic navigantibus littora etiam recta videri curva. Ratio vero à priori poteſt deſumi ex definitione lineæ circularis, atque adeo curvæ; omnis enim linea, cujus omnes partes æquè diſtant ab aliquo puncto, quod eſt centrum, eſt circularis, & curva, ſed aliquando linea recta poteſt ita videri à longè, ut oculus non diſtinguat, quæ pars ſit diſtantior, ſed ita, ut omnes videantur æque diſtare ab oculo, unde tunc objectum videbitur circulare & curvum. Secundo poteſt dici, quod tunc falcata appareat cauda, quando aliæ illius partes apparent altiores, aliæ depreſſiores; tunc enim fit quædam quaſi curvatura. Atqui partes illæ, quæ ſunt propiores ſpectanti, apparent altiores, quæ vero remotiores ſunt, apparent depreſſiores, ſicut in longa porticu extremum tabulatum notabiliter inclinari videtur; ideo cometæ cauda licèt recta ſemper ſit, videtur tamen aliquando arcuata. Vel demum poteſt id accidere propter refractionem radiorum in capite ipſius cometæ, eo modo, quo remus in aqua fractus apparet.

Colliges, quod in cometis ſublunaribus, qui fiunt per accenſionem, cauda poſſit formari ex vaporibus accenſis in longum protenſis. Unde contingere potuit, quemadmodum Hiſtorici teſtantur, ut aliquando cometæ ſublunares ſcintillas in terram excuſſerint.

Colliges ſecundò ex Hevelio, nullum cometam propter diverſitatem materiæ, halituum ſcilicet, nucleorúmque commotionem, tum etiam diverſiſſimam diſtantiam cometæ à terra colorem, luménque ſuum, licèt hoc prorſus à Sole hauriat, illum verò etſi ex unico tantùm Planeta deducat, conſtanter per totum apparitionis tempus conſervare poſſe, ſed aſſiduè lumen, colorem, formámque capitis eapropter mutare, & non niſi certis quibusdam diebus ſplendidiori, amœniori, & majori ſpecie videri.

Colliges tertiò: Quo altiori loco cometæ exiſtunt, eò cauda neceſſario minor comparebit; in altiſſimo vero æthere ne quidem ulla ſæpè comparere poterit; nam quo altiori loco cometa exiſtit, eo Sol magìs poſt ipſum corpus cometicum caudam producendo occultabit. In altisſimo autem æthere, cùm ob minùs reputandam diſtantiam Solis & terræ linea directionis caudæ à Sole per corpus cometæ producta fiat propius parallela lineæ viſionis in terra; ideò cauda neceſſario poſt ipſum corpus cometicum projecta viſui terreno patere non poterit. Ita credibile eſt, ſi ſtellæ remotisſimæ firmamenti radios ſolares trajici permitterent ſicut corpora cometica; quod ſingulæ à Sole colluſtratæ haberent poſt ſe caudas, quæ tamen hìc in tellure à nobis ob immenſam diſtantiam obſtantibus earum corporibus videri non poſſent.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.
## Incentores malorum ne tolerentur.

21.

N. 21.




PIè crudelem te cupio, Politice. Teſte Sophocle, Medici amaram bilem amaro remedio *Soph.apud*
diluunt. Cometæ ſiderum abortus, & amari nuntii morborum atque bellorum, acuta orien- *Plut.*
tis Solis luce pelluntur. Caudatis his oculis Sol ſpina eſt. Venenatas beſtias flammeus gladius expurgat. Paradiſus non tolerat aſpidis venenum. Malorum incentores venenum humanæ converſationis ſunt, in commerciis contagium: contactu nocent. Abortus humani generis ſunt, peſtis Reipublicæ. Pia crudelitas eſt exilii aut pœnæ malo malo mederi, ſemina opprimere impietatis. Scelus amat, qui tolerat ſceleratos. Impius eſt, qui cùm poteſt, non vult ſcintillas incendiorum reſtinguere. Graſſatur in vicinas ædes flamma, cùm proximus ardet Ucalegon; & ni è conſortio peſtifer ablegetur, ſocium intoxicat; huic qui ſocietati favet, fovet. Unius culpa in plures redundat: & *malus ipſe fiet, qui malo convixerit*; Menander. conſentit malo, qui malos tolerat; tolerat, qui non tollit. Monet Statius Poëta:

*- - - Primo in limine ſiſte* *Strab.l.5.*
*Conatus ſcelerum, atque animos infanda parantes.*

Extinctum carbonem qui tangit, tingit manus. Scelerato qui convivit, fit ſocius culpæ: hic niger eſt, hunc tu cavere memento. *Quotidiano contactu etiam ſapientiæ ſtudioſi contaminantur.* Juſt. Lipſ. Reſcindantur pernicioſa membra, ne corpus Reipublicæ inficiatur. Verrem & Catilinam quot Philippicis inſequebatur Romanorum Conſulum eloquentiſſimus; ne ſuis ipſi probris avitæ gloriæ notam inurant, ſuique ſequaces in partem pertrahant morum corruptelam. Ovidius canit: *Lipſ.l.2. manuduct. diſſert.21.*



Dum

*Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi*
*Multáque corporibus tranſitione nocent.*

Integer grex quomodo lue correptus abit in ruinam? à vicina ove labes contrahitur: & ſerpit membrorum conſanguinitate inteſtinum morbi malum, quoad propinquitate cor, vitæ caput corripiatur.

*Juven. Sat. 2.* *Dedit hanc contagio labem.* Juvenalis.

Cùm Hannibal *Romam comprehendere bello* quæreret, Saguntinos belli incentores aggreſſus eſt. Cùm domeſticis ſeditionibus res Romana turbaretur, in diſſidiorum capita Julius Cæſar animadvertit. Et Alexander coërcitione tredecim ſeditioſorum militum toti exercitui quietem invexit. Semina malorum elide, & pernicioſa herba non pullulabit. Fontem obſtrue, ne in torrentes excreſcat. *Livius l. 26.*

# QUÆSTIO IV.

## *De magnitudine, colore, motu, duratione, & reliquis proprietatibus Cometarum.*

CONcluſio prima. Cometarum magnitudo varia eſt, ſive in capite, ſive in cauda. Patet hoc ab inductione variorum cometarum. Ann. 1427. viſus cometa 4000. milliarium germanicorum occupavit, qui anno 1456. fulſit plusquàm duo cœli occupavit ſigna. Tantum annus 1556. ſpectavit, *ut* (verba ſunt Bodini) *non tantùm exſpirationes leviſſimæ & aridæ, ſed nec omnes quidem ſylvæ ac nemora, quotquot erant ubique terrarum, pabulo bimeſtri, quo luxit, ſufficere potuiſſent.* Teſtatur Tycho caput cometæ anni 1577. fuiſſe dimidiâ parte minus, quàm Luna. Cometes autem anni 1618. fuit milliarium Germanicorum 382700. ſicque potuit ſeptuagies totam terram circumligare, imò, ut ait L. Rhodes, ſeptuagies poſſit aliquis totam terram percurrere citiùs, quàm caudam illam adeò magnam. Sub Ariſtæi Imperio lucens cometa tertiam cœli partem longitudine implevit. Attalo regnante tantus erat, ut in immenſum extenſus, cœli plagam, cui lactea nomen eſt, æquaret, ita teſtatur Seneca qu. nat. l. 7. c. 15. Longitudo ultimi cometæ 1680. varia fuit, donec minor ſemper factus tandem evanuerit. 29. Decemb. 60. gradus in circulo ſuæ Sphæræ maximo occupavit, qui in globo terreſtri efficiunt 900. milliaria Germ. Latitudo verò eodem tempore habuit 4. gradus ſeu 60. milliaria. Ex quo univerſaliter deducitur, ſuperlunares maximè cometas, de quibus potiſſimùm agitur, ingentis omninò vaſtitatis eſſe debere, cùm eandem cum planetis altitudinem occupantes, longè tamen majores ſpectantibus appareant.

Notandum tamen ex Hevelio, duplicem eſſe cometarum magnitudinem, aliam apparentem, aliam veram; illa eſt, quæ oculorum judicio, & inſtrumentorum dimenſione, vel etiam à rudioribus ſecundùm pedes, ulnas, imò perticas & haſtas diſcretione factâ deſignetur, quæque pro temporis diverſitate ſit diverſa. Vera autem eſt ea, quam revera poſſidet cometa, atque in ſemidiametris terræ, vel ſecundùm milliaria aut ſtadia determinatur. Apparentem proinde longitudinem oriri docet ex vario cometarum ſitu, diſtantiâ à terra, item elongatione à Sole, angúloque viſionis & ſimilibus; veram autem caudæ longitudinem ut plurimùm ab amplitudine Atmoſphæræ cometicæ dependere ait, ita ſcilicet, ut hæc eò major ſit, quo Atmoſphæra amplior, nucleique capitis ſolidiores ſunt.

Concluſio Secunda: Color Cometarum non eſt verus, ſed tantùm apparens, illéque varius & multiplex juxta variam diſpoſitionem materiæ. Candidus ſeu albi coloris cometa ex materia rariore, ut patet in lino ſuccenſo & magis tenui, & dominio Mercurii oritur, unde Mercurialis vocatur. Rubicundus ac ſanguineus propter denſitatem ac craſſitiem exhalationis, ut in pice videtur, propterque dominium Martis conſpicitur, unde Martialis à Mathematicis dicitur. Lucidus naturam refert ſui gubernatoris Jovis, quem ob id Jovialem nominant, quia Jupiter nec eſt fulgoris rutili, neque albicantis, ſed medii. Si denique materia cometarum multum compacta eſt, dabit colorem puniceum, qualem ligna duriora fundunt: ſi humida cæruleum referet, qualis in vino ſublimato ſpectatur. Minerales etiam exhalationes coloris diverſitatem cometis ſublunaribus affundere pariter poſſunt, nam candidam camphora, pix græca rubeam, ſulphur cæruleam, ſal ammoniacus viridem, antimonium crudum ruſam, ſcobs eburnea ſublividam alit flammam. Veriſimile etiam valde eſt cometas in colore rubicundiores ignéoſque magis & lucidiores, nobis plerumque eſſe viciniores.

Obſervant præterea Aſtronomi, quòd Lunâ præſente magna variatio cometis induci ſoleat; nam obſcurius & pallidius illorum corpus plerúmque comparet cum minori cauda. Lunâ verò occidente & occumbente mox corpus lucidius cũ cauda longiori in conſpectum venire appetit.

Concluſio 3. Motus Cometarum duplex eſt, unus diurnus, quo circa terram volvuntur ſpatio viginti quatuor horarum. Aliter vocatur motus raptus, & primi mobilis ab oriente in occaſum, quo unà cum Sphæris cœleſtibus, ſupremaque aëris plaga in gyrum volvuntur.

Alter

Alter proprius, quo movetur in circulo maximo circa Solem, vel ab occaſu in ortum, vel à Septentrione in Auſtrum, vel ab Auſtro in Septentrionem. Seneca narrat duos, unum tempore Claudii, alterum tempore Neronis motos à Septentrione in Auſtrum. Unde communior eorum motus eſt in Septentrionem, quod Ariſtoteles & plerique Aſtronomi obſervaverunt. Ita teſtatur Nicephorus de cometa viſo tempore Theodoſii: Regimontanus de cometa 1475. Gemma Friſius de cometa 1552. & alii de eo, qui viſus eſt anno 1618. & penè omnes affirmant de nupero, quia affulſit 1680. in noſtra regione à 26. Decembr. usque ad 5. Febr. anni 1681. à ſpica Virginis progreſſum dirigens verſus Ganymedem, ubi ad diem 26. Decembr. miri ſplendoris albicantis caudam amplam, valdéque illuſtrem & longum per collum Aquilæ, ultra etiam alam dextram Cygni trajiciens apparuit: Perrexit porro per caudam Delphini, Equum minorem, Pegaſum, caput Andromedæ, & caput piſcis Borealis ad Triangulum; ultra quod caudam rariſſimam & tenuiſſimam exhibens, tandem in Februario diſparuit.

Quæres, quæ ſit cauſa hujus poſterioris motus? Reſpondeo, cùm cometæ motus eſt regularis, qualis ſolet eſſe ſuperlunaris, referendus eſt in intelligentiam, ſicut motus Aſtrorum, eſt enim incredibile, quod excogitarunt Keplerus & Cyzarus motum illum trajectorium eſſe inſtar fulminis; quomodo enim ille poſſet eſſe adeo perennis & regularis. Cùm vero irregularis obſervatur, ſignum eſt, cometam eſſe elementarem, & temere ferri huc & illuc ludibrio cauſarum accidentalium. Movetur enim cometa ad motum ſui pabuli ex ſeptentrione ſcilicet, ùt aſſerit Seneca in occidentem per meridiem, & ex ſeptentrione in orientem, ſecutus non certam viam, ſed pabuli ſui venam, quoniam ignium materia ſuum alimentum ſequitur, ut eſt videre in ſtupa. Hinc aliquando agitur motu, ſi nempe deficiat materia ex parte inferiori, ſi vero ex eadem parte accreſcat, rapitur motu deorſum inclinante. Præterea varium ſeu erraticum cometæ hujus motum à ſidere prædominante fieri præter Ariſtotelem teſtatur Scal. exerc. 70. & 131. qui ſic ſcribit: etenim, quam materiam informem ſidus ab ima noſtra traxerit regione, quare nunc abs ſe compactam, formatam, libratam, ſibi propiorem non ſecum evehat? ſuſtinet igitur eum ſtella, & ut ita dicam, parens ejus: quaſi cùm à Sole nubes ſuſpenduntur. Quid mirum ſi ſecum trahit? eadem namque poteſtate quippiam & attrahi & retineri alibi diſputatum eſt. Hæc Scalig.

Hic tamen obſervandum eſt, tam celeri motu cometas interdum progredi, ut, cùm ad occidentem apparere incipiunt, intra dies paucos ſolem ita antevertant, ut matutini oriantur, & hoc modo unus idémque cometa & orientalis & occidentalis re ipsâ iisdem ſeu unius paralleli incolis apparere poſſit, quod, qui exactè non animadverterunt, unum & eundem cometam pro duobus ac diverſis habuerunt.

Concluſio quarta. Duratio cometæ ſublunaris pendet à materiæ incenſæ & qualitate & quantitate, prout enim multa copioſaque materia, eáque vel benè compacta & tenacior vel rarior fuerit, ita vel longiore vel breviori tempore durat cometa. Illam enim materiam flamma ſeriùs pervadit, & diuturnum ab ea pabulum præbetur; hæc celeriter conſumitur. Quia verò univerſa horum cometarum materia non eodem modo ſublevatur, inque tantæ molis coagmentatur corpus, ſed ſubinde novæ exhalationes ad eandem accedunt, quæ augent molem, & fovent incendium, fit, ut tamdiu cometa duret, quoad conveniens nutrimentum elevetur, & alimentum fomiti nutriendo ſufficiat. Cauſam verò majoris aut minoris durationis in ſublunaribus cometis eſſe majorem aut minorem reſiſtentiam materiæ contra ſolares radios, à quibus diſſipatur majori aut minori temporis ſpatio.

Ex quo colligitur, de tempore durationis nihil omninò certè determinari poſſe. Unde nec ſententiæ Philoſophorum inter ſe conveniunt. Plinius enim breviſſimum, inquit, quo cernerentur, ſpatium ſeptem dierum annotatum eſt, longiſſimum octoginta, ſed exempla huic doctrinæ diſſimilia complura inveniuntur. Lubienecius enim 8. cometas invenit ſenis menſibus duraſſe, nempe anno à Chriſto nato 60, 64, 78, 145, 337, 603, & 1240. Verùm & octimeſtres ſpectavit annus 375. & 975. ut annotat Calviſius ex Cedreno. Quinimò Joſephus paulò ante excidium Jeroſolymitanum per totum annum cometam gladio ſimilem in cœlo conſpectum eſſe ſcribit: quemadmodum & ſtella illa, quam elapſum ſæculum vidit anno ſeptuageſimo ſecundo, ſedecim integris menſibus in aſteriſmo Caſſiopeæ hæſit. Quod etiam de ſtella natali Salvatoris prælucente dicitur, eam biennio integro affulſiſſe. Sed hæç poſtrema tria phænomena prodigioſa potiùs ſunt, quàm quæ naturaliter generentur.

Concluſio quinta. Tempus cometis ſupernaturalibus nullum omninò fixum eſt, ut ex eorum cauſis efficientibus colligi poteſt. Sublunares vero generantur potiſſimùm cùm magnæ ſunt ſiccitates ſecundùm Arati verſum:

*Sæpè dat horrendos tempeſtas ſiccà cometas.*

Cùm enim aëris regio ſiccis abundat exhalationibus, facilè hæ flammam concipiunt & exardeſcunt in cometas accedentibus maximè aliarum materiarum pinguibus & ſulphureis effluviis. Gignuntur autem ferè in Autumno, quoniam ea tempeſtate intenſus æſtatis calor exhalationum materias conſumens, aliquantum remiſit, attamen tantus adhuc viget, & halitus excitare poſſit, quos & moderatum frigus condenſat, & antiperiſtaſis vel attritio, aut Solis radii dein ſuccendunt. Raro in hyeme generantur, nam tempus frigidum æquè ac humidum cauſæ materiali adverſatur, calidorúmque vaporum aſcenſum prohibet & retundit. Nec ver ob humiditatem nimiam cometarum partui propitium eſt; tenuis enim caloris ejus vis inſufficiens eſt ad tantam viſcoſarum exhalationum molem elevandam, quanta ad vaſtum cometæ corpus efformandum requiritur.

Quæres: An poſſit ſaltem proximè cognoſci diſtantia cujúsque cometæ à terra? Reſpondeo affirmativè, & tres ſtatuo modos ex Blancano, primus eſt ex paralaxi, quam cometa ab aliqua ſtella fixa obtinet. Cùm namque cometæ motum nedum diurnum parallelum æquatori, ſed etiam annuum poſſideant, obſervetur cometa, quando incipit oriri, aut manè, aut veſperi, & eſt propè horizontem, quamnam diſtantiam obtineat ab aliqua ſtella ei ſuperiori; & deinde, quando jam circa verticem eſt, notetur, an eandem diſtantiam adhuc obtineat. Quod ſi non obtinet, ſignum eſt, non eſſe inferiorem ſtellis fixis, ſed in ipſo firmamento lucere, ſi vero diſtantiam mutavit, ſignum eſt, eum eſſe inferiorem. Cùm enim ſtellæ ob remotionem diverſo loco, in quocunque ſitu ſint, non aſpiciantur, ſi & cometæ ſeu in Horizonte, ſeu in Meridiano, in eodem ſitu intueantur, cum ipſis eâdem diſtantiâ potiri judicandum.

Secundus modus deſumitur ex duobus locis diſtinctis per aliquot gradus ad invicem, ſed tamen ſub eodem meridiano exiſtentibus; námque ſi cometa eâdem horâ obſervatus, eandem ab aliqua ſtella fixa, quæ ſit in eodem meridiano cum cometa diſtantiam habet, ſignum eſt, nullam pati paralaxim. Quod ſi à duobus obſervatoribus diverſæ ab ea ſtella obſervatæ ſunt diſtantiæ, jam paralaxim patitur, quæ quanto major eſt ut, diximus eo cometam oſtendit terra viciniorem.

Tertius modus eſt, per filum, nam cum cometa, cum proprio curſu lenteſcit, vix moveatur ab occaſu in ortum; tunc quando cometa Meridianum tenet, obſervetur, quibus cum ſtellis in rectam Lineam fit prætenſo ante oculos filo, qui & per cometam, & per duas ſtellas in directum ad Meridianum poſitas & cum eo parallele ſe habentes tranſeat; quando vero ea prope occaſum verſatur, iterum obſervetur; nam quò iis ſtellis, aut filo per eas extenſo depreſſior eſt, eo majorem paralaxin recipit, terraque vicinior dignoſcitur.

Nota quod etiam iſte modus obſervandæ paralaxis, poſſit adhiberi in Saturno & multò ſecuriùs; cum vix moveatur & ejus motus certus ſit. Si mutet diſtantiam prope Horizontem, ſignum eſt illum aliquam pati paralaxin; ſi vero non, eandem diſtantiam obtinere.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Nil violentum diuturnum.

PErcurre Romanorum, à primo eorundem Fundatore Julio, Cæſarum vitas, haud temerè quemquam invenias, quem non violentus enſis, actúsque in jugulum mucro eripuit. Teſtis eſt dictus Julius Cæſar, teſtis Claudius Domitianus, C. Caligula, Nero Claudius, Vitellius & Aurelius Antoninus: Teſtis Ælius Pertinax, qui octogeſimo Imperii die à militibus, Juliano authore, occiſus eſt. *Tranquill. c.19.* Hoc ipſo ſeptimo Imperii occupati menſe à Septimio Severo obtruncato: Ab Ælio Pertinace usque ad Numerianum Cari filium, nonaginta ferè annorum ſpatio, viginti circiter Imperatores ſuorum inſidiis violentè perierunt: Ipſe Auguſtus, modeſtiâ atquè prudentiâ verè Auguſtus, rebellantis populi inſidiis, atque violentiis non caruit. Nimirum utroque & Græcæ & Latinæ eloquentiæ Principe Demoſthene & Cicerone teſte: *Nihil violentum diuturnum, neque ulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna, nihil magnum niſi quod placidum.* Violento enſe faſces Imperii obtinuerunt; virgâ ferreâ tenuerunt. Severitate atque deſpoticâ poteſtate habenas conſtrinxerunt; violento enſe perierunt. Veluti frameata ſidera in minaces enſes, virgatósque caudas excreſcunt, non niſi funeſta, & violenta belli mortisque præſagia denunciant, truci imperio cœli ſubſellia ambiunt: aut velut deciduis ſoliis, deſiccatisque criſtis majales arbores menſe ſuum amittunt decorem, ac cum inconſtantis Aprilis periodo imperii florem mortuali Epilogo terminant. Ita ſtrictâ nimium manu geſtata ſceptra repentino exi-

tu

tu finiuntur, ſuoquè in flore violento gladio demetuntur. Romanus Poëta his brevibus regnis leſſum canit.

*Violenta nemo Imperia continuit diu,* *Seneca in Troad.*
*Moderata durant :*

22.

N. 22.




Quod vel muliebris ingenii acumine Livia Auguſta ad ſuum Auguſtum edixit : *Violentæ actiones, utut ſunt omninò juſtiſſimæ, irritant, manſuetæ placent.* Quod adeo eſt natura comparatum, ut brutorum quoque animantium ferociſſima blandiendo cicurentur; alia timidiſſima atquè imbeciliſſima, malè habita atque offenſa, irritentur. Et vermiculus vexatus iratè ſe contrahit, & apum crabronumque agmina excitata, in vulnera ſe ſe aculeant; & Scorpius venena emittit, ſi violente premitur. At vero : *Id tantum carmen Orpheo ab Amphione, quòd tanta plectro fidibúsque dulcedo quam ſecuta quondam ſaxæ perhibentur, ut ducentibus ſubvecta modulis & ad intervalla carminum reſiſtentia, ſpontè murum velut arte conſtruerent. Nonne in Imperatoribus tanta ineſt animorum impetus ciendi vis, ut dum minis ac vi exaſperant, moderatione id jubere poſſint, quod ſuadere conantur.* Non itaquè violentè impera, ut exaſperes; ſed clementer jubeas, ut blande flectas. Mediocritas optima, Cleobuli vox eſt, inter veterum Græciæ ſapientum parœmias relata : Ne violentè nimis, neque clementer. Quod ſi alterutra eligenda, regat Clementia, quâ gubernatore clementiſſima domus *Auſtria Erit*
*In Orbe Ultima.*

*Dio Caſſ. l. 55.*

*Eumen. pro reſtaur. Schol. ad Dioclet. & Maxim.*

# QUÆSTIO V.

## *De Prognoſtico, ſeu ſignificatione & effectibus Cometarum.*

ENumeratis generibus & formis, cauſis & proprietatibus cometarum, de prognoſtico ſeu ſignificatione eorundem etiam agendum. Et quamvis receptiſſima hactenus apud ſapientiſſimos quosque tam Philoſophos, Aſtronomos, Hiſtoricos ac Poetas, quàm etiam Ethicos & Theologos ea fuerit opinio, quam recentior Poëtarum nonnemo his verſibus expoſuit:

*Unda, fames, ignis, contagia, prælia, motus*
*Terræ, Regnorúmque vices, poſt funera Regum.*
*Hæc ſunt, quæ ſignat cœli tibi Munde cometes.*

Communi tamen huic aſſerto acerrimè ſe ſe opponunt quidam & præcedentis & hujus ſæculi Novatores ſtatuentes, cometas omnes eſſe corpora omnino è fœcundiori naturæ ſinu in ſubilimiori æthereâ regione genita vi prorſus naturali, aut eſſe mundo coæva ſidera nec ad alium finem, quàm ad mundi ornatum & decorem, rerúmque Coſmicarum varietatem & Creatoris gloriam enarrandam producta ſine ulla cum rebus inferioribus & terrenis connexione; adeòque nec quicquam triſte aut fatale unquam portendiſſe, ſed caſu duntaxat factum, quod in Fatales orbis inferioris eventus, qui aliunde etiam, non ex oriente cometâ, contigiſſent, eorum apparitones inciderint. Quid hâc in re nos ſentiamus per ſequentes concluſiones breviter expediemus, quare ſit

Concluſio 1. Cometas, qui fiunt in aëre, portendere naturaliter poſſe terræ ſiccitates, ventos, terræmotus, famem, & peſtilentias. Ratio ex eo deducitur, quia ſignificant, ex quibus conſtant, & in quæ diſſolvuntur. Conſtant autem ex magna copia exhalationis ſiccæ; ſiccitatem ſequitur agrorum ſterilitas, quia ob humoris inopiam terra annuas fruges proferre nequit. Hanc conſequitur annonæ caritas, fames, & tandem peſtis, tum ob fœtidum deflagrantis materiæ halitum, à quo homines inficiuntur, tum propter nimiam corporum exſiccationem, & humidi radicalis conſumtionem; unde levi occaſione corpora morbo opprimuntur. Sequuntur inundationes aquarum & terræmotus; fumi enim illarum poſt incendium diſſipati, & in aërem ſparſi ventos cient, eósque præter ſolitum augent; venti mare commovent, ut non tantùm naufragia accidant, ſed etiam gravisſimæ fiant inundationes & alluviones. Hi ipſi autem flatus, ſi terræ includantur, eandem quatiunt, & vibrant, & commovent. Rationes has pasſim luctuoſis exemplis omnium ætatum ſæcula confirmant. Sic anno 1337. præter aëris corruptionem tantum locuſtarum agmen orbem infeſtavit, ut earum copia per aërem diffuſa Solis conſpectum eriperet. Anno 454. ſub Theodoſio ſecundo, ubi cometa evanuit, mare in terras mirum in modum effuſum eſt. Tempore Anaxagoræ 75. diebus ardens hæc fax fatalis eam deſiit in tempeſtatem, ut lapidem vehiculi magnitudine avulſum in ſublime turbo extulerit. Anno 1511. in Lombardia viſus cometes in ventum reſolutus tres lapides jecit, quorum unus ſexaginta, triginta ſecundus, & tertius viginti libras appendebat. Cometes verò 1543 exhauſit rivos, agri fructus abſumpſit, & famem induxit. Sed his omisſis noſtrum duntaxat ſæculum percurramus. Cometam 1602. ingens inundatio ſecuta, quæ Angliam damnis nullo auro redimendis affecit. Exortum 1610. gravisſimam ſibi peſtem annuntiâſſe Craçovia teſtatur. Anno pariter 1656. diram hanc flammam ſubſecuta peſtis illa Neapolitana omnibus ſæculis memoranda, quâ ad trecenta millia hominum ſpatio 5. menſium extincta ſunt. Quem vidit 1668. ingens terræ motus, quo præcipuè Raguſa miſerè vaſtata, comitatus eſt. Anno 1672. ſpectatus ingentem inundationem in Galliam invexit. Demum, quem annis 1677. viſendum dedit, ſubſecuta eſt ann. 1679. lues dira in Hungaria, aliisque Provinciis & Regnis Cæſareis, præcipuè verò Viennæ in Auſtria miſerabiliter graſſata, ubi à Januario ad Novembrem incluſivè in urbe 49486. in ſuburbiis ſupra 30470. homines perierunt.

Concluſio Secunda. Portendunt inſuper mediatè ratione materiæ probabiliter bella, tumultus, Principúmque & Regum mortes. Ratio eſt, nam materia cometarum cùm ſit calida & ſicca, non ſolùm aërem inficit, illum arefaciendo, ſed humores etiam in humanis corporibus ad calidam & ſiccam intemperiem reducit, & choleram auget. Et quia mores animi corporis temperamentum ſequuntur; hoc deinde temperamento ad impetus violentos, & rapaces, contentiones nimirum, rixas, & ad arma demum rapiuntur homines, imprimis verò Reges & Principes, qui cæteris ſunt delicatiores, & animo etiam elatiores, quique humores

mores habent ad accenſionem magis accommodatos, & peracutis & periculoſis morbis obnoxios, cùm in deliciis vivant, & à multis rebus non abſtineant, quæ in tam ſicca cœli conſtitutione plurimùm vitale robur oblædere ſolent, cujusmodi ſunt exercitia vehementia, uſus vinorum valde potentium & aromatum, nocturnæ commeſſationes, & id genus alia; Hinc enim fieri poteſt, ut facilè intereant Principes, vel ratione intemperiei, vel bellorum occaſione; ad quorum fata ſequuntur regnorum & legum mutationes, quia novus Rex, nova lex, dici poteſt.

Ad hos effectus Cometarum etiam illorum cauſa efficiens, influentia nempe ſiderum aliquid conferre poteſt, docet enim Ptolomæus lib. 2. quadripart. operis, quæ à cometis portendantur, ejusmodi eſſe, qualia Marti, & Mercurio, & cæteris Planetis in præceptis ſuis aſſignant Aſtrologi. Quando ergo exempli gr. Martis naturæ vel Mercurii cometæ ſunt, tunc bella, crudelitates, exitium & mortem deſignant. Mars enim rixas, diſcordias, calumnias, bella, tumultus; Mercurius autem inconſtantiam, mendacia, perfidiam, fraudes denotat. Quod confirmatur ex doctrina P. Kircheri in Phyſiologia nova de cometarum natura, ubi ſtatuit, etiam cometas aliquo influxu mala quædam in mundo inferiori poſſe cauſare & præſignificare, utpote ſigna alicujus magnæ commotionis, quæ facta eſt in globis cœleſtibus: unde poſtea terra fiat particeps talis influxûs, debere enim pro indubitato haberi dicit, quòd Sol non ſolùm influat cum lumine & calore in corpora inferiora, verùm etiam à natura donatus ſit adhuc aliis virtutibus particularibus, quæ ſi aliquando in malefico ſitu Martis, aut infauſto Saturni aſpectu infeſtentur, ſubitò ab illa malignitate concitatæ commoveant illas horrendas conturbationes motûs, quæ ab aliquibus vocantur *morbi Solis*. Unde deinde naſcantur ſterilitates, ſiccitates, terræmotus, inundationes, quæ damno afficiunt hunc mundum ſublunarem, & inſuper in hominibus bilem accendendo moveant bella, & ſimilia, quæ magnas commotiones neceſſariò ſequuntur. Non autem ſemper, ſed ſolummodò, quando illi fumi ex illis vaporibus exhalati propter immenſam materiam in altum evolant, & in æthere condenſantur. Unde etiamſi cometa ſpatio 30, 40, 50, annorum non apparuerit, mala tamen, (ut mortes Principum, peſtes, fames, annonæ caritas, terræ motus) ingruere poſſunt. Hæc enim mala, ut plurimùm etiam à ſuis cauſis proximis dependent; ut peſtis adſcribi debet diſpoſitioni aëris, putredini venenoſæ cadaverum & animalium, corrupto victui, & aliis malis conditionibus locorum, proximis cauſis contagiorum. Hæc Kircherus.

Concluſio tertia. Cometes omnes, etſi per ſe naturalem aliquam vim ſignificandi habeant, ut ex dictis liquet, potiſſimùm tamen ex DEI beneplacito prænuntiare mortem Principum, bella, & alias hujusmodi plures calamitates. Conſtat imprimis hoc ex ipſis verbis Chriſti Luc 21. v. 10. *Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ & fames, terroresque de cœlo, & ſigna magna erunt.* Quod ſive intelligatur (ut quidam Commentatores volunt) de excidio urbis Jeruſalem, conſtat certè, teſtibus Joſepho & Euſebio, cometam illic excidio ſuper urbem præluxiſſe; ſive de univerſali orbis interitu ante ſupremi Judicis adventum, ſentiunt ſane plures Doctores inter ſigna illa & prodigia in cœlo & ſtellis futuros eſſe cometas; quorum intuitu ſcelerati à peccatis deterreantur, & ad ſeriam pœnitentiam moneantur. Conſtat id ſecundò ex ipſo ductu rationis & lumine naturæ, cùm omnes nationes cujusvis Religionis ad conſpectum harum fatalium flammarum exhorreſcant, judicantes has ut ſigna impendentium calamitatum.

Confirmantur hæc inductione cometarum prioris & præſentis ſæculi extracta ex Mundi mirab. Oeconomia Joannis Zahn. Anno 1500. cometes horrendæ magnitudinis apparuit, paulò poſt Bajazetes, Turcarum Imperator, urbem Methone, ſive Modon dictam ad Venetos pertinentem, unà cum aliis locis in Peloponeſo ſitis occupavit. Dira inſuper lues per totam Germaniam cum magna annonæ caritate graſſari cœpit. Anno 1506. cometa illuxit, & mors Philippi Hiſpaniarum Regis, uti & peſtis magna cum ingenti terræ motu Conſtantinopoli ſecuta. Bellum quoque Venetum decennale exarſit, quod Imperator Maximilianus, Julius ſecundus Pontifex, Ludovicus XII. Rex Galliæ, Ferdinandus Rex Hiſpaniarum confœderati Venetis intulerunt. Cometam anni 1511. maxima clades inter Sigismundum Regem Poloniæ & Ducem Moſcoviæ comitata eſt, in quo 40000. Moſcovitarum prope amnem Boriſthenem periêrunt. Subſequente verò anno rurſus Oſtrogius Dux eductis 17. militis Poloni millibus 80000. Moſcorum ad Ortam vicit. Cometa 1515. poſt ſe traxit mortem Regis Galliæ, maximas inundationes, ſævam luem in Saxonia, Thuringia, Miſniáque, ita ut tertia pars hominum vix remanſerit, quibus acceſſit anno ſubſequente mors Ferdinandi Regis Hiſpaniarum & Uladiſlai Regis Hungariæ. Cometam 1517. ſecuta eſt expugnatio Hieroſolymæ à Selimo Imperatore, & Hæreſis Lutherana. Cometa affulgente 1521. mortuus Leo X. Pontifex Maximus, Alba Græca à Turcis expugnata. Bellum diuturnum inter Carolum V. & Franciſcum Galliæ Regem exortum. Anno 1526, 27, & 28. cometæ attulerunt miſeram cladem

Ludovici Regis Hungariæ ad Mohatzium; Budam captam, uti & Romanam Urbem ab exercitu Caroli V. Duce Borbonio occupatam; irruptionem Turcarum in Germaniam, inde à Solymanno Viennam Auſtriæ obſeſſam cum devaſtatione plurium Regionum. Anno 1533. Cometes ingentis magnitudinis viſus eſt, ſubſecutum ſchiſma Anglicanum hæreſi conjunctum ob negatam à Romano Pontifice diſſolutionem matrimonii, quo inducto Henricus Rex ſe caput Eccleſiæ edixit. Anno 1537. cometes apparuit, ſecuti ingentes terræmotus, æſtas maxima, unde fontes & flumina exaruerunt, domorum ædificia ac ſylvæ Solis ardore incenſa. Cometes anni 1539. infelicem Ferdinandi Regis pugnam cum Turcarum exercitu portendebat, ab eo enim in fugam actus multa millia amiſit. Exorta etiam in Italia & Brabantia magna annonæ caritas ac dira peſtis. Anno 1541. cometa viſu terribilis conſpectus, & paulò poſt Turca in Moravia, Sileſia & Auſtria crudeliſſimè graſſatus. Peſtis dira propè Rhenum in Germania & Auſtria multa millia hominum abſumpſit. Carolus V. etiam infeliciter trajecit in Africam, multis mercibus & militibus procelloſâ tempeſtate ſubmerſis. Buda à Ferdinando Rege Hungariæ obſeſſa, verùm vidua Joannis Wayvvodt Turcas invocavit, qui obſidione pulſâ arte & aſtu Budam extorſit, & 2. Sept. eandem occupavit. Anno 1558. cometa atri coloris veru imagine exbihens affulſit, quem mors Caroli V. Imp. 27. Septembr. in cœnobio morientis è veſtigio excepit; ad conſpectum verò cometæ ſubſequentis anni mortuus eſt Henricus ſecundus Rex Galliæ, ac paulò poſt Paulus IV. ac 15. Cardinales; item Hercules Dux Ferrariæ, Rex Daniæ, Dux Venetorum Laurentius, multique Principes alii. Anno deinde 1560. cometa in Gallia viſus, & mox obiit Franciſcus II. Rex Galliæ, quem quadriennio poſt ad ſimilem Tragicam facem ſecutus Ferdinandus Imperator, Zigethi in Hungaria expugnatio à Turcis, & Nicolai Serinii Herois fortiſſimi cædes. Anno 1582. cometes viſus Henrico tertio Regi Galliæ fatalis, quippe cultello à monacho interfectus. Cometa ann. 1583. funeſtum bellum in Archiepiſcopatum Colonienſem intulit, ubi Erneſtus Dux Bavariæ adverſus Gebhardum Truchſeſium Proteſtantium fidem amplectentem, ac uxorem ducentem, libertatémque Religionis ſubjectis concedentem Archiepiſcopus declaratus eſt. Anno 1585 cometa ferè crinitus & fuſcus magis quàm fulgidus obſervatus eſt; quem biennio poſt crudele ſupplicium Mariæ Stuartæ, Reginæ Scotiæ, ſecutum eſt, ferali enim ſententia impiæ Eliſabethæ ejusdem Cognatæ in eam latæ, auguſta cervix per carnificem ſecuri percuſſa eſt. Anno 1602. cometa in pectore cygni apparuit, & in Hungaria perdita Alba Regalis. In Gallia & Britannia ſeditiones, in Anglia peſtis horrenda Londini. Demetrius Moſcus à ſumma gloria in ſummum dedecus devolutus. Anno 1610. cometa in cœlo viſus, & converſa Sigismundi fortuna, ac amiſſa biennio poſt Moldavia. Anno 1618. cometa prolixa admodùm cauda formidabilis in cœlo ardere cœpit, ſecuta anni ſequenti die 20. Martii mors Imperatoris Matthiæ, ingentes turbæ & clades; ortum bellum Bohemicum & Bethlemi Gaboris irruptiones in Hungariam, quas 1621. ſubſecutum bellum Turcicum, ſucceſsit bellorum Suecicorum moles, ac miſerrima malorum lerna Germaniam affecit. 1661. Cometa ad caput Aquilæ volantis exarſit, & mortuus eſt Philippus Proſper infans Hiſpaniæ. In Polonia ſecutum bellum civile. Turcicum etiam ann. 1663. viribus totius Imperii & auxiliis Gallicis geſtum, quo præter alia Neohuſium in Hungaria à Turcis occupatum. Anno 1664. & 1665. duo cometæ viſi ſunt; ſecutum eſt bellum navale inter Hollandos & Anglos, pugna inter Hiſpanos & Luſitanos. Mortuus Philippus quartus, Rex Hiſpaniarum. Anno 1668. menſe Martio apparuit cometa capite deſtitutus, & Candia poſt diuturnam obſidionem à Turcis occupata. Alphonſus Portugalliæ Rex coactus cedere Regno; Rex verò Poloniæ Caſimirus ſponte Regno renuntiavit. Anno 1677. obſervatus cometa ſub Andromeda, quam ſubſecuta eſt peſtis dira, de qua ſuperiùs. Demum 1680. inſignis ille cometa viſus, qui haud dubio bellum ingens Imperatori Chriſtiano anno 1683. exortum cum Turcico denuntiavit, hinc Vienna à Turcis obſeſſa devaſtatis per circuitum integris Regionibus, abductiſque in ſervitutem multis Chriſtianorum millibus. Anno deinde 1684. Buda incaſſum à Chriſtianis obſeſſa deperditis 30. Chriſtianorum millibus. Ann. 1685. Luxenburgum deditione à Gallis occupatum; item Caſalium in Italia. Genua quoque ab iisdem miſerabiliter exuſta, & tandem anno 1688. rupto fœdere Romanum Imperium invaſerunt.

Ex quibus omnibus colligitur primò: Cometas ſemper ferè quid infauſtum, aut planè inopinatum portendere, ſignáque eſſe, quæ DEUS aſſumit, *ut det metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs.* Non negaverim tamen, hos aliquibus fauſtos eſſe poſſe, nunquam enim aliquid ita pernicioſum exiſtit uni, quin non & alteri prodeſſe queat, quemadmodum morbi & ægritudines Medicis ſunt exoptatæ. Nec aberrabit à Philoſophia veraci is, ex mente Franciſci Reſta, qui dixerit, Angelorum miniſterio ſæpiùs formari cœleſtes cometas ad ſalutarem timorem nobis incutiendum.

Colli-

Colligitur ſecundò, non omnino recedendum eſſe ab illorum ſententia, qui cœlum Naturæ librum ex S.Scripturæ & antiquorum Rabbinorum teſtimoniis eſſe velint, dicantque ſtellas veluti characteres ibidem aſſignatos, Deum porro, dum malum extraordinarium mortalibus eventurum ſignificare deſiderat, extraordinarias ſtellas in cœlo accendere ſolere. Altiſſimus enim, inquit P. Kircherus in Phyſiologia nova, ſæpiſſimè utitur cauſis naturalibus ut hieroglyphicis, ut homo in his legat hoc, quod ſapientia divina deſcripſerit in cœlo, terra & elementis, ut, ſi ſemitas præceptorum Divinorum egreditur, illa homini horrorem incutiant, illúmque ad meliorem frugem reducant. Præterea addit Ricciolus, ut admoneantur Patres familiæ & œconomi ad prudentem parſimoniam; magiſtratus vero ad avertendam aëris infectionem, morborum contagia, & bellorum motus. Unde deducitur contra Longomontanum, finem Cometarum non eſſe ad repurgandam duntaxat aëris ſtationem.

Colligitur tertio, dato, quod generatio Cometæ ſit res plane naturalis, de quo acriter complures Authores controvertunt, malè tamen inſertur, eum non poſſe eſſe ſignum extraordinarium alterius rei, uti iris licet ſit res planè naturalis, ſignum eſt gratiæ & fœderis divini cum genere humano; Deinde licèt naturalem habeat originem, cur non Providentia divina ex peculiari diſpoſitione ordinare poſſet, ut tunc ſolùm orbi affulgeat, quando mortales punire decernit.

Colligitur quartò: Licèt non omnes cometas ſubſecuta ſit calamitas, eam tamen ſignificare potuerunt, quemadmodum Jonæ prophetia prædixit Ninivæ ruinam, quæ tamen haud ſecuta eſt, novit enim divina Nemeſis fulmen ſuſpendere, ſi nos noverimus à delicto mentem retrahere.

Colligitur quintò; ut ſuperiùs ex Kirchero annotavimus, tametſi multi Reges & Principes fato functi ſint, multæque regiones everſæ ſine prævia cometæ face, manet tamen hic, ubi illuxerit, impendentis mali ſignum, ſic multæ etiam pluviæ ex aëre decidunt, quas iris non indicavit, & tamen iris apparitio non ceſſat eſſe ſignum pluviæ. Neque enim Deus obligatur, ut ſemper ex theſauris naturæ ſigna & portenta in cœlo oſtendat, & ad reſipiſcentiam admoneat.

Colliges tamen 6. vana eſſe cometarum prognoſtica, quæ ſubſequuntur à Plinio & aliis authoribus annotata, nempe: ſi cometa videatur inſtar tibiæ, malum muſicis minari; ſi aſpectu trino ſtellarum fixarum aliquem aſpexerit, literatorum interitum ſequi. Vana pariter ſunt Paracelſi, qui cometam, ſi illuſtris, procerum; ſi caudatus Eccleſiaſticorum; ſi fuſcus ruſticorum mortem portendere autumat. Nec placent omni ex parte obſervationes Cardani, qui putat, cometam juxta *Saturnum* portendere peſtem, proditiones & ſterilitatem; juxta *Jovem* legum mutationem, mortem Pontificum; juxta *Martem* bella; juxta *Solem* toti orbi magnam cladem, juxta *Lunam* inundationes, aliquando ſiccitates; juxta *Venerem* Principum mortem & Nobilium; juxta *Mercurium* varia mala & multa; juxta *Lyram* deliciofis & Nobilibus; juxta *Coronam* & in *Tropicis*, *æquinoctiisque* Regum interitum; juxta *Serpentes & Scorpionem*, peſtem; juxta *Trigonum* perniciem ingeniorum; in fixis ſignis terræ motus; juxta caput *Gorgonis* & armatas figuras bella; juxta *Andromedam & Caſſiopeiam* ſervitutes & deſolationes; juxta *Eridanum & Argo* tempeſtates & inundationes. Similia refert Leopoldus Auſtriacus, qui ſi cometa in ſigno *Arietis* apparet dolores oculorum, boum peſtem augurat; in Tauro frigus vehemens; in *Geminis* grandia tonitrua, in *cancro* mortes ſubitas, in *leone* bella; in virgine febres; in Libra ſiccitatem, in *ſagittario* æſtum, in *Capricorno* Religionum depreſſionem, in *Aquario* fulmina, in *Piſcibus* fidei mutationem. Hæ & ſimiles ſpeciales prognoſes explodendæ potiùs, quàm approbandæ ſunt, cùm præter vanam ſciendi curioſitatem, nihil ſolidæ rationis contineant.

Quæres, an cometarum apparitiones posſint ab Aſtronomis prædici? Reſpondet Hevelius negativè, dum in epiſt. die 27. Jan. 1665. ad D. Lubieniecium ita ſcribit: mirum ſanè multùm, qui fieri unquam posſit, cùm Aſtrologi glorientur, ſe poſſe cometas adeò præcisè prædicere, quod famoſus ille Aſtrologus Germanus (Schimferus) circa pacem Turcicam, quæ eodem anno, quo bellum minabatur, inita eſt, adeo enormiter aberraverit. Profecto adeo multa, imo contraria verba nonnunquam funditant, ut mirum eſſet, ſi caſu unum aut alterum non attingerent. Quam multos cometas ex conjunctionibus magnis prædixerunt, quorum nullus ſanè humanis oculis viſus eſt? ita ille. Et Ratio eſt, quia prædictio cometæ eſt res prorſus incerta, nam ſi ventos, fulmina & ſimilia meteora prædicere res planè fallibilis ſit, quanto magis prædicere cometam; ſiquidem majus opus eſt naturæ producere cometam, quam meteora, potentioréſque queunt intervenire cauſæ, effectus ſiderum impedientes.

## APPENDIX.

Quæri à non paucis ſolet, num ſtella, quæ magos duxit ad præſepe Domini cometa fuerit, vel aliquod aliud illuſtre meteoron. Huic quæſito ſatisfaciunt Conimbricenſes, negando quoad primam partem ſtellam hanc fuiſſe cometam, cum ea, quæ de natura & ingenio cometarum, de illorum motu & evaneſcentia ſub diurno lumine & diſtantia à terris dicta ſunt, minimè huic ſtellæ conveniant. Hæc enim biennio, ut quidam volunt ſpectandam ſe perpetuo tam interdiu quàm noctu dabat tanto ſplendore, ut alia cœli lumina vinceret; occultabatur, dum opus erat, eòque ſe in terram demiſit ut Ephebi inſtar Regibus præluceret face viámque monſtraret, donec conſtiterit ſupra ſpeluncam Neo-nati Salvatoris. Fuit igitur Meteorum quidem, ſed nullum ex hactenus dictis, verum inſolitum planè & ſingulare, non naturali, ſed Angelica virtute ex materia ſublunari conflatum, valde illuſtre, quod Angeli miniſterio in inferiore aëris regione devehebatur. Ita communiter SS. PP. Quamvis S. Chryſ. hom. 6. in cap. 2. Matth. & quidam alii exiſtiment, fuiſſe Angelum, qui eâ figurâ apparuerit.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Laboribus ne plus æquò gravet.

23.

N. 23.




Meteo-

Meteoriſtarum ſcitum eſt, Cometam in Domo Libræ viſum turbas præſagire, ac veluti terroribus plagisq́ue formidandus Jupiter ſaxorum mole prægravatos Gigantes contra ſe armavit: Ita laborum pondere preſſus ſubditus fatiſcat neceſſe eſt, aut in prementem ſe Dominum erigat. Non ſunt de genere cœlorum ſervi: illis nec mora, nec requies; horum imbecillitas levamen quærit, ut vires colligant. *Gaudent Divina perpetuo motu, & jugi agitatione vegetat æternitas. Indefeſſa vertigo cælum rotat. Maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare Sol neſcit. At mortalium nemo eſt, qui ſeriis rebus atque laboribus intentus perpetuò eſſe poſſit, ſed ipſa natura cujusvis aliquod ſolatium deſiderat.* Solicitudo ſine otio, labor ſine quiete, occupatio ſine vacatione, exercitium ſine tranquillo, fatigatio ſine ſomno, perpetuum mobile eſt, humeris hominum inconveniens. Nec Hercules, nec Orion continuo motu in terris agitabantur; poſtquam inter ſidera translati, errant ſine quiete in orbem revoluti. Aurei Gigantis, Solis, requies eſt moveri: & hominum vita eſt, poſt motum quieſcere.

*Latinus Pacatus in Paneg. Theod.*
*Manuel. educat. reg. c. 8.*

*Quod caret alternâ requie, durabile non eſt,*
*Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.*

*Ovid. ep. 4. Heroid.*

Nimio impetu aquarum copia verſùs hydromylam præcipitata, illam non modò non circumagit, ſed frangit ac demolitur. Franguntur vires, cùm plus æquo premuntur; nam & equo ſua ponderis menſura eſt, quam trahat; & quod nimium eſt, camelus rejicit, non plus patitur ſarcinæ, quàm ſuſtinere queat. *Aptari onus viribus debet, nec plus occupari, quàm cui ſufficere poſſumus.* Qui cum Siſypho inceſſanter volvit ac revolvit iterum iterúmque recidens ſaxum, inutili fatigatur labore, ſine fructu laſſatur. *Danda eſt remiſſio animis: meliores acrioréſque requiete ſurgent.* Fertilibus agris non eſt imperandum, citò exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas. Animorum impetus aſſiduus labor dejicit. Vires recipient paulùm remiſſi. Legum Conditores feſtos inſtituerunt dies, ut ad hilaritatem laſſis ſervirent. Ex aſſiduitate laborum naſcitur hebetudo animorum: in ſeſe redeunt neceſſarium laboribus interponentes temperamentum. Arcus nimium tenſus rumpitur, moderatè attractus metam aſſequitur. *Perniciosiſſimum eſt in omni vita, quod nimium eſt.* Plinius. Et bovem opus frangit, ut ſub jugo corruat: & *fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.* Araneus continuo textu ſe eviſcerat; arborem ubertate preſſam copia perdit; & cos moderato uſu ſplendeſcens, nimio attritu conſumitur. *Ne quid nimis, verbum hoc placet mihi nimis.* Alpheus.

*Sen. epiſt. 158.*
*Sen. c. 15. de tranq. animi.*
*Ovid. l. 1. de Pont. elog. 5.*
*Alpheus in epigr.*

# DISSERTATIO V.

## De Meteoris apparentibus in ſublimi.

DE Meteoris ignitis, quæ verè ſubſiſtunt, & accenduntur in aere (exceptis ſcilicet Cometis ſuperlunaribus) in priori Diſſertatione egimus; nunc ad ea, quæ ignita non ſunt, ſed tantùm apparentia, hoc eſt, quæ reipſa cùm nullibi exiſtant, ſpecie tamen & figurâ viſuntur, accedendum erit. Dicuntur aliàs etiam lucida, quoniam lux ea effingit in nube, quam propter craſſitiem & denſitatem non omnino penetrare poteſt. Ex varia enim lucis refractione radii multiplicantur, & variè miſcentur, & ex ea radiorum mixtione exprimuntur colores, vel nudi, vel ad rei alicujus imaginem conformati. Hinc ea ab Ariſtotele ſimplici vocabulo φάσματα, id eſt apparentia, ſpectra, ſive viſa appellantur, quoniam, ut Seneca lib. 1. Natural. quæſt. ait: *Eorum in nube ſubſtantia non eſt, ſed mendax ſine re ſimilitudo* Non ſecus ac imago apparens in ſpeculo, aut aquis. Sunt autem præcipuè γαλαξία ſive via lactea, Vorago, Halo, Parelius, Paraſelene, virgæ, colores nubium, Iris. De quibus ſingulis pauca pro inſtituti brevitate diſſeremus. Quare ſit

## QUÆSTIO I.

### *De Circulo, ſive via lactea.*

EX Meteoris apparentibus primo loco occurrit via lactea, quam eleganter, licèt paucis, deſcribit Sulmonenſis vates:

*Eſt via ſublimis cœlo manifeſta ſereno,*
*Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo.*

De hac via lactea ex noſtra ſubjicienda ſententia, quâ meteorum eſſe negabimus, hic tractandi locus non foret, quia tamen ea Ariſtotelis & plurium antiquorum Philoſophorum fuit opinio, hanc diſſertationis gratiâ Meteoris inſerimus. Unde ſit

Concluſio prima: Circulus lacteus, vel via lactea non eſt lumen ſtellarum, ut Democritus & Anaxagoras docuerunt, quæ à Sole ob terræ interjectum non conſpiciuntur; nec illius obſcurantur ſplendore. Ratio eſt, nam primo fieri nequit, ut Sol omnes inerrantes ſtellas non ſemper aſpiciat; cùm Sol ſit multo major totâ terræ mole, at, ut Perſpectivi demonſtrant, cùm corpus opacum objicitur luminoſo, à quo magnitudine ſuperatur, radii è luminoſo prodeuntes coëunt tandem poſt umbram jactam à corpore opaco, unde jam eorum diffuſio non impeditur. Accedit, umbram terræ non pertingere ultra Sphæram Mercurii, quo fit, ut terræ interpoſitio neutiquam impedire valeat explicationem radiorum ſolarium ad ſidera inerrantia. Secundo etſi hoc concederetur, non adhuc ea eſſet cauſa lactei circuli, quia tunc Sol alias & alias ſtellas diverſis temporibus inflexâ ſuâ latione aſpiceret, alias quidem, cùm in ſignis eſt Auſtralibus; alias cùm in ſeptentrionalibus; alias in æquinoctiali circulo; quare oporteret, lacteum non in iiſdem ſemper ſtellis cerni, nec eandem perpetuo habere faciem, ſed pro tempore mutari, quod falſum eſſe docet experientia.

Concluſio ſecunda: Nec eſt mera in aëre, ſicut in ſpeculo, luminis reflexio, nec merus calor, aut denſior ignis, ut Macrobius & Diodorus opinabantur. Ratio primi patet ex paulo ante dictis, quia alioquin via lactea non eandem conſtanter ſtationem teneret, ſed ſitu & loco mutaretur ad corporis luminoſi circuitum. Ratio ſecundi eſt, quia nec calor, nec ignis

ignis apta candori cauſa ſunt, & quamvis eſſent,quæ ignis, aut caloris in hac ſolùm cœli parte excitati cauſa tam efficax tamque conſtans?

Concluſio tertia. Neque eſt magnus aliquis & tenuis cometa in ſuprema aëris regione, aut latè diffuſa & exuberans exhalationum concretio,quæ inflammetur vi ſtellarum multarum deſuper imminentium, quarum etiam influentiâ continuò ex terra nutrimentum tanto Meteoro fovendo extrahatur. Eſt contra Ariſtotelem 1. Meteor. c. 8. qui ad hoc aſſerendum inducebatur primò, quia ut ſpiratio ad concipiendum ſervandúmque ignem idonea, cùm ſub aliquo ſidere concrevit, crinitæ ſtellæ faciem exhibet; ita conſentaneum eſt, ſimile quid accidere ſub ſplendidiſſimo illo ſiderum choro, cui lacteus orbis ſubjicitur, & coaleſcere inibi non unam, ſed innumerabiles ſtellas crinitas, quæ totam illam viam igneâ luce conveſtiant; aut calidam & ſiccam exhalationem in eum locum evectam, & in nubeculam tenuem & raram coactam accendant. Facilè autem in eum tractum copia vaporum elevari poteſt, quod iſtâ viâ non incedat Sol, & propterea neque conſumere poteſt hanc materiam. Quòd verò ſub toto Zodiaco, qui magnis, lateque ſplendentibus ſtellis abundat, non appareat ejusmodi candor lacteus, cauſa eſt perpetuus ibi Solis, aliorúmque Planetarum curſus, quo materia hæc omninò abſumitur. Inducebatur ſecundo, quia circulus lacteus ſibi ſimilis undique non eſt, ſed alicubi amplior, alicubi contractior, alibi clarior, alibi obſcurior; rurſus aliâ ſui parte ſimplex, aliâ geminatus; quæ diſcrimina non aliam videntur habere cauſam, niſi quòd exhalationum conglobatio major, minórve pro magnitudine,& vi ſiderum è terra aſſurgit, circulúmque varietate illâ diſtinguit. Ita Ariſtoteles philoſophabatur.

Contra verò hæc primò eſt, quomodo potuit à condito orbe hucuſque tanta & tam conſtans copia exhalationum à terra ſuppeditari. Secundo, cur, quò ſerenius, exhalationibúsque puriùs cœlum eſt, via hæc candidior ſpectatur; quomodo item eodem ſemper candore conſtans niteret, ſi vaporibus, qui diverſos à materiæ varietate colores trahunt, conſtaret. Tertiò, quænam ea quæſo ſidera hujus meteori tam diuturni cauſæ. Quartò, non ſolent meteora eſſe permanentia, ſed fluxa, & per intervalla exiſtere, atqui Galaxia omnibus ſæculis eodem omninò perſeveravit modo,omni tempore eandem ſemper figuram, claritatem, quantitatem & denſitatem retinet, cùm tamen hyeme paucæ, æſtate vero plurimæ exhalationes in ſuperiorem aëris regionem eluctentur,ergo ſignum eſt, non magis illam meteorum eſſe,quàm ſit Sol vel Luna. Quinto, ſi ideò tanta ſpirationum multitudo illic coaleſcit, quia pars cœli, cui ſubjicitur, frequentiſſimis & ſplendidiſſimis ſtellis conſperſa eſt; ſimile quid perpetuo accideret in aliis aëris tractibus, quibus (etiam extra Zodiacum) ſi non tanta ſiderum frequentia, & magnitudo, at certè ea reſpondet, quæ ad alios circulos,licèt obſcuriores, efficiendos ſat eſſe deberet.

Hinc colligitur primò contra argumenta in contrarium allata, licèt ſub uno aliquo ſidere congregetur interdum exhalationum materia, quæ crinitam ſtellam efformet, contingere tamen non poſſet, ut tot annorum millibus tanta halituum vis ſub ſtellis flagret, & circulum immenſæ magnitudinis deſcribat, ſed neceſſario tandem abſumeretur & evaneſceret.

Colligitur ſecundo: Lacteum hunc circulum non ob diverſitatem ſiderum halitus in ſublime attrahentium eſſe alibi majorem, & clariorem, alibi minorem & obſcuriorem, ſed quia partes illæ octavi orbis ſive firmamenti, in quo inſidet,ut mox dicam, non ubique eandem varietatem & denſitatem obtinet. Unde ſequitur

Concluſio quarta. Circulus lacteus eſt in firmamento. Ratio præter dicta eſt, quia Aſtronomi deprehendunt Galaxiam non reddere ullam paralaxim, vel diverſitatem aſpectûs, ſed è diverſis regionibus per eadem ſidera commeare ab omnibus cernitur. Secundo, eodem modo cum firmamento movetur, & ab ortu in occaſum, & viciſſim ab occaſu in ortum, hoc eſt uno gradu centum annis.

Concluſio 5. Via ergo lactea eſt pars cœli ſive firmamenti ornata ſtellulis innumeris, ita tamen exiguis, ut fugiant aciem oculorum, quæ ſimul junctæ clariorem reddunt illam partem, ac veluti faſciam, atque adeo exhibent quendam candorem. Patet hoc ipſum ad oculum,ſi illam cœli partem, ſerenâ tempeſtate, teloſcopio aliquo grandiore & exactè parato inſpicias, deprehendes illam plagam maximâ minutarum ſtellularum multitudine conſitam eſſe, at de illa lactea albedine videbis planè nihil. Confirmari poteſt à ſimili, ſume duas tabulas nigro colore imbutas, in harum una puncta candida majora quidem, ſed notabili inter ſe intervallo diſſita, in altera verò itidem puncta candida, ſed parva, frequentiſſimáque deſcribe; ſi tabulas ſic paratas è pari remota tamen diſtantia inſpexeris, primam nigram albis diſtinctam punctis invenies, hæc vero diſſimulata nigredine tota candida eſſe apparebit. Par de cœlo, ſtellis majoribus & diſſitis,ac minoribus & conjunctis eſto judicium. Hinc à capite, id eſt, de novo incipiendo infertur primo, quod etiam ſpecialis candor, qui notatur in quibusdam aliis partibus cœli, oriatur ex ſimili multidine ſtellarum.

Inſertur ſecundò, quam vana quorundam de hoc lacteo circulo fuerint commenta. Pythagoras enim viam hanc aſtri cujusdam lapſu, alii Phaëthontis è cœlo caſu attritam putârunt. Fuêre, qui lac Junonis Mercurium lactantis effuſum ad ſignandum hunc cœli circulum diffluxiſſe crediderunt. Faſciam cœli Theophraſtus ſeu hemiſphæriorum juncturam aſſerebat, ratus, quod Deus cœlum in duas partes quaſi ſcutellas procuderit, & dein ferruminatione hac argentea etiamnum ſpectabili junxerit.

Quæres quis effectus hujus lactei circuli ſit: Plinius lib. 18. c. 29. tribuit ei vim humectandi atque optimo ſucco ſeu lacte alendi & implendi fruges. Hujus enim defluvio, inquit, velut ex ubere aliquo ſata cuncta lacteſcunt, hoc eſt, fæcundum & frugiferum fructum concipiunt. Ego alium haud influxum in inferiora invenio, quam qui vulgo aſtris omnibus conceditur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Per veſtigia majorum aſcenditur ad gloriam.

24.

N. 24.




T.S. f.

PRædeceſſorum facinora ſummaria ſunt, quibus Succeſſores inſtruuntur ad æqualia, ut juvenes aquilæ seniorum volatu ad ſequelam pertrahuntur: Ita majorum veſtigia ſunt leges juniorum. Certè Tiberius Imperator omnia *facta, dictaquè Auguſti Cæſaris vice legis obſervabat*, ait Cornel. Tacit. Ex Alethologorum doctrina. Heroës per viam lacteam progreſſi, ad ſplendores perducuntur, ſanguinis etiam profuſione, lucrati ſunt nominis candorem. Ita Politice, quam cum lacte imbiſiſti indolem, in Anteceſſorum exemplis exerce, preſſoquè pede ſemitæ laudum, benefactorum luminibus, quaſi aſtris, inſtratæ, indefeſſo curſu inhære. Lupoldi Auſtriaci ad Sempacum generoſitas anno 1386. profuſo ſanguine lacteam omnibus Auſtriæ Archi-Ducibus viam ſtraviſſe videtur; quando ille candentem veſtitum belli-

*Tacit. l. 4. Annal.*

bellicoſo ſanguine pinxit, ſolo, quem baltheum incinxit, circulo ſuo in candore relicto. Cujus prælii memoriam inſigniter Auſtria tenet, inſignita candido ſcuti baltheo ſanguineo transverſum campo illud dividente. Inde ad eum, quem etiamnum tenent gloriæ apicem, tot Auſtriaca ſidera pertigêre, ſuo ſemper in lacte ad tam glorioſam ſemitam enutriti. Nempe: *Cranzius l. 9. Vandal. c. 39.*

*Fortes creantur fortibus & bonis,*
*Eſt in juvencis, eſt in equis patrum* *Horat.*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant Aquilæ columbam.*

Quinti Maximi & Publii Sciponis laus eſt, ſi quando Majorum ſuorum imagines intuerentur, inflammari animos ſuos ajebant, & in virtuoſa acta incitari; nec ante conquieſcere poterant donec ſemitam laudum ita decurrerent, ut rerum à ſe geſtarum famâ ac gloriâ eos omnino exæquarent. Nempe Prædeceſſores glorioſos habuiſſe felicitatis eſt, at imitari eſt virtutis. *Is mihi videtur Ampliſſimus, qui ſua virtute in altiorem locum pervenit:* Ciceronis effatum eſt. De tuo adde majorum exemplis. Illi Pharum accenderunt, tu remum intende: Illi facem prætulerunt, tu ſequere præeuntes. Illi faſciam & baltheum proprio Marte ac arte meruerunt; tu diſce tanquam ad ideam ac regulam ornare & componere vitam tuam juxta viam illorum atque virtutes. *Hæc ſemita laudum.* Claudi. l. 3. de Conſul. Honor. *Cic. pro Roſc. Amerin. Plut. Them.*

# QUÆSTIO II.

## *De coloribus in aere apparentibus.*

EXperientiâ & oculis videmus quoſdam colores apparere in nubibus, maximè tunc, quando illas poſt Solis occaſum, vel in aurora obſervamus, qui ornamentum non mediocre mundo afferunt. Spectamus illas jam rutilas, jam flavas aut candidas, modò virides & cinereas, aliquando obſcuras & opacas. Unde præcipuè quatuor colorum genera notantur, albus nempe, niger, rubeus & viridis. Dubium hic eſt, utrum hujusmodi colores proprii & veri ſint, & unde proveniant. Quare ſit

Concluſio Prima. Colores, qui in nubibus apparent non ſunt proprii & veri colores ipſarum nubium, ſive exhalationum, & vaporum, quibus ipſa conſtant: ratio deſumitur ab eorum inſtabilitate & continua varietate, videmus enim nubes cinereas Sole ad illas accedente reddi purpureas, & puniceas, eodemquè ſolari lumine recedente vel deficiente rurſus deficere in albidas, cinereas, & nigras juxta menſuram nempe incidentis lucis & nubium temperamenti, ergo ſignum eſt, tales colores haud emanare ab ipſis nubibus ſive exhalationibus & vaporibus, cum hi ibidem perſeverent.

Concluſio Secunda. Nec hi colores, qui in nubibus apparent, ſunt Solis, ejusve radiorum proprii. Ratio eſt, quia nubes varias colorum formas aſſumunt; ut jam virides, jam purpureæ appareant, ſed neque Sol, neque ejus radii ſunt virides, aut purpurei, ergo.

Argues tamen contra primò: nubes ſunt Solis ſpeculum, unde ſicut colores, qui repræſentantur in ſpeculo, ſunt ipſimet colores objecti repræſentati, ita pariter colores in nubibus relucentes erunt colores Solis ibi per reflexionem repræſentati. Secundo color, qui viſitur in cubiculo obſcuro, in quo tantum tenue foramen relinquitur, cui opponitur charta, eſt color ipſarum rerum, quæ tranſeunt per plateam, omnia enim hæc fiunt per ſpecies reflexas; quo idem ſentiendum de nubium coloribus. Reſp. ad primum, diſparitatem eſſe, nam in ſpeculo videntur colores objecti, cujus ſpecies in tali corpore terſo reflectuntur, at verò in nubibus, cùm alius color appareat diverſus à colore Solis & radiorum, ſignum eſt, nullam ita in iis fieri horum reflexionem. Eadem eſt reſponſio ad ſecundum, quia in allata inſtantia objectum habet ſimiles colores, qui ibi ad chartam reflexi videri poſſunt; at verò in nubibus apparent colores, qui in Sole non ſunt.

Concluſio tertia; colores, qui in nubibus videntur, non ſunt veri, ſed apparentes, qui oriuntur partim ex diverſitate affectionum materiæ, in quam lux Solis, Lunæ, vel aliorum aſtrorum incidit: partim ex diverſo aſpectu luminoſi; partim ex qualitate medii, per quod transmittitur, aut ſpecies viſibiles ad oculos feruntur, partim denique ex alia & alia intenſione vel remiſſione luminis. Probatur hæc doctrina variis inſtantiis. Primò in vitro trigono, ſive triangulari, cùm luci opponitur, ob diverſitatem opaci inæqualis, & diverſam luminis incidentiam generantur ſimiles colores diverſi; Secundò in collo columbæ, cujus ſubtilisſimæ plumæ aliqualiter ſunt diaphanæ, & ob criſpas colli undulationes admittunt opacitatē inæqualem, ſimiles apparent colores, qui tamen nec in vitro triangulari, neque in collo columbæ ſunt, niſi tantùm apparenter, ergò etiam ex mixtura lucis in corpore diaphano cum aliqua opacita-

te

te umbroſa, qualis eſt nubis, poſſunt ſimiles colores generari, qui ſolùm ibi apparenter, non tamen veri ſunt. Similiter ut flammæ ex varia fumi commixtione variè colorari ſolent, aliæ enim puniceæ, aliæ purpureæ, aliæ virides apparent, ita aſtrorum, præſertim Solis ac Lunæ variæ ſpecies nobis effulgent pro diverſitate medii inter illa & aſpectum noſtrum conſtituti. Hinc eodem tempore Sol oriens nobis ob copiam vaporum ſuperficiem occupantium rubet, & idem reſpectu alterius horizontis altior flavet, quia hujus radii à medii vaporibus calore conſumptis nullam opacitatem contrahunt.

Ex his colliges, cauſam materialem horum colorum, cui videlicet inexiſtunt, eſſe vaporem & exhalationem, vel aërem addenſatum, vel etiam aquam, præſertim quæ in majorem raritatem attenuata ſit. Formalem eſſe lucem variè modificatam, efficientem lucida corpora, aliáque id genus, quæ lumen ipſum jaculantur, & materiam ad ejusmodi colores admittendos præparat.

Argues tamen contra primò. Colores apparentes variantur, quoties variatur poſitio oculorum, ut fit in coloribus, qui in collo columbæ apparent; ſed non ita contingit in nubibus, earum enim colores perſeverant, licèt oculorum poſitio varietur, ergo. Secundò, aliquando poſt Solis occaſum per integrum horæ quadrantem perſeverat in nube ejus color flavus, ergo hic non reſultat ex mixtura lucis cum opaco nubis. Reſpondeo ad primum, poſitionem oculorum non adeo facilè variari, ut reſpectu talis poſitionis varietur etiam in nube mixtura illa lucis cum opaco; quod tamen facilè accidit in collo columbæ, cujus color facilè variatur, quia ſubtiliſſima plumæ criſpantis opacitas facillimè etiam variatur. Ad ſecundum nego conſequentiam, licèt enim Sol jam occiderit reſpectu noſtri, non ita recidit reſpectu nubis, quæ cùm ſit in horizonte & in ſublimiori loco, adhuc reſpicitur & penetratur à Sole ſpatio illius quadrantis, ſicque perſeverat in eo eventu talis color, quia perſeverat lux Solis nubem penetrantis.

Quæres adhuc primo, quomodo ergo color albus, niger, rubeus, & viridis ac alii intermedii colores generentur? Reſpondeo, album generari, quando in nubem rariorem, & ex vapore ſubtiliore, parúmque condenſato conſtantem, lux luminarium cœleſtium incidit, eámque penetrat, & in totum ejus corpus æquabiliter diffunditur. Niger verò color in nube ex denſa & craſſa materia conſtante, parumque luminis recipiente producitur. Rubeus fit, cùm nubes in ſe habent humidum, fumoſum, terreſtri aduſto commixtum in quod incidens Solis radius non penetrat, ſed repercuſſus duplicatur rubeumque colorem efficit. Viridis color oritur, cùm nubes eſt aquoſa & rorida, ac ſtillare jam incipit recepto lumine, quod enim aqueæ eſt injectum materiæ, viridem colorem efficit. Denique reliqui colores medii gignuntur ex majori vel minori incidentia Lucis, qualitate medii, & diverſitate affectionum materiæ.

Quæres ſecundo, cur cœlum, dum ſereniſſimum eſt, cœruleum appareat? Reſpondeo, hoc ex eo contingere, quia tunc nullum in aëre corpus opacum, quod aut terminare oculos, aut fallere poſſit; unde viſio tendit in ſolùm aërem, qui cùm ſit corpus tenuiſſimum, oculo nullos videndi limites ponit; quo verò magis ab oculo diſtat objectum, eò amplius vergit ad nigredinem. Hinc cùm viſuales radii in ſerena cœli facie terminum non aſſequantur, fit, ut ſuperficierum aëris multiplicatio ex æquali lucis & tenebrarum miſtura medium oculo colorem nempe cœruleum affundat; ſicut eundem montes remotisſimi colorem oculis ingerunt, eadem ſuperficierum aëris multiplicatione cauſatum.

Quæres tertiò. Quid color albus, niger, rubeus & viridis portendat? Reſpondeo: albus color ſerenitatis & ſiccitatis eſt nuncius, quoniam tenues hæ & raræ nubes parùm aut nihil humoris continent, & facilè disſipantur. Niger color graves tempeſtates & largos imbres denunciat. Rubeus color & ſerenitatis & tempeſtatis eſt nuncius. Serenitatem promittit rubedo veſpertina, quia nubem raram & æſtu diurno Solis exſiccatam eſſe oſtendit; tempeſtatem denotat matutina rubedo, quoniam oſtendit Solem multos vapores attrahere in ſublime. Viridis demum color, ob aquæ copiam in nube exiſtentem, magnas indicat pluvias.

## CONCLUSIO POLITICA.
### Coloratis prætextibus attende.

Quis credat, ipſum cælum mentiri? Pictis illudit coloribus, faſcinat oculos, & dum aërem purpurat, evanido mox ſpecioſo apparatu nubium ſe velamine obfuſcat. VelutPavo ſyrma extendit, & cum pompoſa colorum proſopopœia gemmas ac adamantes cauda præfert; contractâ illico atque decuſſatâ colorum ſuppectili ales fit, quam ſui pudet

pudet ipſius. Ita ſpecioſos conſiliis ſuis titulos ſæpè prætexit mens fucata, palliat animi latebras, purpurat fraudum pedicas, pro Reipubl. ſalute Zelotes ſplendicat: at detecto ſipario, revelatiſque occultis machinis, everſor communis Boni audit, Principis ac populi tra-

25. N. 25.




ditor, qui regnum promovet ad occaſum. Pellucidum vitrum à colorum triade trigonum dictum Iridem refert, picturâ exhilarat: Sole recedente colores exuit, pallium detegit, quo credulum nimis oculum decepit. O quoties Pacis Iridem prætexit Conſiliatrix lingua Provinciæ bonum atque augmentum, populi quietem: & tandem ſub larva ludit, & illudit, imò cum hoſte colludit, peſſimus communis boni œconomus; quia cùm domeſticam rem promovere videtur, tanto pejus nocet, quanto minùs noſcitur. *Nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quam eæ, quæ latent in ſimulatione officii* (loquitur Romana facundia) *nam eum, qui palam eſt adverſarius, facile cavendo vitare poſſis: hoc verò occultum inteſtinum, atque domeſticum malum, non modò non exiſtit, verùm etiam opprimit, antequam proſpicere atque explorare potueris.* *Cic. orat. 1. in Verrem.* Quod afforis exhibet, formoſum eſt: quod auribus offert, ſalutare: at quod intentio celat, in ruinam cedit Reipublicæ. Sincerum cor ad ſpeciem fingit, proditionem in abſceſſu abditam reſervat. Fons turbidus eſt, venenum diſſimulat. Jure ergo Græcus ille Scriptor: *A nullis plus inſidiarum Regibus tenditur, quàm ab his, qui ſe ſimulant amare maximè.* *Xenophon.* Ne ergo crede colori. Prudens diffidentia inſania non eſt. Audi conſilia, excipe vota; at ſpecioſa ſunt, intimiùs perſpice, totus oculus fias, qui ſub colore lateat, velut Argus conſidera: diffidentia hæc providentia eſt. Tam enim ſtudioſus ſui palliandi infidus eſt animus, ut velut mare ſyrtibus abundet, ac ſinuoſum in ſe recondat ambitum, non niſi tractu temporis detegendum. Scitè enim arcana conſilia diſſimulat, oculi amicitiæ favum propinant, lingua Regni Patriæque Patrem loquitur, communiſque navis promotorem: at fluctus in receſſu fovet, qui Reipublicæ ratim, cum Principe Navarcho in ſcopulos propellat. Unde Tu Leonis Junioris adagio ſtare contende: *Fide, & diffide.* Credere omnibus, facilitas eſt, diffidere omnibus veſania eſt. Fidere cum fiducia, boni Politici eſt.

# QUÆSTIO III.

## *De Voragine, Hiatu, & Halone aut Area ſeu Corona.*

PRo diverſitate apparentium colorum, qui ſpectantur in aëre, & figurarum, quas exhalationes in eum evecti induunt, contingit, ut in ſublimi diverſæ rerum ſpecies & imagines appareant, inter quas prima occurrit vorago & hiatus, ſive chaſma, de quo ſit

Concluſio prima. Chaſma eſt meteorum apparens, ſpeciem exhibens aperientis ſe & dehiſcentis cœli, quod tunc contingit, cùm ſerenâ nocte multæ exhalationes ſive vapores in ſublimi, in medio quidem denſiores in Orbem verò rariores inter lumen aſtrorum, & noſtrum aſpectum conſtituuntur, ſimilitudinem foveæ exhibentes, quæ ſi magna ſit, vorago dicitur, ſi parva, hiatus. Cauſa verò apparentis profunditatis eſt, quoniam, quanquam æquabiliter ſint ſitæ hujus nubis partes, tamen extremæ ob lucis profuſionem ſunt clariores, hoc eſt, extremæ partes ſunt ſubtiliores, & albeſcunt, ac propiores nobis eſſe videntur. Media autem, quæ denſa, & nigra eſt, longiori receſſu in profundum ſubſediſſe putatur, idque non aliam ob cauſam, quàm quod, quæ clara ſunt, albóque apparent colore, celeriter viſum moveant, quæ vero nigra & obſcura ſunt, minùs eum afficiant. Unde ingenioſi pictores, quas partes in ſuis tabulis profundiores conſpici cupiunt, illos nigro & cœruleo colore exprimunt, eúmque albo circumdant, ubi ita profunditas quædam eſſe videtur. Cùm vero quidpiam eminens, aut aliquid aſpectui vicinius repræſentare volunt, albo, aut coloribus ei cognatis id exprimunt, nigrum aut cœruleum circumquaque adhibentes.

Patet ex his cauſa formalis, & materialis iſtarum apparentiarum. Cauſa vero efficiens ipſarum ſolet eſſe caſualis, caſu enim accidit, ut vapores nigri ſubjiciantur exhalationibus accenſis, ita ut lumen per ipſos tranſiens coloretur, & quod diſponantur ita, ut forment apparentiam hiatus aut voraginis, vel aliorum ſimilium. De effectu horum ita loquitur Plinius l. 2. c. 37. quòd ſint prænuntia ingentium malorum, ſeditionum, defectionum, incurſionum hoſtilium, & immodicarum ſiccitatum. Quæ omnia, ſi ultimum demas, meâ opinione commenta ſunt.

Concluſio ſecunda. Halo, Latinis Area, Plinio & Senecæ Corona, eſt circulus circa Solem, aut Lunam, aut aliud quodvis aſtrum, qui exprimitur in aëre incidentiâ luminis ab aſtro in vaporem diſpoſitum, & pro ejus diſpoſitione varios ſortitur colores. Nominatur *Area*, quoniam areæ rotundæ ſerendis frugibus apud Veteres deſtinatæ ſimilitudinem habet. Plinius & Seneca circulum & coronam vocant, quia rotundâ plerumque conſtat figura & ſidera cingere & coronare videtur. Ruſtici hanc impreſſionem vocant, **der Sonnen Hof/ oder der Sonnen Cron/ oder deß Monds Hof/ oder Cron.**

Concluſio tertia. Generatur hoc phaſma, quando vapores ex terra exhalantes æquabiliter & moderatè in orbe ſpiſſeſcunt, nubémque efficiunt tenuem & quaſi complanatam. Quæ deinde ſideris, cui ſubeſt, & cui directè, apponitur, radiis non nihil propter ſpirationis denſitatem infractis & circumdiffuſis illuſtrata aream quandam rotundam oſtendit. Cauſa ergo efficiens eſt Sol, Luna, vel alia quædam illuſtris ſtella, nubem raram fulgore ſuo feriens & illuſtrans. Materia ſive ſubjectum eſt nubes, quæ tribus debet eſſe prædita conditionibus. Primùm, ut ſit rara, non denſa, ut lumen ſideris poſſit penetrare. Secundò, ut ſit æquabilis vel uniformis non in una parte craſſa, in altera tenuis. Tertiò, ut directè ſub aſtro conſiſtat. Forma eſt refractio luminis in nube ad angulos æquales, ideoque forma eſt rotunda, & integro circulo apparet halo, quo areæ ſpatium clauditur. Quomodo autem ad angulos refractio fiat, docet Seneca lib. 1. natur. quæſt. cap. 2. his verbis: Humor & Aër & omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt ejus, quod impellit, omne autem lumen rotundum eſt, ergo & aër percuſſus lumine hunc modum exhibet.

Hoc autem Idolum in medio eſt luminoſum, quoniam in mediam nubem rectiores radii Solis vel Lunæ, incidentes eam fortiùs attenuant, magisque illuminant. In extremitate verò nigricans eſt, quia in eam radii obliquiùs & debilius

debiliùs incidentes minùs eandem illuminant, & obſcuram relinquunt. Nonnunquam tamen deficiente materiâ non integer circulus, ſed quædam tantummodo illius portio cernitur.

Dices: In coronis aliquando apparent varii colores, ergo non differunt ab Iride. Reſpondeo, varios aliquando colores apparere in coronis, non eo tamen ordine, quo apparent in Iride, ſed ordine planè inverſo, ſicque etiam adhuc differunt ex hoc capite, de quo plura, ubi de Iride.

Quæres primò, an halo vicinus ſideri ſit? Reſpondeo: etſi proximè ſidus cingere, & quaſi coronare videatur, hoc tamen viſus noſtri imbecillitati adſcribendum, idolum enim hoc directè infra ſidera in medio aëre exiſtit.

Quæres Secundò. Cur frequentiùs Lunam, quàm Solem, aliavé aſtra ambire videatur? Reſpondeo: Rationem eſſe, quoniam ſub Sole non facilè poſſunt colligi & ſubſiſtere tenues iſtæ nubeculæ, in quibus halo generari ſolet, propter calorem iſtius diſſipantem. Reliqua verò aſtra infirmiorem habent lucem, quam ut ſemper poſſint in corpore ſubjecto ſplendorem, hujus præſertim figuræ, cujus eſt halo, efficere. Lunæ autem vis inertior, quàm ut diſcutere vapores poſſit, neque tamen tam exigua, ſicut reliquarum ſtellarum.

Quæres Tertiò. Quo tempore halo contingat? Reſpondeo: poſt Auſtri flatum plerumque generari, quoniam tum craſſiuſculi excitantur vapores, in quibus halo facilè imprimi poteſt. Deinde in autumno & vere frequentiùs conſpicitur, cùm remiſſiora ſunt calor & frigus, & plus humidarum exhalationum redundat in aëre. Unde & noctu ſæpiùs, quàm interdiu producitur, quoniam die calor eſt fortior præſente Sole.

Quæres Quartò. Cur irides frequentiùs à Sole, coronæ autem frequentiùs à Luna fiant? Reſpondeo: id eſſe, quia ad iridem major exigitur copia luminis, quàm ad coronam, in qua modicum ſufficit lumen inſperſum vapori, ſicque ad hanc ſufficit lumen Lunæ, ad illam tamen exigitur lumen Solis, à quo frequentiùs fit.

Dices: Si aliquando fieret à Sole, illam videremus, ſed non ita videmus, ſicut videmus iridem, ergo. Reſpondeo: Iridem videri, & non ita facilè coronam ſolarem, quia cùm debeant oculis in Solem intentis aſpici, & in iride oculus ſit inter Solem & nubem, poteſt facilè iridem videre; in corona autem, cùm nubes ſit inter oculum & Solem, non poteſt oculus Solis coronam videre.

Quæres Quintò. Cur corona ſit perfectè circularis, non ita verò iris? Reſpondeo: quia undique habet vaporem ſparſum, in quo totum implet ambitum, quod non habet iris, cui inferne obſtat terra.

Quæres Sexto: Quare corona potiſſimùm ſit unicolor, iris autem ſemper verſicolor? Reſpondeo: quia lumen, per quod fit corona, eſt imbecilliùs, cùm plerumque ſit Lunæ, & fiat in tenebris; licèt ſolares coronæ, rubræ ſint, & aliquando verſicolor corona appareat, ut ait Seneca l. 1. c. 2. Ulterior etiam ratio dari poteſt à diverſa affectione nubium.

Quæres Septimo: Quid corona portendat? Reſpondeo: Si cito evaneſcat, ſolet eſſe ſignum ſerenitatis, cùm indicet, vapores eſſe valde debiles; ſi perſeveret pertinaciter, ſignum eſt pluviæ, cùm oſtendat concretionem vaporum eſſe valde conſiſtentem; ſi ſcindatur & diſtrahatur, eſt ſignum ventorum, cùm talis diſtractio fiat à flatibus, licèt adhuc non ſentiantur in terra. Cæterùm narrat Seneca, quod eo die, quo Octavianus Cæſar urbem victor ingrederetur, corona iridis ſpecie Solem ambire viſa ſit. Idem contigiſſe referunt inaugurationis luce Caroli Imperatoris. Sabell. l. 1. C. 4. tradit, ante mortem Henrici VII. Imperatoris præter alia ſigna etiam circularem ſpeciem lucidam Solis orbem ambiiſſe. Similiter Lothario imperante ſcribunt, in civitate Paderbornenſi viſos duos ad Solem circulos, quorum interior Eccleſiæ magnitudinem, exterior vero urbis complexus fuit latitudinem. Vix dum evanuerunt, exortum eſt incendium, & urbs cum Eccleſia miſerabiliter conflagravit. Ita Crantzius l. 6. Metrop. C. 23.

Pariter Schefferus in memor. Suec. gent. cap. 2. teſtatur paulo ante Joannis Regis in Suecia obitum ſupra regiam Holmiæ, cœlo ſereno apparuiſſe circulum varii coloris in nubibus, quos Rex ipſe intuitus, nuncios eſſe judicavit mortis ſuæ. Quare illos in vicina arcis æde ſacrâ exprimi coloribus mandavit. Neque fuit vanum augurium, paucis enim poſt diebus ex morbo diſceſſit. Hæc tamen omnia caſu potiùs quàm halonis præſagio facta judico, quamvis in ſignum horum eventuum à Divina Providentia aſſumi potuerint.

Colliges, ſimilem eſſe rationem coronæ, quæ videtur aliquando circa lucernas, præſertim tempore humido, velut cùm flat Auſter, ut obſervat Seneca. Oritur nempe hæc corona ex eo, quod radii lucernæ refragantur à vaporibus circumfuſis, admixtis cum fumoſitatibus, quæ prodeunt ex ipſa lucerna, talis autem corona apparet rotunda, licèt flamma ſit pyramidalis, quia radii refracti à vaporibus ejusdem denſitatis deferuntur ad oculum cum eadem refractione & obliquitate, atque adeo repræſentant objectum cum eadem diſtantia & cum rotunditate.

Colliges ſecundo ex eadem ratione, cur oriens, occiduúsque Sol major intuentibus appareat, quàm meridianus, quia nempe aëre vaporibus pleno obliqui Solis radii refringuntur, & objectum amplificant. Sic etiam Lapillus fundo pelvis aquâ plenæ merſus majorem ſe, quàm ſit, mentitur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Turcæ juratus hoſtis maneat Politicus.

26.

N. 26.




*In Licinio Liciniano Imp.*

Liceat cum Pomponio Læto conqueri, qui adverſus ſui ævi injurias haud injuriâ indignabatur. Mali dæmones ſic implevêre noſtras mentes, ut relictis veris hoſtibus, in nos noſtrorumq; membra armatas & ſanguinolentas manus convertamus. Auſim dicere, omnes ſub uno ſigno Crucis militare, noſtram religionem unam eſſe, Rempublicam unam, ipſius Dei urbem, cujus nos cives ſumus, & bellum inter nos eſſe non poſſe, niſi civile. Hæc ille. Ergò poſitis diſſidiis, levibusque irarum incitamentis, quæ à pernicioſo *Idolo Statûs* procedunt, junctis animis armisque contra decumanos Ottomannâ à Porta excitatos fluctus vos coadunate, atque immanem illum nominis veſtri hoſtem, Fideique Cerberum frangite. Utut Pacis amans ſum, ac Marciani Imperatoris adagium non rejicio: *Dum in Pace eſſe poſſumus*,

*mus*, *arma non induamus*. Quùm tamen juratam in capita noſtra Mahometanam Hydram cogito, quæ omne ſtudium atque laborem in noſtram acuit perniciem, haſtatos vos omnes atque loricatos (Fidei ſcilicet loricâ) deſidero. Aſpicite gementem ſub dura ſervitute fidelem populum; audite fletus amaros jugéſque ejulatus Chriſtiani ſanguinis: atque ad eliberandos illos, hujus verò tyrannidem debellandam, armorum ſocietatem jungite. Qualis quondam Godefridi Bullionii, Roberti Comitis Flandriæ, Hugonis Philippi Galliæ Regis Fratris, Roberti Ducis Nortmanniæ, Joannis Hunniadis, & Matthiæ Corvini Regis Hungariæ, aliorúmque Principum unio laureata de hoc immani hoſte arma reportavit. Non poteſt non Luna frangi, atque è ſtagnis emergens Thracica bellua edomari, ubi cum Aquilis Leones viribus nervisque intentis in cervicem ejus armantur.

Quoniam verò Mythologorum ab experientiâ ſenſus eſt, vel maximè Auſtro flante Lunam halone incingi: ad te Auſtriace politice mea ſe vertit oratio. Secunda tibi arma ſecundus Iſtri fluvius promittit, quo in Thraciæ fines defluus præcocem pedem in Sarmatica ripa ponas antequam Luna Turcica caput ſuum erigat, redditâque Hungariæ clavi Albâ Græca in ipſa Ottomanni regni viſcera penetres: quo Chriſtianam plebem è dura catenarum ſervitute eliberes, ipſam verò Scythiæ Lunam, velut halone injecto, in ferrum ac pedicas compellas, & immanem belluam impoſito in os annulo pedibus tuis ſubſternas, ac perpetim clauſum æterna ſervitute ſubjicias. Sic ſcil. orientis Luna & vincitur, & vincîtur ab Auſtro. Jamjam Strigonio expugnato, Buda occupatâ, Eſſekini pontibus obtentis, Petri-Varadino in antemurale fortificato, Danubii latera in poſſeſſionem traxiſti: continuatâ ſerie lauros proſequere, arma tua excita ac pervigili volatu Aquilæ tuæ alas ultro promove, Fidei veræ amore, Auſtriacæ Fortitudinis ope, Mahometanæ Lunæ perpetuam impone eclipſim, illud Alberti II. Auſtriaci Imperatoris effatum in factis exhibens: Fide & Conſtantiâ.

# QUÆSTIO IV.

## *De Virgis, Parelio, & Paraſelene.*

CONcluſio prima. Virgæ aliàs columellæ, & funes tentorii, item lineæ perpendiculares dictæ ſunt, quas Solis radii directè in nubem aquoſam diſſimiliter tamen raram incidentes & refracti efficiunt. Dicuntur virgæ, quoniam ſunt ceu virgæ exporrectæ à ſuperiore parte nubis ad inferiorem. Lineæ perpendiculares nominantur, quoniam rectà à Sole deſcendere videntur. Funes tentorii, quia ſunt radii Solis protenſi in modum funis. Columnellæ appellantur, quoniam & illæ ad perpendiculum eriguntur aut ſtatuuntur. Vulgo dicunt: Die Sonne zeucht Waſſer.

Concluſio 2da. Generatur phænomen iſtud, cum radii Solis incidunt in nubem inæqualem, hoc eſt, cujus partes partim raræ, partim denſæ. Rariores partes radii tranſeunt, & candidas, ſive claras quasdam lineas in iis ducunt, quæ apparent ad inſtar virgarum; ut cùm per foramina feneſtræ ſubeunt radii in cubiculum obſcurum, ſimile videre eſt etiam in aqua, dum enim Sol obliquè ferit leniter criſpatam ſuperficiem maris, illa ſuperficies videtur exarata veluti virgis luminoſis. Denſiores autem & humore plenas cùm non omnino penetrent, refractis radiis obſcuriore colore eas pingunt, unde diverſorum colorum imago exiſtit, colores Iridis quanquam obſcuriùs aliquo modo referens & imitans. Maurus verò ſic colorationem explicat: colorantur verò, cùm lux feriens tales vapores obſcurat, & varios refert colores clariores, aut minus claros, prout obſcurat magis aut minus. Hinc Seneca vocat has Virgas imperfectos arcus Iridis, quod facies quidem illis ſit picta, ſed nihil curvati habeant.

Obſervandum porrò primo, quoad ſitum harum virgarum, quod nubes non debeat eſſe oppoſita Soli per diametrum, quia ita fieret Iris, neque ſubjecta ad perpendiculum, quoniam halo generaretur, ſed debeat ad latera conſiſtere non maximo intervallo, ut fieri poſſit refractio; non minimo, ne conſumatur nubes à Sole, ſed mediocri, ut utrúmque incommodum vitetur.

Obſervandum ſecundò. Quod niſi aër fuerit vel fumo, vel vapore nonnihil opacatus, non affulſuræ ſint hæ virgæ, quia in diaphano lumen conſpicuum non eſt, niſi ex opaco corpore reflectatur.

Quæres primo. Cur propè terram latiores viſantur hæ virgæ? Reſpondeo cauſam eſſe, quia radii dimiſſi ab oppoſitis limbis Solis, neque ſenſu phyſico ſunt paralleli, & ſemper progreſſu magis divaricantur, etſi radii ab eodem puncto Solis dimisſi ſenſu phyſico cenſeantur paralleli.

Quæres ſecundo. Quô tempore compareant, & quid ſignificent? Reſpondeo eas matutino

tino potiſſimum, & veſpertino tempore ut plurimum apparere,quando nempè materiam nubis, propter radiorum efficaciam, non ita conſumere poteſt Sol. Semper autem pluviæ ſigna ſunt, quia magna pars nubis humoris plena eſt & eo craſſior, denſiórque, quæ mox diſſolvitur in guttas, & ſeſe in pluviam effundit.

Concluſio Tertia. Parelium bene definitur, quod ſit Solis imago juxta eum in nube viſa; dicitur enim parelium à παρὰ & ἥλιον id eſt juxta Solem, quoniam ſplendore & figurâ ſimilis eſt Soli.

Concluſio quarta. Subjectum ſeu materia hujus phaſmatis eſt nubes, quæ primo debet eſſe denſa, ne omninò radios Solis transmittat, ſed ut receptam Solis faciem retineat, & terminet more ſpeculi, à quo imagines reflectuntur, neqùe enim reſilire, & reciprocare imagines ſolent, niſi cùm impingunt in aliquid, quod ulteriorem earum progreſſum inhibeat; quam ob cauſam ſpeculis vitreis plumbum averſâ parte illinitur. Secundò debet eſſe plana, quia inæquabiles, aſperſæ & ſordidæ non recipiunt, ſicut etiam apud nos res aſperæ, maculoſæ aut impolitæ nullam reddunt imaginem. Tertio conſiſtentem, ſeu quieſcentem eſſe oportet, niſi enim tranquilla foret nubes, jam propter mobilitatem & inconſtantiam non poſſet in eam imprimi Solis imago, ſed diſpergeretur, quemadmodum videmus in aqua commmota & fluctuante imagines ſic & humida rerum turbari & confundi. Quarto aquoſa ſit & humida, quia in tali facile Solis imago reſplendet, quemadmodum & in aqua, cujus naturæ cognatæ nubes ſunt, formas reddi videmus. Quinto denique Soli ad latera & ex obliquo, hoc eſt, vel ad Auſtrum vel ad Septentrionem (quæ Aſtrologis ſunt quaſi latera Solis ab ortu in occaſum commeantis) occurrat, ut totam Solis faciem recipere & referre poſſit. Cùm enim radii ſolares in nube refracti ad viſum noſtrum tum idolum Solis, tum colorem ejuſdem exprimant, haud aliter ac in immoto & limpido fonte Solis imaginem cernimus.

Concluſio quinta. Sub Sole, aut propè Solem, aut procul è regione illius parelium generari nequit. Ratio primi eſt, quia nubem ita vicinam ſibi, diſſiparet Sol. Ratio ſecundi eſt, quia propter longum intervallum ſive diſtantiam & imbecillitatem viſus noſtri, nulla, aut admodum exigua fieret reflexio & imaginis impreſſio.

Quæres, quis ſit numerus pareliorum? Reſpondeo numerum ordinariè binarium eſſe, contingere tamen poſſe, ut non tantùm duo, ſed & plures Soles appareant, fieri enim poteſt, ut plures nubes hiſce conditionibus, quas diximus, ſint prædītæ, & ita collocentur, ut imago Solis ad unam perducta aliam imaginem in alteram nubem imprimat, & hæc rurſus in aliam. Hinc aliquando viſi ſunt tres Soles, ita ut duo alii Soles viderentur hinc & inde ad latera Solis veri; ita ad Cameracum contigiſſe teſtatur Frodoardus; 1628. die vigeſima Martii Romæ apparuerunt quatuor, qui in candidas nubes reſoluti dicuntur à *Gaſſendo* lib. de parel. Dietmarſiæ verò quinque viſos eſſe plures ſcribunt Authores. Demum Mylichius annotat Sex Soles ſimul à Rege Poloniæ conſpectos fuiſſe. Idem memorat Cardanus, & addit, Soles apparentes fuiſſe adeo claros, ut non poſſent diſtingui à Sole vero.

Difficultas nunc eſt, utrùm illud, quod videtur, quando fit parelium, ſit lumen illud, quod refractum eſt intra nubem; an vero Sol ipſe reſplendente nube tanquam è ſpeculo?

Concluſio Sexta. Probabiliùs eſt videri ipſum Solem in nube tanquam in ſpeculo. Ratio eſt, quia ſi nihil videretur aliud, qùam lumen refractum in nube, non appareret adeo perfecta imago Solis, ut ea vix à Sole ipſo diſcerni poſſet. Deinde quemadmodum in ſpeculis non imagines, ſed res per eas repræſentatas cernimus, in alieno tamen ſitu, nempe in ea parte, unde imagines reſiliunt (quando quidem ſpecies non ſunt objecta viſibilia, ſed ſunt formæ, ſimilitudinesvè, quarum interventu oculus viſionem allicit) ita nec in nubibus, effigiem Solis conſpicimus, ſed ipſum Solem in alieno ſitu videlicet in nube, à qua imago ad oculos reſultat. Itaque cùm tres apparent Soles, ut unus duntaxat ſecundùm ſubſtantiam eſt, ita unus tantùm cernitur, ſed per triplicem imaginis delationem, quarum una progreditur à naturali, proprióque ſitu ipſius Solis, qui in quarta ſphæra cœleſti eſt; aliæ vero à nubibus, unde Solis imagines reflectuntur.

Diſſentiunt huic concluſioni non pauci cum Keplero præſertim ex eo, quod in pareliis anguli reflexionis non ſint æquales angulis primæ incidentiæ; ſed nihil ex eo probatur, quia nubes, in qua fit parelium, cùm ſit ad latus Solis, non poteſt fieri per eandem lineam primæ incidentiæ. Poſito jam hoc, quod ipſe Sol multiplicatus cernatur in nubibus, quæri ulterius poteſt, an hoc fiat duntaxat per reflexionem nubis ſpecularis reflectentis Solis imaginem, ut inſinuavimus, an vero etiam fieri poſſit per refractionem?

Concluſio Septima. Apparentia plurium Solium fieri etiam poteſt per refractionem. Ratio eſt, quia ſicut, ſi inter Solem & objectum ponatur vitrum plurium facierum, obje-

ctum

ctum videtur multiplicatum, ſic poteſt Sol videri multiplicatus, eo quod inter oculum & Solem mediet vapor refringens radios ſolares ad modum vitri plurium facierum. Rurſus ſicut, ſi aſpicias lucernam per lentem vitream interpoſitam, præſertim, ſi ex una parte ſit plana, ex altera ſit curva, videbis lucernam duplicatam & aliquando triplicatam, ſic aliquando, cùm inter oculum & Solem ponitur vapor ad modum lentis vitreæ, videtur Sol multiplex.

Quæres ſecundò. Quo tempore hæc parelia contingant? Reſpondeo: Serena cœli facies multis effingendis Solibus eſt aptiſſima, cùm nulli venti turbant aërem, nam à ventis diſſipantur nubes, ut effigiem Solis ſuſcipere nequeant; ut plurimùm autem vel oriente, vel occidente Sole fiunt propter nubem nondum radiis ſolaribus diſſolutam, atque attenuatam; quod præterea ſub finem aut initium noctis roſcidus aër reflexiones adjuvet, & refractiones rariſſimè meridie accidunt, quia Sol in medio cœli, unde radios directè, aut minùs obliquè ad terram jacit, idoneam ad id aëris denſitatem caloris æſtu ſolvit. Narrat tamen Ariſtoteles, duràſſe aliquando parelia ab aurora ad veſperam. Frequentiora ſunt autumno & vere.

Quæres tertiò: Quid portendant parelia? Reſpondeo: naturaliter prænunciant pluvias, præſertim ſi in parte Auſtri conſtiterint, inde enim maximè nubes ingraveſcunt, quæ materiâ ſunt pluviæ, ex DEI ordinatione ſunt parelia monitores de inſidiis & clandeſtinis disſidiis; de conſpirationibus ad turbandum imperium vel Religionem, de bellis, contagionibus & ſimilibus. Exempla horum eventuum paſſim ab authoribus annotantur. Sic plures Soles poſt obitum Julii Cæſaris, unde Triumviratus ſecutus eſt, apparuerunt. Cardanus l. 14. c. 70. Anno Chriſti 51. tres Soles Romæ viſi ſunt, & penuria civitatem adeo afflixit, ut multa hominum millia ſame extincta ſint. Vicomeratus comment. in 3. meteor. Anno 571. ante cladem Aruernam plerumque tres aut quinque Soles apparuerunt. Greg. Turon. Hiſtor. Franciæ l. 4. c. 31. Anno 1107. tres Soles conſpecti ſunt, & Boemundus, cùm Græciæ fines devaſtâſſet, relicto in Syria filio, vita defunctus eſt, 1156. Nonis Septemb. cœlo ſereniſſimo tres ſoles affulſerunt: Aſtrologi diſcordiam inter Electores ob Imperatorem eligendum hinc conjectârunt; tanta etiam pluvia conſecuta, ut ſata perierint. Anno 1490. in Octobri menſe tribus ſolibus cum totidem iridibus cœlum illuſtre ſuit, non multis annis poſt cum ingenti exercitu in Finlandiam impetum fecêre Moſchi, cunctáque propemodum regionis illius ferro, flammáque exciderunt. Secuta Regis Daniæ Joannis, quem per annos 14. ſuſpenſum incertúmque tenuere Sueci, coronatio; poſt quæ tempora quantum malorum Suecia ſubire coacta ſit, ex monumentis publicis notum eſt. Schefferus in memorab. Sueviæ gentis c. 2. Annò 1496. tria parelia Romæ viſa ſunt, quo tempore acerrima prælia Caſtrioti Scanderbegi cum Turcis; mortuo Franciſco Sfortia bella in Italia exarſerunt, ſicut in Anglia inteſtina. Anno 1525. trium Solium luminaria Hungariæ regno affulſerunt; ante mortem Ludovici Regis, quæ ſignificâſſe credita ſunt, tres Reges concertaturos pro regno Hungariæ, nempe Ferdinandum, Joannem, & Turcam. Laurent. Sur. hiſt. part. 2. Anno 1528. Tiguri tres Soles fuiſſe viſos, qui famem prænunciare æſtimati (quæ incredibilis poſtea fuit) notat Simon Majolus in diebus canic. Anno 1669. die 10. Jan. circa primam pomeridianam Poſonii in Hungaria parelium obſervatum eſt cum duobus ſpuriis ſolibus collateralibus, qui tam illuſtri fulſerunt jubare, ut nudis oculis haud obſervari potuerint. Evaneſcente deinde uno laterali Sole alter ex oppoſitione reſpondens corpore auctus & major effectus eſt. Secuta fuit infamis illa conſpiratio rebellium quorundam Nobilium in Hungaria & Croatia in Cæſaream Majeſtatem, quæ lamentabilem tandem exitum ſortita eſt.

Quæres quartò: Quid ſit Paraſelene, & quid prænunciet? Reſpondeo, quòd ſit imago Lunæ ex refractione radiorum lunarium, vel reflexione in nube levi & humida repræſentata. Plinius nocturnos Soles vocat. De hoc phænomine Pontanus:

*Sæpè etiam duplicem in tenebris eſt cernere Lunam,*
*Nube cavâ referente aliam ſub imagine formam.*

Unde Plinius l. 2. c. 32. refert Cn. Domitio & C. Fannio Coſſ. tres ſimul viſas; idem contigiſſe teſtatur Hartmannus Schedl in Chronico ad annum 1157. Non accidit verò hoc phaſma, niſi oriente vel ad occaſum vergente Lunâ; Item, non niſi in plenilunio, eo quod tunc corpus lunare fortiùs ſit ad ejaculandum lumen. Rariùs hoc ſpectaculum eſt in Luna, quàm in Sole, ob lunaris luminis imbecillitatem. Obſervandum verò, cùm tres Lunæ appareant, mediam duntaxat veram eſſe, reliquas ad latera apparentes, quod idem de tribus Solibus tenendum. Naturaliter pluvias ſignificat ob copiam humoris in nubibus comprehenſam; politicè aſſumi poteſt ad magnum conflictum aut aut cladem denotandam. Ita ad annum 1490. Olaus M. lib. 2. c. 18. obſervavit, quòd poſt tres Soles, viſæ ſint pariter tres Lunæ, denotantes Moſchorum cum ingenti exercitu in Finlandiam, ut ſuperiùs annotavimus, irruptionem.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.

## Heroicis paternæ virtutis exemplis inſiſtendum.

27. *N. 27.*




UT mali corvi malum ovum. Ita Aquila noctuas non parit. Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux in defuncti Parentis ſolium poſitus, ſeipſum recens excluſo pullo aquilino, ac à primis unguiculis in Solis faciem intuenti ſimilem dixit, lemmate exprimens: *Non degenero.* Solis avis aquila dicitur; in Solem enim totus intentus. Ita Solis æmulum, atque Aquilinum pullum dicere poſſum Politicum, cujus omnis induſtria eò contendit, ut Parentis faciem ſibi imprimat, totúsque ſit alter ab illo: aut dixerim potiùs, ſit unus in illo; velut ovum ovo ſimile, atque ſpeculum non fallax, in retribuendo fidele, à Solis radiis illuſtratum formas projicit, quas tanquam exemplaria, atque veraces imagines intucamur. Tale vel in ipſo cœlo ſpeculum natura dedit. Verſùs Solem nubecula convertitur; nubeculam Sol, aureus ille cœli oculus, intuetur: & ita duplici Sole aër reſplendet, ut ſolem à ſole haud dignoſcas, alter alterius imago: unum replicatum dixeris, aut duos in uno. Parelion duplicis ſolis apparitio dicitur: Parelion eſt filii cum parente par morum ſplendor, vitæque ſimilitudo, ut cùm filium vides, in eo parentem agnoſcas. Hoc conformium facinorum parelio apud M. Tull. Cic. gloriatus Cato: *Ut cæteri ex Patribus; ſic M. Cato noſtri Catonis Pater, qui illud lumen progenuit, ex filio eſt nominandus.* Cic. l. 3. de officiis. Qui hæres paterni eſt æris ac gloriæ, ſit & actionum æmulator. Sanguinem traxit, ſit & imago prototypi. Gloriatur filius ſe, velut radius à ſole, hoc genitore hauſiſſe vitam? & facere poteſt, ut ſe filio Genitor glorietur. Sic enim verborum lenociniis adblandiebatur Philippo

Macedo-

Macedonum Regi apud Sabellium Orator celebris: Tacebo, O Philippe, illuſtriſſimam tuam proſapiam & ſtirpem, è qua deſcendiſti: Silebo regna ampliſſima tibi ſubjecta, nihil dicam de palmis & trophæis, quæ de profligatis inimicis reportâſti: *Hoc unum dixiſſe ſufficiat, Filium te habuiſſe Alexandrum.* Neque alio nomine virilis illa Fœmina (atque hoc ipſo hic locorum non reticenda) Cornelia Gracchorum Mater, apud Valer. Max. l. 4. c. 4. de paupertate gloriabatur. *Quum enim Campana Matrona ornamenta ſua pulcherrima ſeculi illius oſtenderet, traxit ſermonem, quousque è ſchola redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta mea ſunt.* Nec Ægyptiacas tenebras hujus veritatis lux latuit. Ptolomæus enim Rex dicere ſolebat: *Videri ſibi omni regno pulchrius, Regis eſſe Patrem.* Fuitque ab Homero Poëtarum ingenioſiſſimo, Odyſſeæ 14. Caſtor laudatus, quaſi à Cretenſibus Deus haberetur, quia filios habuit optimis moribus præditos. *Caſtor Hylacides*, ait, *quondam in Cretenſibus ut Deus colebatur, filiis honeſtis.* Deſine ergo conqueri Homere, Minervæ nomine Odyſſeæ ſecundo alloquentis Telemachum:

*Pauci enim Filii ſimiles Patri ſunt.*

Tot enim parelia, quot à Sole Cæſareo, velut radii, Sereniſſimæ Proles. Duplo Sole firmamentum nonnunquam relucet. *Duplo Sole Leopoldus* reſplendet, quando ſe in filio, Filius in Parente videt, iſte prototypon, ille imago, alter ab illo, at ita defixus in illo; ut velut genuinus Aquilæ pullus toto volatu in ejus imitationem connitatur. Ita nimirum fieri addecet, quod de Boleslao quarto Poloniæ Rege ſcribitur. Patris ſui effigiem in numiſmate aureo, à collo pendulam, geſtabat, quoties majoris momenti negotium occurreret, ori eam venerabundus ac deoſculans admovebat, dicens: *Avertat benigniſſimus Deus, ne quid ego indignum regio tuo nomine ſtatuam.*

# QUÆSTIO V.

## *Quid ſit Iris, qui ejus colores, & horum cauſa efficiens.*

UNiverſa phaſmata, uti & veras meteoricas impresſiones venuſtate ſuperat Iris adeò, ut omnium oculos pulcherrimo colorum diſcrimine & varietate in ſe abripiat. Ad quam contemplandam ipſe Eccleſiaſticus cap. 3. adhortatur Philoſophum, inquiens: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Valde ſpecioſus eſt in decore ſuo, gyravit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ. Manus Excelſi apparaverunt illam.* Unde & Veteres cum Platone admirantes elegantem hanc naturæ picturam nomen ei ab admiratione impoſuerunt, dum Thaumantiam, ſive Thaumantis filiam appellârunt; colores enim ejus tam exacti, ut vix artificis manus noverit penicillo exprimere: alii vocârunt eam ſapientis arcum, quod Divinæ ſapientiæ ſignum ſit, mundum diluvio aquarum non periturum. Demisſis ad terram cornibus aquam haurire credidit vetuſtas. Hinc illud Virgilii 1. Georg. verſ. 118. *Eo bibit ingens arcus.* Propertius verò lib. 3. *Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?* De hoc igitur admirabili arcu ſit

Concluſio Prima. Iridis exiſtentia eſt naturalis, & non miraculoſa, neque à DEO poſt diluvium inſtituta. Ratio eſt primò; quia Iris frequenter accidit, ergo naturaliter, aliter enim Deus absque neceſſitate tot miracula feciſſet. Secundò aſſignabiles ſunt cauſæ naturales Iridis, ut oſtendemus, nempe lumen Solis & nubes opaca & roſcida, quæ non minùs ante, quam poſt diluvium concurrere potuerunt ad talem effectum, ergo non minùs ante, quàm poſt diluvium produxerunt talem effectum.

Dices: Geneſ. 9. habetur: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum inter me & inter terram.* Ergo videtur de novo à DEO poni, & non antea extitiſſe. Reſpondeo, DEUM aſſumere talem arcum ad ſignificandum diluvium non amplius futurum. Sicque ſolam ſignificationem, & non naturam de novo accepiſſe. Sic aqua longè ante in rerum natura fuit, priusquam adhiberetur in hunc finem, ut eſſet aqua regenerationis, pari modo Iris longè ante exſtitit, licèt initio non habuerit officium illud, quo in præſentia ſungitur.

Concluſio Secunda. Cauſa materialis, ſive ſubjectum, in quo fit Iris, eſt nubes concava, ita Ariſt. 3. meteor. 3. debet eſſe concava, ut lumen Solis excipiat, in anteriori parte translucida, ut luce penetretur, & in poſteriori parte opaca, ut lumen Solis vel refringat, vel repercutiat more ſpeculi, à qua imagines diſſiliunt; eſt & rorida, inque guttulas exiguas colliqueſcens, quod inde conſtat, quia, quandóque frigus, aut aliud agens condenſare incipit hanc nubem in formam propriam, hoc eſt, reducere in aquam, tunc delabitur, & Iris ſimul evaneſcit. Secundò, quia, cùm poſt pluviam adhuc nubes rorant, formari ſolet Iris. Confirmatur, quia, ſi quis ore projiciat aquam ex adverſo Solis, in tali aqua

formantur colores Iridis, quales etiam videre quis poterit in aqua minutim cadente ex fontibus quibusdam artificialibus Solem inter & aquam collocatis. Hinc refert Vitellius, quod in quodam aquarum præcipitio juxta Viterbium, in Hetruria perpetuò quædam appareat iris certo ad Solem aſpectu in aſpergine aquæ in altum ſalientis, ergo ut in nube formentur colores Iridis, debet in tali nube ſuſpendi aqua ad modum roris. Debet porro eſſe etiam translucida nimirum externâ facie, quâ nos reſpicit, ſic enim facilè injectum lumen imbibit.

Obſerva verò, quod ejusmodi nubes lumen Solis excipiat diſſimiliter ſecundùm nempe partium ſuarum diſſimilitudinem, cùm aliæ ſint tumidiores, aliæ ſubmiſſiores, quædam craſſiores, quædam imbecilliores, & rariores in guttulis iſtis ſingulis ex radiorum ſolarium reflexione, vel refractione, & ex varia lucis & umbræ mixtione tanquam in ſpeculo illa mirabilis arcûs, ejúsque colorum exprimitur varietas. Nam experientiâ notum eſt, luminoſa corpora in levibus & politis corporibus, aut ſimulacra, aut rerum objectarum colores efficere, quemadmodum manifeſtum eſt in vitro, ſpeculis, aqua. Quare ſequitur

Concluſio tertia. Triplex potiſſimùm Iridis color, puniceus, viridis & rubens, quorum primus ſupremum, ſecundus medium, tertius infimum ſibi in arcu locum vendicat; cauſantur tanquam à cauſa efficiente à luce & radio Solis è regione oppoſiti nubi roridæ & concavæ, in quam ille projectus & reflexus, mixtúsque cum umbris Iridem efficit Ratio eſt, quia lumen diverſimode obſcuratum ab opacitate corporis diverſos cauſat colores, unde cùm radii ſolares ad opacitatem nubis roridæ refracti diverſimodè obſcurentur, diverſos exhibebunt colores. Hinc quia lux obſcurata ab opacitate corporis, per quod tranſit, præſertim cauſat colorem puniceum, viridem & rubeum, ut experimur in vitro trigono, in vulgaribus etiam vitris plenis aquâ, in columbarum cervicibus, ideo etiam refracti tranſeuntes per opacitatem nubis præſertim exhibent colorem puniceum, viridem & rubeum.

Quæres tamen pro majori rei intelligentia, quæ ſit cauſa, quod primus Iridis color, id eſt ille qui ad peripheriam altiſſimum locum occupat, ſit puniceus? quem alii citrinum appellant; medius verò viridis ſit, & infimus purpureus? Huic quæſito ſatisfacit Concluſio tertia, nam probabile eſt, hanc diverſitatem oriri ex eo, quod lumen reflectatur ex diverſa nubis profunditate, nam ubi radius primam ingreditur nubem color ardentiſſimus eſt & puniceus; ubi radius idem penetravit paulò altiùs, debilitatur, & per inferiorem nubis ſuperficiem multa opacitate & umbris guttarum implicitus redit viridis versùs oculum. Longius deinde adhuc adactus versùs nubis profundum, tenuiori adhuc luce purpureus ſeu violaceus emergit per infimam arcûs curvaturam. Nec improbabilis eſt etiam ratio, quam alii referunt ex Scaligero, qui varietatem colorum tribuunt diſcrimini vaporum.

Concluſio quarta. Quamvis valde probabile eſſe judicemus, in Iride videri lumen ipſum à Sole productum, in nube & in ea variè refractum, ut in præcedenti Concluſione dictum eſt; non rejiciendam tamen ducimus, illam ſententiam, quæ aſſerit id, quod videtur in iride, eſſe ipſum Solem oppoſitum, cujus ſpecies à nube rorida veluti à ſpeculo ad oculum reflectuntur, unde quot guttæ, tot Solis ſunt ſpecula. ita Seneca l. 1. c 4. *Non dubium*, inquit, *quin arcus imago Solis ſit malè expreſſi ob vitium, & figuram ſpeculi*, & cap. 3. ait: *Singula cadentis pluviæ ſtillicidia totidem eſſe ſpecula, reddique à ſingulis imaginem Solis, neque aliud iridem eſſe, quàm innumerarum hujusmodi imaginum confuſionem, quæ ideò perturbatæ appareant, quia intervalla guttarum ſpatio conſumuntur & evaneſcunt, ne hinc diſcerni poſſint.* Cujus ulterior ratio eſt, quia ubi ſunt conditiones omnes ad reflexionem ſpeculi neceſſariæ, ibi datur reflexio ſimilis ſpeculo; tales reperiuntur in Iride, nam habetur in ea nubes perſpicua ex parte anteriori, opaca verò ex alia, Sol eſt etiam directè oppoſitus, & nos inter Solem & nubem conſtituti, ergo. Confirmari poteſt hæc analogia: pelves mille die ſereno pone, & omnes habebunt imaginem Solis; at ingens econtra ſtagnum non habebit niſi imaginem unam, quia omnis circumſcripta lævitas & circumdata ſuis finibus, ſpeculum unum eſt. Unde, cùm ſtillicidia illa copioſiſſima nubis roſcidæ ſpecula totidem, ſingula Solis faciem exhibebunt, conturbatam tamen ob rationem dictam. Ex quibus

Colligitur primò. Aliquas eſſe Irides, quæ videri poſſunt reflexæ, in quibus ipſe Sol videtur, & hæ non videntur ex omni loco, ſed tantum ex eo, ubi centrum Solis, oculi & Iridis cadunt ſub eandem lineam. Alias refractas, quæ videntur ex omni loco, & variâ figurâ. Unde Iridem rectè definiri: eſt vel reflexio Solis à nube rorida & concava veluti à ſpeculo; vel varia refractio luminis intra nubem à Sole producti.

Colligitur ſecundò. Iridis colores non eſſe veros, ſed ſolummodò apparentes; ratio eſt, quia ex qualibet mixtura lucis in corpore diaphano cum aliqua opacitate umbroſa generantur ſimiles colores, ut patet in vitro triangulari, & in collo columbæ, de quibus ſuperius; unde ſicut in his & ſimilibus non ſunt colores veri, ſed tantum apparentes, ita idem de coloribus iridis ſentiendum.

Colli-

Colligitur tertiò: Flavum colorem, qui etiam in Iride obſervatur, non efficere diverſum ſemicirculum à puniceo & viridi, utpote qui eſt commixtura viridis & punicei, ex quorum permixtione naſcitur. Eodem modo licet alii alios adhuc numerent colores in Iride, omnes tamen illi tantùm ſecundarii ſunt, & minùs præcipui, utpote commiſſuræ primariorum colorum.

Colligitur quartò: Quod ſicut cauſam effectivam iridis Solem eſſe dicimus, ita & Luna quandoque eam efficere poterit. Unde irides aliæ appellantur ſolares, aliæ lunares, quæ ex mente Philoſophi à ſolaribus differunt, quia lunares ſunt rariores & verè unicolores. Rariores quidem, quia Luna niſi plena ſit, vix vires habet ad penetrandam paulisper & colorandam nubem. V. Timon tamen & alii teſtantur, ſæpè à ſe viſas eſſe irides lunares. Unicolores etiam ferè ſunt, quia languor radii lunaris non altè penetrat opacitatem nubis, ſed in ſuperficie tantùm ejus albente quadam & fractâ luce ſplendet.

*Videl. Ariſt. annis 50. bis tantùm in eam ſe incidiſſe memorat.*

# CONCLUSIO POLITICA.

## Fœdera cum externis pacem conſervant.

28.

N. 28




Coeli annulus iris eſt, terram cœlo deſponſat, diſſita jungit. Ut autem pacis ſymbolum ſemper arcus cœleſtis habebatur, ita externorum Principum amicitiâ ac confœderatione, & pacis oleæ & lauri coronæ germinant. Id quod, teſte Livio, Locrenſes ab Hannibale experti. *Locrenſibus juſſu Hannibalis data pax. Societas eo jure ſtaret, ut Pœnus Locrenſem, Locrenſis Pœnum bello ac pace juvaret.* Haud ſcio, an quisquam Principum, quos legerim, æquè intellexerit fœderum neceſſitatem, atque Carolus V. ille decantatiſſimus mundi Monarcha, tot laurearum meſſor, ac hoſtium terror. Quippe, qui ſtatim ætatis flore, ac

re, ac imperii principio ad ineundam cum Exteris unionem armorum & animorum comparavit. Emmanueli enim Luſitaniæ Regi Eleonoram; Chriſtierno Daniæ, Norvvegiæ, Sueciæ Iſabellam; Ludovico Pannoniæ Bohemiæque Regi Mariam ſorores ſuas matrimonio collocavit. Ferdinando autem Fratri prædicti Ludovici ſororem (quâ affinitate duo illi regna lucratus eſt) deſpondit: ſibi verò Iſabellam Luſitani Regis filiam copulavit. Quibus affinitatum fœderibus ad tantum amplitudinis ac potentiæ apicem evectus eſt, ut non ſolùm ſubditos in officio continere; quod ſatis teſtatum faciunt crebræ ad Hiſpanos, Belgas, Germanósque contentiones: verum etiam vicinorum hoſtium barbaros impetus & conatus comprimeret, frangerétque. Clara ſunt nominis hujus argumenta Gallicum & Italicum, Hetruſcum & Saxonicum, Pannonicum & Bohemicum, Lybicum ſeu Tunetanum, & Mexicanum, ac Africanum ſeu Algerenſe bella, quibus adeo ſubjectas ſibi reddidit univerſas nationes, ut immanis ille Chriſtiani nominis hoſtis tanquam Numen quoddam, vel naturæ miraculum Carolum revereretur, ac formidaret. Ita videlicet probatum eſt illud communis Juris effatum, atque Lactantii ſententia: *Cùm enim inter nos cognationem quandam ipſa natura conſtituerit, adeóque præſidii cauſa homines ſocietatem cum hominibus inierint & ſanxerint, fœdus illud à Principio ſui ortus inter homines initum violare, aut non conſervare ſummum nefas putandum eſt.* Hac præceptione probè imbutus Scipio Africanus, Polybio referente, nihil ita ſolicitè curabat, niſi ut aliorum amicitias ſibi devinciret. *Nam regna eorumque cuſtodia, non tam turribus* (Socrate docente) *propugnaculis, aut mœnibus, armis aut ſatellitibus, quàm amicorum præſidiis aſſervatur.* Noſti pluvialium aquarum, aut plurium tenuium torrentium confluvio flumen intumeſcere, quod tranſvadari non poteſt. Ita virtus unita fortior, & vel apes junctis aculeis in turmam coëuntes exercitum in confuſionem agunt. Iterum Polybium, loquentem audire placeat: *Optimè ſibi conſulunt reſpublicæ tenuiores, quæ prudentes, & propoſita periculi magnitudine ac vicinitate pelliciunt alias reſpublicas vel regna potentiſſima in ſuam ſocietatem.* Armorum, animorúmque conjunctio, *hic murus aheneus eſto.*

*l. 3. ff. de juſtit. & jure.*
*Lactant. c. 10. de vero cult.*
*Polyb. l. 2.*

# QUÆSTIO VI.

## *De figura iridis & earum numero.*

PRæter vulgarem iridem ſolarem verſicolorem ſolent nonnunquam etiam aliæ ſolares irides contingere, veluti albæ, aureoluteæ & rubræ. Albas tres ſe obſervâſſe narrat, D. Menzelius Ann. 3. Ephem. Germ. dec. 2. aitque potiſſimùm tempore æquinoctiorum præſertim autumnalium accidere; ratio eſſe poteſt, quod ſolares radii non in roſcidam & guttis gravem nubem, ſed in tenuiſſimum tantum vaporem incidant. Aureoluteas D. Mœren plures ſe vidiſſe perhibet à Sole jam occidente ex oppoſito horizontis deſcriptas, cùm nubes pariter illo tempore ad aureæ auroræ exemplum eſſent inauratæ, unde ex reverberatione hic color iridi affundi potuit. Rubeam quoque iridem annotâſſe, idem ſupra memoratus Menzelius meminit die 19. Octobr. 1677. veſperi, cùm Sol jam occubuiſſet; cauſam efficientem hujus ſtatuit auroram veſpertinam, materialem verò vapores craſſos frigore conſtrictos & nubibus intermixtos. vide Ephem. Germ. 2. Ann. 3. obſerv. 5.

Quæres primo: cum aër ubique ſit plenus nube, cur non ubique mirabilis illa colorum varietas appareat, ſed ſemper in circinum ducta medietatem circuli exhibeat? Reſpondeo: rationem eſſe, quia, ut diximus, phaſma hoc generatur cum radiorum ſolarium reflexione, quæ reflexio à nube non fit niſi versùs lineam illam, quæ ducitur à centro Solis per centrum noſtri oculi & iridis ipſius; patet enim experientiâ, non videri à nobis iridem, niſi ſub iſtiusmodi linea; item & quæ videntur per reflexionem non videri niſi ſub determinato puncto & angulo. Jam vero, cùm radii omnes à nube ad punctum & lineam jam explicatam concurrant ſub æqualibus angulis, conſequens eſt, ut objectum nobis repræſentent ſub figura circulari. Quia quæcunque à nobis videntur ſub æqualibus angulis, apparent ſemper habere æqualem diſtantiam ab oculo, ac proinde in orbem diſpoſita. Secundo, quia colores hi in forma arcûs diſpoſiti cauſantur etiam à radiis refractis, ut diximus, versùs centrum nubis, hoc eſt, versùs punctum, per quod tranſit radius perpendicularis; radii vero undique refracti versùs aliquod punctum, ac centrum in eadem diſtantia à tali centro æqualiter obſcurantur, & colorantur, unde colores apparent ut ducti in orbem circa aliquod punctum exiſtens in perpendiculari, quod ſe habet, ut centrum iridis. Tertio, quia radii ſolares penetrantes nubem non videntur ab oculo, niſi reſpectu illius ſint obliqui; ſed non in toto medio, ſed in ſola circumferentia nubis incipiunt ſolares radii oculo obliquari; ergò non illos, videt in medio, ſed in ſola circumferentia nubis circumcirca, conſequentérque in figura ro-

tunda

.tunda & ſphærica. Ratio verò, cur obliquos & non directos videat, eſt, quia directorum radiorum ſpecies nimiâ luce imminutæ & diſſipatæ veniunt, nam ut ait P. Aquilonus l. 1. Opticor. propoſ. 42. Ideo color corporis admodum coruſcantis minùs ſpectabilis eſt, quàm cujus lux minor eſt, nam fulgor oculos perſtringens colorem obruit, quo minùs viſum feriat.

Hinc deducitur, cauſam, cur iris ſit rotunda, non benè ex eo capite aſſignari, quia eſt imago Solis ab ipſo Sole rotundo in nube depicta, quia Iris etiam tunc ſphærica apparet, dum Sol eclipſin patitur, & minimè circularis eſt. Deinde juxta probabilem ſententiam tot ſunt in iride Solis ſpecula, quot ſunt guttæ in nube, ergo non oiritur ex rotunditate nubis, ratio eſt, quia impetus ventorum & fluctuatio aëris in nubibus diverſam continuò ſituationem & figuram efficiunt, ſemper tamen permanente iridis rotunditate in illis.

Quæres ſecundo: Cur Iris appareat ſemicircularis & non perfectus circulus? Reſpondeo: varias hujus rei cauſas aſſignari ab Opticis. Primo, quia ſolùm ex parte cœli datur corpus nubis diaphanum, in quo ſolares radii obliquantur, & non ex parte terræ, ergo cùm ex iſta parte deficiat ſegmentum circuli, ſive arcus, ideò hic non eſt perfectus, ſed tamen ſemicirculus; ſicque oculus videns in circulo radios obliquatos penetrantes nubem, cùm hæc apparentia circularis ſiſtat in nube, non enim poteſt continuari cum terra, quæ diaphana non eſt, & conſequenter minimè accommodata ad penetrationem radiorum, ſolùm videt ſemicirculum. Secundò, quia radius reflexus angulos æquales habet cum radiis primæ incidentiæ; hoc autem non fieret, ſi appareret integer circulus; quia iridem non videmus niſi in eo vapore, unde poteſt repercuti ad oculum primarius Solis radius; ille autem vapor debet opponi Soli ad certum aſpectum, nam à vapore, qui eſt ſupra gyrum arcûs, radii primarii reflectuntur poſt tergum noſtrum, à vapore, qui eſt intra aream arcus, radius reflectitur ante pedes noſtros in ſuperficiem terræ, ſolus autem ille ſemicirculus vibrat radium primarium Solis ad angulos æquales in oculum, ergo. Ob eandem hanc rationem ſolus vapor ſemicirculi apparet coloratus, quia nempe ex eo reflectitur radius ad angulos æquales. Tertiò, deduci ratio poteſt ex dicendis, quia cùm iris debeat elevari ſupra oculum gradibus 45. centrum iridis debet eſſe in eodem plano, & in eadem altitudine cum oculo, ergo ſi locus, ſupra quem collocatur baſis iridis, ſit in eadem altitudine cum oculo, centrum erit in baſi, atque adeò erit ſemicirculus; ſi locus ſit altior, centrum erit infra baſim, & iris erit major ſemicirculo. Et quia difficile eſt, ut oculus ſit in loco adeò alto, ut baſis iridis ſit depreſſior gradibus 45. præſertim, cùm iris videatur in notabili diſtantia, ideo difficile eſt, ut formetur circulus perfectus.

Et ex his etiam colligitur, maximè ex ratione ſecunda, quod variata Solis altitudine ac conſequenter radio directo, per aliud ſuperficiei punctum in profunditate guttarum ſe mergente, variet quoque angulus reflexionis, & altitudo iridis, cùm enim Sol demiſſus eſt, & vicinus horizonti per ſuperficiem pene inferiorem radius intrare debet, ut reflexio radii primarii tangere poſſit oculum, unde talis reflexio eſſe non poteſt, niſi à guttis altiſſimis, & ſupra verticem noſtrum poſitis, id eſt, ſumma curvatura iridis elevari minimè debet ſupra noſtrum verticem. Meridiano autem, aut ſaltem maximè elevato Sole ſupra horizontem radius quodammodo ſupervenit, ac proinde non niſi à valde humilibus & horizonti propinquis guttis radius percuti ad nos poteſt, ideòque irides meridianæ ſunt valde demiſſæ. Irides autem, quæ fiunt paulo poſt ortum, vel paulò ante occaſum Solis, integrum habent ſemicirculum, quia nimirum tunc, ut optimè ait Ariſtoteles, axis, qui tranſit per centra iridis & Solis, utrimque incumbit horizonti, ergo etiam centrum iridis eſt in ipſo horizonte, ac conſequenter horizon ſemicirculum abſcindit à circulo per ejus centrum. Et hinc etiam fit, quod cornua terræ obverſa ſint, non autem in cœlum.

Argues tamen contra hæc adducendo teſtimonia quorundam, qui iridem nonnunquam integri circuli figurâ ſe vidiſſe perhibent. Sic Franciſcus Picus Mirandulæ Comes l. 2. de ſtudio doctrinæ & humanæ philoſophiæ c. 3. teſtatur, ſe Florentiam proficiſcentem vidiſſe iridem circulo ferè completo. Idem affirmat Cardanus lib. 14. ſubtilitatis cap. 70. & Averroës l. 3. Meteor. Verum ad hæc Vitellius l. 10. perſpectivæ diſtinct. 69. eruditè reſpondet, quod non ſit verus arcus, ſed ex reverberatione tantùm luminis Solis à forti nube, aut ad terram aut ad aliam nubem fiat, ubi ſit vapor roridus in medio tum viſus inter vaporem, tum nubem à qua fit reverberatio in eâdem linea, ut ad ipſum reflexio fieri poſſit. Tunc enim integras irides videri poſſibile eſt, & talem iridem non unam, nec duas tantùm ſed quatuor etiam conſpici poſſe, ut ſe Paduæ vidiſſe teſtatur. Ita etiam ſentit P. De Rhod. Phil. perip. l. 2. d. 13. q. 5. Sect. 2. inquiens crediderim irides tales factas fuiſſe ſolum ex refractione luminis intra nubem producti, non autem ex reflexione ſpecierum Solis: nam Irides hujuſmodi, in quibus non videtur ipſe Sol, ſed lumen ab eo productum, apparere poſſunt in qualibet figura.

Quæres tertio. Num etiam cornibus everſis, hoc eſt verſus cœlum exporrectis arcus cœleſtes apparere poſſint? Reſpondet affirmativè Cornelius Gemma cum nonnullis aliis, qui tradunt tales aliquando ſe ſpectâſſe. Verùm idem dicendum de his, quod de iridibus integri circuli paulò ante dictum eſt, taliter enim oriri poſſunt, ſi nempe, inquit Le Gran. Hiſtor. natur. parte 6. artic. 9. ſolares radii per reflexionem in maris aut lacûs alicujus ſuperficiem incurrant; modo ſit magna aëris tranquillitas, nullùſque ventus adſit, qui aquam commoveat, & inæqualem ejus ſuperficiem reddat: præſertim ſi quædam nubes illi aquæ ſuperincumbat, quæ impediat, ne Solis lumen rectum ad pluviam tendens illud, quod aqua eo remittit, ſupprimat, atque extinguat. Raro tamen talis arcus viſibilis eſt.

Quæres quarto. Cur in Iride non perfecta & integra Solis imago repræſentetur, ſicut in pareliis fieri docuimus? Reſpondeo: duas hujus rei ſubeſſe cauſas. Primo enim perfecta & integra Solis imago non exprimitur ob refractionum multitudinem, ita enim formæ partes non ſecus ac in ſpeculo fracto confunduntur. Secundo ob nubis raritatem, & guttarum in nube iſta rorida minutiſſimarum parvitatem, quæ tanquam minima quædam ſpecula formam impreſſam non omnino continere poſſunt; in pareliis autem propter nubis denſitatem, levitatem & continuitatem perfecta Solis imago conſpicitur.

Quæres quinto: Num plures eodem tempore poſſint ſimul apparere Irides? Reſpondeo, licèt communiter una tantùm iris ſecundaria videatur, numero tamen ſimul tres conſpectas eſſe teſtatur Mazzota l. 1. de Meteor. aër. cap. 2. Sic etiam triplex viſa Patavii 1601. die 7. Febr. horâ 21. teſte Gaſſendo in vita Peireskii l. 1. Triplicem quoque obſervavit Georgius Francus menſe Majo Anno 1668. in Alſatia Superiore. Snellius etiam quinque aut ſex videri poſſe, ſéque obſervaſſe teſtatur. Hollandi ex illa celebri navigatione ad novam Zemblam inter cætera valde admiranda, retulerunt, ſe vidiſſe tres Soles ad Auſtrum, ſex iridum diſcerniculo à ſe invicem abjunctos. Ex quibus omnibus compertum eſt, pluralitatem iridum non eſſe negandam. Verùm difficultas eſt, quomodo hæc pluralitas oriatur? unde

Quæres ſextò: An, dum plures apparent irides, immediatè fiant à Sole? antequam reſpondeam, obſerva, Irides eſſe alias primarias, quatenus ſcilicet Sol immediatè à ſe ipſo in plures nubes diaphanas impingit; alias eſſe ſecundarias, quatenus lux Solis in unam nubem immediatè impacta, in aliam nubem ſimiliter diaphanam reflectitur. Hoc poſito: Reſpondeo primò, plures poſſunt irides primariæ apparere, quæ ſimul habeant eorundem colorum ſeriem & immediatè fiant ex Solis luce admixta cum diaphano aliqualiter opaco & umbroſo plurium nubium. Ratio eſt, quia ſi Sol medium cœli teneat, & nubes ad impreſſionem iridis aptæ altera ſit ad ortum, altera ad occaſum, tunc fient duæ irides, cùm utrobique fieri non repugnet, & ad id dentur omnia requiſita, licèt non ambæ à nobis videri poſſint. Julius Scalig. exerc. 50. ſec. 4. exiſtimat tales generari poſſe in diverſis ſeparatis nubibus, quarum aliæ ſunt altiores, aliæ humiliores. Contingit autem hoc, quando vapor vicinior terræ longè denſior eſt, ac compresſior, quam circumferentia nubis ſuperioris; tunc enim diſtinctum efficit ſpeculum à nube ſuperiore, & reflexionem diſtinctam, quod tamen valde infrequens eſt.

Reſpondeo ſecundo, plures poſſunt irides comparere, quarum una ſolùm ſit primaria, alia ſecundaria, quæ efficiuntur relatione ſive reflexione primariæ, poteſt enim iridi opponi vapor aliquis ſpecularis, qui repræſentet colorem & figuram iridis; & deducitur hoc eo, quod ſecundariæ irides obſcuriores ſint, inverſóſque habeant colores, qui enim in principe illa ſummus eſt puniceus, hic in ſecundaria eſt infimus, qui infimus in primaria, is in ſecundaria eſt ſummus, ita ut viridis ſemper maneat in medio, nulla verò alia hujus rei ratio reddi poteſt, niſi quod ſecunda v. g. iris ſit veluti ſpeculum primæ, quia in ſpeculis ſæpè objecta invertuntur, ut dextrum appareat ſiniſtrum, & è converſo: Et ſicut ex uno ſpeculo ſit reflexio in aliud; ſic fieri poteſt reflexio iridis ab una nube in aliam.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Sanguinis claritas factis probanda.

*Lucan. ad Piſonem.* PErit omnis in illo nobilitas, cujus laus eſt in origine ſola*: canit Lucanus. Quæ, quæſo te, altior origo, quàm circuli illius tricolore radio variegati, & quaſi annuli ſponſalitii, quo cælum terræ jungitur? opus eſt, aureo Pictore Sole expreſſum, cui adſcribas: *Solis opus.* At quia ipſa nihil ad ſui agit conſervationem, ſemihorariæ lucis oſtentatione exſpirat, ac perit omnis in illa nobilitas. Principum Natalis haud abſonè Iridis exortu ſignificatur & ita Mediolanenſis Reſp. recens nato Principi Philippi IV. Hiſpaniarum Regis Infanti feſtivè aggratulans

lans, iridem incunabulis ejus junxit, quoniam inter bellorum tempeſtates ac nubila natus erat, inſcribens: *inter nubila gratior.* At num ſatis eſt, tam præcelſum ortum duxiſſe, cerasque & inſignia longo ſtemmate numerare? *Seneca in Herc. fur.*

*Qui genus jactat ſuum, aliena laudat.* Sen.

29.

N. 29.




Propria accedat virtutis commendatio, factisque probetur, ſanguinem nobilem in venis bullire. *Nobilitare nonniſi propria virtus poteſt*, Maximiliani Auſtriaci Cæſaris reſponſum erat, ad quendam, qui nobilitatis inſignia auro venalia expetebat. Romani profecto hoc ſenſerunt, in cujuscunque animo virtus ineſſet, ei plurimum eſſe tribuendum, teſtis eſt Vellejus Paterc. Neque novus hic mos Senatûs populique Romani eſt, inquit ille, putandum enim reipſa eſt, quod optimum eſſe, ſit nobiliſſimum. Ait enim Satyricus: *Vell. Pat. l. 2.*

*Tota licet veteres exornent undique ceræ*
*Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.*

Pecudum nobilitas eſt bona ac firma corporis habitudo, inquit Democritus, & equus velocitate probatur, & canis venaticus, ſi odore feras indagat: hominum autem nobilitas morum eſt bonitas. Fili mi! (certans in agone Nobiliſſimus Parens, Neapolis Pro-Rex Fridericus, Nobiliſſimo filio Calabriæ Duci pro teſtamento monitum reliquit) honeſtis te exercitiis & laboribus trade, nec præpoſteris frangere voluptatibus, nec periculis aut difficultatibus terrere. An enim neſcis, nobiles cunas, triumphales currus, aurea nomina, immortalem famam, non nobilitatis, ſed virtutis præmium eſſe? Qui primus clara inſignia, heroum lanceas, galeas & plumas geſtavit, an ex ſanguine hæc nobilitatis trophæa traxit? non ex ſanguine traxit, nam primus non eſſet, ſed ex heroico facinore. Nec Hercules Leonis exuvias indutus eſt, quia Leone natus, ſed quia proprio Marte Leonem pelle exuit, propriæ virtutis tegumentum comparavit. Præmiorum regula menſura eſt meritorum. Aſpice hos in profanos Deaſtros conditione elevatos, illos in Regnorum Atlantes, iſtos in belli fulmina præpoſitos: Illis vicariæ demandatæ ſunt habenæ, iſtis Primatum incumbunt tituli. Si benè cedit, virtutis ſuffragio ſunt promoti, non ſanguinis claritate. Verè Nobilis ſe factis probat: nam verum eſt illud Solonis apud Auſonium: *Pulchrius multò parari, quàm creari nobilem.*

QUÆ-

# QUÆSTIO VII.

## *De reliquis proprietatibus, effectu & ſignificatione Iridis.*

COncluſio prima. Maximæ Iridis latitudo ſive diameter aliquando eſt, ſed valde rarò unius horarii milliaris; altitudo verò ejus à terra eſt ferè unius dimidii milliaris, quia vix ſolet altior eſſe iris, quàm initium mediæ regionis aëris. Pater verò Maurus ſtatuit altitudinem Iridis eſſe graduum 45. ut ſe quadrante deprehendiſſe aſſerit. Rationem tradit Cabelus l. 3. tex. 25. quæſt. 1. quæ poteſt videri apud ipſum. Ex quo deducit, quod, quo remotior ab oculo eſt nubes rorida, in qua formatur iris, eo Iris ſit major & pars majoris circuli. Ratio eſt, quia ex duobus ſemicirculis, quorum unus in ſpatio centum paſſuum appareat altus gradibus 45. alius appareat altus totidem gradibus in ſpatio paſſuum ducentorum, ſecundus erit multo major, & altior primo; ergo idem contingit in iride. Et confirmat, quia cum quadrante menſuramus altitudinem turris, quo magis accedimus, eò plures gradus altitudinis exhibet, quo magis recedimus, eò pauciores gradus exhibet altitudinis. Deducit ſecundo, cur iris ſequi videatur fugientes, nempe, quia cùm ſummitas iridis debeat ſemper habere æqualem altitudinem, cùm accedimus, iris apparet in parte nubis diſtantiore, cùm recedimus in parte propinquiore. Ex quibus & hoc ſequitur, Sole altiore deprimi iridem, eo depreſſo attolli, adeóque pro Solis altitudine diverſimodè iridem ſituari.

Concluſio ſecunda. In quavis mundi parte Sole adversùs nubem poſito, ſuiſque radiis illam feriente fieri poteſt iris, dummodo Sol non ſit altior ſupra horizontem 45. gradibus, tot enim graduum cùm ſit ſemidiameter iridis, tota ipſa ſub horizonte depreſſa eſſet, nec videri poteſt, ſi Sol eſſet tot gradibus altior. Hinc ergo colligitur, ſæpiùs in oriente & occidente fieri iridem. Cæterùm, ut ſpectabilis ſit obſervanti, neceſſe eſt, ut ſpectator exiſtat medius inter ipſam & Solem, alioquin non fieret ad oculum reflexio. Unde Meteorologi docent, centrum iridis, oculum & Solem eſſe ſita in eadem linea recta.

Ex quo deducitur, quod iris non omnibus eadem, ſed ſua tantùm cuique appareat, tótque in roridis guttulis decidentibus arcus picti conſpiciantur, quot oculi ſunt, qui versùs eos diriguntur, proinde moto cujusvis oculo etiam illi movetur iris. Cùm enim moto oculo alia fiat linea à Sole per oculum ducta, hæc autem linea ſit axis illius coni, in cujus ſuperficie exiſtunt guttæ iridem exhibentes, & mutato axe alicujus coni, mutari conum neceſſe eſt; alia igitur erit ſuperficies coni, ſive occupabit aliud ſpatium, & conſequenter & aliam iridem comparere neceſſe eſt. Unde, qui caput elevat, vel deprimit, mox iris mutatur, qui ſtat, illi ſtat, qui progreditur illi & iris progreditur, *& ſingulis paſſibus ſingulas irides ſpectamus*, ut rectè loquitur le Grand. hiſt. part. 6. art. 9. *ut ita nobiſcum progredi, currere, ſtare, ſedere, vel quieſcere videatur.*

Imò cùm ex guttulis pluvialibus perpetim ſtillantibus à radiis ſolaribus illuſtratis producatur iris; ſingulis etiam momentis nova eisdem oculis iris comparere ſolet, ſuccedentibus nempe continuò in delapſarum locum novis aliis ex nube in pluvialia illa ſpecula ſeſe reſolvente, haud aliter ac fluvius idem apparenter perſeverat, licèt continuò mutetur eo, quod ſequentes aquæ prioribus ſuccedant. Deinde etiam Sol continuo movetur, ideóque linea recta ducta à centro iridis per oculum ad ipſum Solem neceſſario etiam continuo mutatur. Unde ſingulis etiam momentis iris revera alia, & in alio loco ſpectatori immoto comparere debet.

Deducitur ſecundo. Nullas nobis pingi irides ad auſtrum, quia nunquam Sol trans Zenith noſtrum ad Septentrionem digreditur, ut oculus meridiem aſpiciens, Solem à tergo habeat. Neque obſtat, quod videri à nobis poſſint res collocatæ inter nos & ſpeculum; unde ſequi videtur, quod videri iris poſſit in nube, quamvis collocatus ſit Sol inter nos & nubem, conſequentia enim illa non eſt vera, quia lumen Solis inter oculum & nubem interjacentis eſt adeo magnum, ut impediat eos colores videri, ſicut impedit videri ſtellas. Ob eandem rationem neque his, qui ultra Æquatorem in Auſtrali terræ parte habitant iris apparere poteſt versus Borealem plagam. Frequentius autem in iis locis irides apparent, ubi facilè aſcendunt rari quidam & roridi vapores, qui totam non expellant ſerenitatem, ſed accipiant & reddant, non extinguant Solis radium, hinc fluminibus & lacubus, aut udis vallibus incumbentia iridum brachia ſæpè cernimus.

Con-

Concluſio tertia. Quod tempus attinet, quo Iris utplurimùm conſpicitur, poſt autumnale æquinoctium qualibet diei horâ arcum fieri poſſe, obſervatum eſt, circa æſtivale ſolſtitium, totáque æſtate, aut nunquam, aut raro apparet. Ratio eſt, quia poſt æquinoctium autumnale, Sole ingrediente libram, dies decreſcunt, & materia redundat. Æſtate autem Sol calidiſſimus eſt adurens & conſumens nubes, nam Iris non fit tempore ſereno, neque ita nubilo, ut Sol lateat. Ob quam cauſam etiam vere, menſibus maximè Aprili & Majo frequentiores ſunt, non verò hyeme ob nubilum & invalidum Solem. Cæterùm poteſt per totum orbem Iris apparere mane vel ſerò; ſub Polis omni horâ longæ illius ſex menſium diei poteſt apparere ſegmentum aliquod Iridis. Sub æquatore cerni poteſt Iris tribus horis ante occaſum.

Concluſio quarta. Probabile eſt, Iridem apibus proficuam eſſe ad mel colligendum, quia poſt Iridem breviſſimo tempore, ut obſervatum eſt, favos conſtruunt, qui efficitur per roſcidos illos vapores, in quibus formatur Iris. Sequentes verò effectus, quos Plinius l. 12. c. 24. enarrat, fabuloſi ſunt, quorum primus eſt, quod in Iridis termino ſcutellæ aureæ cœlo deciduæ reperiantur. Secundus eſt, quod plantas, arbores, frutices, quibus incubuerit, efficiat odoratiores; hujus ſuſpicionem inde ortam credo, quod Iride conſpicuâ ros tepidus prata riget, qui tepor humori mixtus odorem gignit.

Concluſio quinta. Significatio Iridis alia eſt naturalis, alia ex inſtituto. Phyſicè ſignificat aliquando pluviam, aliquando ſerenitatem. Eventus hujus ratio deſumitur à cauſis efficientibus Iridis, à nube rorida & Sole; ratione enim nubis fieri poteſt, ut pluviæ ſequantur, quando ſcilicet radii ſolares imbecilliores nubis humiditatem exſiccare nequeunt. Sin autem calore Solis nubis humiditas exſiccetur, ſerenum ſequitur tempus. De hac ſignificatione phyſica iridis, inquit Seneca lib. 1. natur. quæſt. c. 6. Non eaſdem undecunque apparuerit, minas affert. A meridie ortâ magnam vim aquarum vehit, vinci enim non poterunt vehementiſſimo Sole, tantùm illis eſt virium. Si circa occaſum refulſit, rorabit, & leviter impluet. Si ab ortu ſurrexerit, ſerena promittit, ſic etiam iris, quam nullus anteceſſit imber, ſignificat ſerenitatem. Hæc tamen pro indubitato recipienda non ſunt; cùm iis ſignis non raro decipiamur: quo fit, quod Plinius verius pronuntiet; nec pluvias nec ſerenos dies cum fide ab Iride portendi. Illud tamen obſervatum eſt, & ratione non caret, quod, ſi colores Iridis ſubinde denſiores appareant, donec in atram deſinant nubem, pluvias ſequi poſſint: ſi paulatim clariores fiant, & ita tandem evaneſcant, ſerenitatem portendere. Ex inſtitutione autem divinâ & ordinatione, ſignum eſt, non futuri unquam diluvii totius orbis, ut ex c. 9. Geneſ. patet. Sunt tamen aliqui, qui & hoc putant ab Iride naturaliter ſignificari, hac ducti ratione: Iris, cùm ex cauſa humida, nube ſcilicet, & ex cauſa humiditatem aſſumente Sole ſcilicet generetur, ſicut naturaliter portendere nequit certam pluviam propter humiditatem nubis; ſic multo minus Iridem ſequi poteſt tanta aquarum copia, quæ diluvium efficiat, quare etiam naturaliter non futuri diluvii certum eſt teſtimonium. Verùm ſi hæc ratio valeret, valuiſſet etiam à condito mundo & ante diluvium; manifeſtum enim eſt ante diluvium iridem non fuiſſe tale ſignum, cùm ſecutum ſit diluvium, & propterea neque nunc talem ſignificationem habet ex ſua natura.

Quæres, cùm in Quæſtione ſexta dixerimus, dari etiam Irides lunares, quid hæ portendant? Reſpondeo: Lunaris Iris diuturna ex pluviis, tempeſtatem aurámque inſtabilem ſignificat. Ratio eſt, quia hæc Iris fieri nequit, niſi ex magna humoris copia in aëre collecta, quæ ab imbecilli Lunæ calore diſſipari & abſumi non poteſt, ergo relinquitur ad effundendas pluvias, præſertim cùm ſuâ naturâ Luna humores cieat, atque augeat, maximè ſi ſit Auſtralis in ſigno aliquo aqueo, ut ſunt Scorpius, Aquarius, Piſces.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Politicus ſit pacis ſtudioſus.

REfulgente Iride detumeſcunt venti, diſſipantur nubes, pingitur firmamentum, conticeſcunt tonitrua, cœlóque obſcuro frons redit ſerena. Unde Valerius Flaccus canit: *Val. Flacc. l. Argon.*

*Emicuit reſerata dies, cœlumque reſolvit*
*Arcus.*

Ita nimirum dimicantium nubem fulminúmque ſeditio ad unius Iridis exortum, poſito bello, componitur, ac pax cœlo redit aurea. Semper pacis nuntia, & vel in ipſo ferme mundi primordio, Iris habebatur. Ita Catharina Medicæa, Henrici II. Gallorum Regis Conjux, ſibi-

30.

*N. 30.*




met emblematis loco Iridem præfigi voluit, hâc inſcriptione inſignem: *Cum luce ſerenum.* Encomium certè regiâ indole dignum, cui præ omnibus ſanctum firmúmque ſit, ſubditos non bellorum calamitatibus ac tempeſtatibus involvere, ſed velut pacifica columba oleam referre, Pacis Iridem accendere, & quantum fieri poteſt, tranquillitatis lucem afferre & conſervare. Erat hoc Parentis Philippi ad Filium Alexandrum documentum Rege dignum: *Ad gloriam, Fili, incumbe; verùm eâ conditione, ne ſis peſtis, vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſanitas.* Experimentum eſt veritate firmatum, ſæpè unius hominis dexteritate graviſſima bellorum extincta incendia, Pacis malaciam populo invectam. Erant Athenienſes inteſtino diſturbio diſciſſi, *& diſcurrentes per urbem, atque ad arma corripienda præcipites*, vel à Thucydide Pharſalico ad priſtinas leges atque unionem perſuaſi. Eſto, aliàs Pericles fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dictus eſt; ad unius tamen ejus præſentiam etiam tumultuans vulgus (ſi fidem Ariſtidi damus) conquievit. Neque omiſit M. Tull. Cicero laudare M. Popilium Conſulem, quod inter ſeditioſas turbas medius, tum authoritate, tum eloquentiâ eas compoſuerit.

*Ælianus var. hiſt. l. 14. c. 11.*
*Thucyd. l. 8.*
*Ariſtid. in 2 Platon.*
*Cicer. in Bruto.*

*Ergo ubi commota fervet plebecula lite,*
*Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ,*
*Majeſtate manus.* Perſius.

*Perſ. ſat. 4.*

Quodſi itaque Boni publici zelotes audire cupias, fac vireat tuo in Regno pacis olea, quam cum Exteris foveas, inter inteſtina tua membra conſerves, & vel magnarum impendio pecuniarum emas.

-emas. Quid enim feceris, ſi expugnatâ Bellonâ Pacis fanum aperias, confractisque Martialibus ſpiculis oleaginas nectas coronas? funeſtiſſimam regni noctem ſerenabis, terrarum ſua à felicitate detrudendarum naufragium avertes, Civium urbiúmque ſepulchrum, incolarum tyrannidem, calamitatis Iliadem, cruentum Trojani equi puerperium è finibus tuis ad ultimos usque Garamantas proſcribes. Neque deerit tamen aut juſti belli ratio, aut exaſperantis, provocantisque hoſtis inſultatio. Quodſi ad arma coactus fueris, qualiter Othomanna Luna ſæpiùs in Auſtriæ Solem eclipſandum cornua erigit, arma arripe, at non niſi Pacis ſtudio prehende. Erit tunc glorioſiſſimæ Pacis certiſſima ſpes, quia nonniſi Deo entheatus, juſtitiæque thorace cataphractus in campum procedis. Tota equidem tunc Gigantomachia ruptis orci rudentibus, tota Cyclopum officina ſtygiis è caminis proſiliat, omnis Biſtonum ferocia compactis viribus exſurgat licet: videbit orbis & mirabitur, poſſe ex Lunæ refractione Pacis Iridem colorari, exitu glorioſo; quia non poteſt non cum lauro olea creſcere, ubi Pacis amator non provocans, ſed provocatus Juſtitiæ titulo pugnat, aliàs quieturus in Pace.

# QUÆSTIO VIII.

## *De inſolitis, ac miris in aere ſimulacris quandoque conſpicuis.*

SOlent quandoque etſi infrequentiùs varia inſolita oſtenta, cujusmodi ſunt integri exercitus, prœliantium concurſus, turmæ militum & phalanges, claſſes armatæ inter fluctus cum remis velisque, & his ſimilia in aëre comparere, quæ haud exiguum mortalibus impendentium infauſtorum eventuum metum incutere conſueverunt. Nos præſenti quæſtione circa hujusmodi ſimulacra, ac ſpectra inquiremus, præcipuè quid ſint, quæ eorum cauſæ, quid portendant, ſeu ſignificent.

Concluſio prima. Militum ac armatorum ſimulacra, (idem ſentiendum de reliquis) non ſunt oculorum ludibria, ſed verè quandoque apparent in aëre. Patet veritas hujus concluſionis ex authoritate tum Sacrorum, tum profanorum ſcriptorum. Sic l. 2. Machabæorum c. 5. narrat ſacer textus: contigit autem per univerſam Jeroſolymorum civitatem videri diebus quadraginta per aëra equites diſcurrentes, auratas ſtolas habentes, & haſtis quaſi cohortes armatos & curſus equorum per ordines digeſtos, & congreſſiones fieri cominus &c. ſic etiam antequam Titus & Romani obſiderent, & caperent Jeroſolymam, die 21. menſis Maji ait Joſephus l. 7. de Bello Judaic. cap. 12. poſt dies feſtos ante Solis occaſum viſi ſunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfuſæ. Idem accidit Romæ tempore S. Gregorii Pontif. Max. cùm Longobardi invaderent Italiam, ut ipſemet teſtatur Homil. q. in Evang. dicens: priusquàm Italia gentili gladio ferienda traderetur, igneas in cœlo acies vidimus, ipſum, qui poſtea humani generis fuſus eſt, ſanguinem coruſcantes. Plinius l. 2. natur. hiſt. cap. 51. hæc refert: armorum crepitus & tubæ ſonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis accepimus. Tertio verò conſulatu Marii Amerinis & Tudertibus ſpectata arma cœleſtia ab ortu, occaſúque inter ſe concurrentia pulſis, quæ ab occaſu erant. Ita illi. Paulo etiam antequam Caractacas Scotorum Rex cum Romanis confligeret, aciéque victus in hoſtium poteſtatem veniret, equeſtris pugna mediis in campis, ut inquit H. Boët. l. 4. acerrima conſpecta tandem evanuit. Plura ſimilia paſſim invenies apud Authores.

Colliges tamen, fieri ſubinde ex debilitate visûs, Metu, ac Phantaſia poſſe, ut oſtenta quædam apparere putentur. Sic teſte Ariſtotele l. 3. Meteor. quidam Antipheron Oretanus ſemper ante ſe videbat ſimulacrum quoddam, quod erat ſui ipſius imago reſpiciens ipſum; id autem fiebat ob viſus debilitatem, ob quam ſpeculum eidem fiebat propinquus aër.

Concluſio ſecunda. Probabile eſt, aliqua in aëre apparentia ſpectra naturali modo effici poſſe, modum hunc inſinuat Kircherus Art. Mag. lum. & umb. l. 10. part. 2. cap. 1. Ex locis, ubi multa glarea, ſive arena ex ſelenite, antimonio, vitro, aliáque materia perilluſtri conflata reperitur, Solis intenſiſſimo calore unà cum vapore ejusmodi particulas elevari & exaltari, quæ diverſas, ac varias deinde ſuperficies in aëre conficiunt, & craſſioribus in medio vaporibus, montique alicui, aut atræ nubi oppoſitis tractu quaſi opacatæ in ſpeculum plenum tandem coaleſcunt. In hoc deinde ſpeculo qualicunque aëreo, prout varius ejus ad oculum ſitus erit, varia etiam ſubjectarum rerum ſimulacra miro planè modo aucta, vel multiplicata reflecti, & ita admiranda in aëre ſpecula exhiberi poſſunt. Confirmatur obſervatione, quam adducit Deſchales Diopl. l. 3. prop. 23. dum meminit à Magiſtro

ſuo Philoſophiæ audiviſſe. Velaſii in Burgundia ſpectrum aliquod in nubibus apparuiſſe formam repræſentans militis armati exerto gladio in aëre penduli; totam urbem ſpectaculum hoc haud modico terrore concuſſit, donec attentiùs à Viris peritis machina hæc aërea obſervata & fabula deprehenſa eſt, dum animadverſum, S. Michaëlem Eccleſiæ faſtigio impoſitum reflexè in nubibus fuiſſe, ceu in ſpeculo objectum.

Eadem ſpecularis nubium ſuperficies fieri poterit incidente frigore in vapores tenues ac pellucidos, à quo congelati & opacati terreſtrium rerum ſpecies in ſe velut in ſpeculum incidentes opportunè reflectent. Unde Cardanus obſervat lib. 14. de variet. cap. 70. ſcribens: Aëris oſtenta in Borealibus regionibus & mira magis & frequentiùs apparent. Similiter, quod variæ animalium voces quandóque è nubibus prodeuntes audiantur, id eodem modo per voces animalium viciniorum, teſte Kirch. loco ſupra cit. in concava nube, aut monte reflexas fieri poſſe. Idem intellige de aliis quibuslibet Sonis.

Concluſio 3. Refractionis etiam beneficio ſpectra quædam in aëre contingere poſſunt. Ratio eſt, quia poteſt alicubi aër immixtis vaporibus roſcidis denſior exiſtere, ut ita objectum alio loco repræſentet, quàm revera ſit; analogia eſt in nummo demerſo & exiſtente in fundo vaſis, qui tamen ob refractionem proximus ſuperficiei aquæ apparet. Item ſicut Sol infra horizontem depreſſus ſupra eundem affulgere conſpicitur, quatenus ſcilicet radii à Sole procedentes incidunt in vapores Atmoſphæræ, ibíque refracti attollunt corpus ſolare apparenter ſupra horizontem, ita pariter poterit objectum aliquod in terra vel mari conſtitutum etiam per medium vaporoſum alicubi denſiùs ita radiare, ut refractè videri queat, alio loco nempe elevatum & in aëre exiſtens. Unde quando ad lacus & maria, ubi aër vaporoſior & denſior eſt, aliqua oſtenta, veluti navigantes in aëre conſpicerentur, contingere potuerunt.

Concluſio quarta. Tametſi per prædictos modos phaſmata quædam inſolita contingere poſſint propè terram, univerſim tamen omnia illa oſtenta, quæ Concluſione primâ obiter relata ſunt, remotiora nempe & in cœlo altiori conſtituta minimè, & nequaquam his modis contingunt; priora enim hujusmodi ſunt, quæ non niſi certis ac determinatis locis & temporibus contingunt, nec niſi ex certis & determinatis locis videntur, nec durant niſi ad breve tempus; poſteriora verò fiunt variis in locis, durant ſæpè multis diebus, videntur variis ex locis, à ſe valde diſſitis. Ex quibus ſic argui poteſt primò cum P. Schotto Phyſ. Cur. l. 6. c. 2. Si milites v. g. equites, exercitus, aliáque ſimilia objecta alicubi in terra, aut maris ſuperficie exiſtentia, radiarent in nubes, aut aërem vapidum, indéque ad intuentium alibi conſtitutorum oculos reflecterent ſpecies ſuas; viderentur ipſa illa objecta in ſe per radios reflexos, prout in ſpeculis fieri aſſolet, vel ergo ſunt admodum remota ab intuentibus vel ſunt propinqua? ſi valde remota, non poſſunt videri, aut non niſi ſub minima forma, tametſi prorſus giganteæ forent magnitudinis; cùm conſtet, eò minus apparere objectum, quo magis diſtat. Si verò propinqua ſunt, ergo dum in cœlo apparent exercitus integri, & cruenti conflictus, facilè ſciri potuerunt eodem ferè tempore, quo videntur, aut non longè poſt, fuiſſe alicubi conflictum illum, qui in cœlo apparuit, quod tamen nunquam hactenus fuit deprehenſum. Secundò, dum ſimilia in nubibus apparent, manifeſtè nubes ipſæ aut earum partes in ſe mutuò incurrunt, & locum mutant, ac proinde non easdem, quas antea, ſuperficies in terram vertunt, ergo & anguli incidentiæ ac reflexionis mutantur, ergo non ex eodem loco, quo antea, poſſunt videri res, & tamen aliquando ad multas horas durant, hujusmodi phaſmata & in diverſis locis videntur. Quare ſit

Concluſio quinta. Inſolita aërea ſpectra & oſtenta, Concluſione primâ enumerata, eſſe vapores, exhalationes, & partes aëris addenſatas, quæ non caſu, aut naturâ, ſed à Deo miniſterio intelligentiarum ſive geniorum & ſpirituum bonorum in formas equorum, hominum, militum & exercitus effigiantur. Ita ſentit Fromondus, Cabeus, Cornelius à Lapide & alii communiter. Et de cauſa quidem materiali difficultas non eſt, nemo enim negabit, eam eſſe evaporationes, tum craſſiores, tum tenuiores, quæ diverſo modo formatæ & accenſæ diverſos illos colores & figuras oſtentant. Si enim fiunt nubes diverſarum figurarum, cur non etiam illi halitus ita poſſunt efformari, ut nobis & equites & homines, & exercitus & claſſes repræſentent? Difficultas igitur ſola eſt de cauſa efficiente, quam non naturam aut caſum eſſe, inde manifeſtum eſt, quis enim dicet, caſu contingere, ut equorum & hominum formas imitentur apparentiæ illæ? & frequenter id contingere? ad multos dies durare? omnibus ſeſe oſtentare? & quod majus eſt, præcurrere bellorum ſtrepitum & quaſi claſſicum canere? neceſſarium igitur eſt, hæc à mente & intelligentia provenire, ita Cabeus.

Argues tamen contra cum Auguſt. Nipho, tametſi hæc caſu non fiant, non ideo tamen ad cauſam primam DEUM, aut ad intelligentias recurrendum, poterunt enim hæc ad influentias ſyderum & certam conſtellationem referri. Sed contra eſt, ut benè opponit Schottus phyſ. cur. lib. 6. c. 2. §. 2. Si ſtellæ vim habent producendi in aëre effigies armorum, navium, ſimiliúm-

ſimiliúmque rerum, utique vis illa determinata eſt ad effigiandas has & non illas armorum & ſimilium rerum figuras, cur ergo olim alia arma, alterius figuræ naves, & res alias effigiabant, quales tunc in uſu erant, nunc autem alterius omninò formæ? Certè ut olim, ita & nunc, rerum iſtarum formæ ac figuræ pendent, à libero artificum beneplacito, cui cauſæ naturales ac neceſſariæ non ſe accommodant.

Argues ſecundò. Rhegii quandoque cernitur illud, quod vocant *fata Morgana*, mirabile ſpectrum, quod utique non à providentia Dei, ſed ab ipſa natura in confeſſo eſt fieri. Reſpondetur id quidem verum eſſe, refértque Kirch. in art. mag. luc. & umb. inſigne teſtimonium cujusdam ex ſuis, qui rem multis datâ ad Generalem literâ exponit; at alia hujus inſuetæ apparitionis ratio eſt, nam hic non niſi ordines ejusdem generis, aut arcuum, aut columnarum; aut cornicum, aut arborum commutatis & ſibi ſuccedentibus Scenis apparent. Poteſt autem, ut ſuperiùs obſervavimus, hoc enaſci, quod nubes cryſtallina multis, ordinatisque ſuperficiebus eandem ex circumſtantibus rem exprimat. In ſpectris verò dictis nimia diverſitas eſt, nam & motus & oppoſiti concurſus, & varietas figurarum & ſonitus ad rem ſpectantes, benè oſtendunt, non eſſe unius rei reflexionem, ſed multarum rationalem compoſitionem, quam ad exterrendos mortales executoribus Angelis mandat fieri Deus.


Concluſio ſexta. Singularia hæc Phænomena à Deo ut præſagia impendentium calamitatum mortalibus proponantur. Conſtat hoc tum ex unanimi ferè omnium conſenſu, tum manifeſtis per tot annorum ſeriem experimentis; præter enim dicta in concl. prima Anno 1453. priusquam Byzantium in Turcarum deveniret poteſtatem, compertum eſt apud Comum Italiæ urbem vergente ad occaſum die, ingentem canum multitudinem viſam eſſe, poſt quam diverſorum Pecorum armenta, ſpecies peditum primo levis armaturæ, deinde haſtatos, ſcutatósque ſubſequi & horis fermè tribus imaginem adventantis exercitûs præbuiſſe. Alexander ab Alex. l. 3. c. 15. Panſa & Hirtio Coſſ. cùm adverſus Antonium dimicaretur, armorum, telorúmque ſpecies à terra viſa cum fragore ad cœlum ferri. Julius Obſequens l. de prodig. Eutropius etiam l. 6 Hiſt. memorat, cùm Cæſar adverſus Pompejum pugnaret, tantum in aëre armorum ſtrepitum fuiſſe, ut Antiochiæ quaſi ad adventum hoſtium in muris concurreretur. Cruciferorum cladem, ab Uladislao Jagellone Polonorum Rege, quem vix dum provocarunt, acceptam in Pruſſia oſtentum cœleſte portendit. Fertur enim à multis ex utroque exercitu per omne tempus prælii conſpectus eſſe in aëre vir venerandus habitu Pontificali dimicantes Polonos confirmans; hoſtibus verò terrorem incutiens. Quin & nocte præcedente prælium, Monachus circa Lunam viſus fuit cum Rege aliquamdiu depugnaſſe, & ad extremum Monachum victum, ac Cœlo deturbatum eſſe. Cromat. lib. 16. Anno 1462. in Polonia minore, qua crucifixi imago cum gladio ab occidente ad meridiem in aëre tendere viſa eſt ſecuta ſunt gravia latrocinia in Polonia Duce Borivojo Serinio, & prælium cruentum à Polonis ad Paſcum factum & alia mala quàm plurima. Lycoſthenes l. de Prodig. dicto anno Anno 1478. in Helvetiis variis locis viſæ ſunt in aëre pugnantium magnis viribus acies. Poſt aliquod deinde menſes, diverſi generis cruces ac globi ignei, qui in terram cadentes, rerum veſtigia conſpicientibus multis reliquerunt viſi ſunt, ut ex Baſilienſium annalibus refert Lycoſthenes. Eodem anno Helvetii contra Ducem Mediolanenſem, qui peditum equitúmque ſelectiſſimorum 15000. eduxerat, circa D. Mart. feſtum ad Ticinum amnem manus conferentes, interfectis Mediolanenſium 1400. victores non tantùm evaſerunt, ſed prædâ opulentiſſima potiti ſunt. Joannis Saxoniæ Ducis & Electoris mortem hæ picturæ præceſſiſſe memorantur: arbor imprimis marcida & everſa apparuit; expeditus deinde eques truncatam ramis geſtans arborem cum magna & atra cruce in denſa nube conſpectus fuit: tandem ex ea fulmen viſum excuti horribile ingenti cum ſonitu. Schottus in phyſ. cur. l. 6. c. 1. §. 2. Anno 1523. in Hungaria quâdam nocte viſi ſunt duo proceres collatis armis invicem decertate; quorum ſtatura major, alterum regio ornatu & diademate inſignitum proſtravit, & ablatum è capite Diadema in terram dejecit, quod mox in varias partes ſectum evanuit. Triennio poſt Ludovicus Rex Hungariæ infeliciter cum Solymanno Turcarum Imperatore prope Mohazium manus conſeruit, ac miſerabili clade cæſus, & ipſe quoque vita privatus occubuit, unde deinde Regnum Hungariæ in varias ditiones ſciſſum abiit. Eraſmus Franc. Illa ipſa die, quâ Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ cum Cæſarianis cruentum prælium iniit apud Lutzam, quo & ipſe occubuit, in Uplandia, ſicut memorat Schefferus in memorab. Gent. Suec. c. 2. non procul pago Basbockel faciebant quidam noctu iter, qui, cùm in medium veniſſent pratum, tantum repentè tumultum pugnantium audiverunt, ut ingenti metu conſternati, quo ſe verterent, incerti eſſent. Anno 1661. in Auſtria ſpectrum aëreum circulare in forma gladii recurvi viſum eſt; cui Luna cum ſtellis in una arcus extremitate ſubjecta promicuit: ad medium verò arcûs quatuor acinaces apparuerunt. Secutum bellum Turcicum anno 1663. quo & Neohuſium à Turcis expugnatum fuit. Plura in aſſertionis propoſitæ confirmationem af-

ferre prætermitto, cùm ab anno præſertim 1681. ſimilium portentorum ipſi ſpectatores & oculati teſtes ſimus, hæc non niſi bellicarum calamitatum præſagia fuiſſe, & etiamnum eſſe. *Solet* nempè *his, ſimilibúſque prodigiis DEUS præmonere homines, ut erudiat,* inquit Cabeus, *ad impietatem debellandam, & det metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcûs, ut liberentur dilecti.* Cui conſentit Ammianus Marcellinus l. 21. Ethnicus licèt Scriptor, dum ait: *Amat benignitas Numinis, ſeu quòd merentur homines, ſeu quòd tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impendent.*

# CONCLUSIO POLITICA.

## Jacula, ne feriant, prævide.

31.




UT magna Capita cœlo propinquiora ſunt, ita ſunt ei magis in amore. Non vult eorum ruinam, ſed ut avertere poſſint, præmonet. Faces exponit, ut ad lumen videant: prodigioſa præmittit eventa, ut ſapere doceat: in aere conflictus inſtruit, ut pro futuris bellis præmaturè diſponant. Retroſpice in annum 1568. Famiano Strada teſte, illuſtri nocte gemini exercitus per cœlum parata acie diſcurrebant, haſtis coruſcantibus congrediebantur, arma reſplendebant, ſtationes mutabantur, volabant ſpicula, ſcuta ſcutis collidebantur; quaſi novi in cœlum gigantes conſurgerent, mutuis prœliis confligebant. Meritò timorem Albano inſolita ſpecies incuſſerat, & monentis cœli amorem fuiſſe, ut timorem providum excitaret, eventus dabat. Hæc enim prodigia, ut Hiſtoricus annotavit, Ornagii exercitum imminentem, Gheuſiorum cædes ac latrocinia, longámque bellorum ac miſeriarum Iliadem denun-

denunciabant. Non inanis commenti adagium: *Præviſa jacula minus feriunt.* Unde uti per rara hujusmodi oſtenta *præludit olympus*, galeam criſtámque parat providus animus, ac ut binis oculis eum natura munivit, ita bino capite præſentia ſimul ac futura meditatur. Ita Jacobus IV. Scotiæ Rex caput bifrons in columna poſitum, pingi fecit, cum lemmate *utrumque*, præſens ſcilicet ac æquè futurum reſpiciam, ut ita ſim ad utrumque paratus. *Si prudens eſt animus tuus, tribus temporibus diſpenſetur*, (verba ſunt Romani Philoſophi) *præſentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* In futura armatus tutò illud Auſtriaci Cæſaris Rudolphi II. repetet, *Adſit.* Aquilam enim ſibi ſtatuit, ſpiculum unguibus geſtantem; tela & bella minaris? Tela & bella reponam. Jam enim aquilinis oculis prævidi, & providi: en paratum invenies, telis tela reponam. Si enim aquila *de longè proſpicit*, aquilæ genuinus Pullus eſt & in futura paratus. Non, quando hoſtis in campum progreditur, armamentaria ſunt luſtranda, ſcribendus miles, annona paranda, nervus belli colligendus. Jam ſtat accinctus, & claſſico hoſtili provocatus, momento reſpondet præclarus Politicus: *Adſum.* Ex qua futurorum providentia nonnemo Domui Auſtriacæ citatum Rudolphianum lemma, *Adſit*: ita in honorem expoſuit: *Sen. l. d. 4. virtut.*

*Auſtriæ Domus ſecura Jovis Telorum.*

Onoſandri præceptio eſt: *Ut optimus Gubernator, priusquam ſolvat è portu, navem omnibus armamentis inſtruere ſolet; ita etiam providus imperator, quocunque uſui ſibi fore putabit, præparet diligenter.* Hâc diligentia, quia D. Alvarus de Bazzano Architalaſſus præſtantiſſimus, navibus ſuis, antequam ad expeditionem ſe accingeret, proſpexit; dicere ſolitus, diligentiam eſſe fortunæ matrem. Ideo contigit, Joanne Botero id atteſtante, illius Claſſem nunquam non rediiſſe victricem. *Amat victoria curam*, Magni Ducis Medicei ſymbolum erat. Unde cuivis, ſive cœlorum, ſive regnorum Domino familiare eſt Maximiliani II. ex Auſtriæ Archiduce Romanorum Cæſaris: *Dominus providebit.* *Onoſ. in ſtratag. c. 4.* *Jo. Boter. Dictor. memor. p. 1. f. 60.*

# DISSERTATIO VI.

## De Meteoris Aëreis ſive ventis.

Aërea Meteora ea in præſenti nominare placuit, quorum materia vel aër eſt, vel ita aëri ſimilis, ut meritò talis exiſtimetur. Hujusmodi meteora ſunt venti, ac procellæ, ut ex dicendis conſtabit. Cæterùm tractatio præſens difficilem habet explicationem, ventos enim, atteſtante ipſo Sacro Oraculo, in theſauris ſapientiæ ſuæ incluſit DEUS, ut cùm eos nemo ignorare poſſit, nemo etiam poſſit cognoſcere. Unde Chriſtus ipſe Joannis cap. 3. ait: *Spiritum* ſeu ventum *ſpirare ubi vult, & vocem ejus nos audire quidem at neſcire unde veniat, aut quò vadat;* nam, ut ait Divus Auguſtinus, *Quia ventus flat, ſentis, quâ causâ flet, vel de quo theſauro ſit erutus, neſcis.* Ventos quippe percipit ſenſus, ratio ignorat, & miratur, & mirari non deſinit inquirendo. Quare ſit

## QUÆSTIO I.

### *De Materia, & Natura Ventorum.*

VEnti nomen haud immeritò deduci videtur à verbo *venio*, quod aſſiduè veniat, ſempérque velut priori flatu alter ſuccedat. In tradenda verò materia, naturáque ventorum varia fuit Philoſophorum opinio; quidam enim cum Hippocrate exiſtimârunt, ventum nihil aliud eſſe, quàm aërem agitatione commotum. Alii, ut Anaximander, ventum dicebat fluxum aëris, cujus tenuiſſimas, maximéque humidas partes Sol abſumpſerit. Kepplerus terram, magnum quoddam eſſe animal, & ventos è pulmonibus ſpirare credidit. Stoici ventum omnem fluentis aëris impetum vocabant, qui pro locorum & Regionum diverſitate varia nomina obtineat. Aſtrologi aërem percitum ventum eſſe ſtatuerunt, qui, cùm omnia ad ſiderum dominantium vim & aſpectum referant, ajunt aërem diſſipari ſtellarum errantium ictu, radio-

rúmque

rúmque multiformi jactu commoveri, túmque ventorum portas aperiri, cùm Jupiter Solem, Lunam, & Mercurium, aut eundem Mercurium Mars diametrali radiatione aſpexerit, vel ei quadrata fuerit conjunctus; vel ubi utérque in ſignis aëreis ſuerit, aut in Geminis, & Libra; aut cùm Luna & Jupiter in Ariete & Scorpione pariter fuerint conſtituti; deinde Luna æquabili ſocietatis poteſtate cum Mercurio coierit.

Paracelſus lib. de Meteor. cap. 5. ſolitis ſuis nugis aſſuetus, ait: *Venti in ſtellis exiſtunt, & iſtæ matres eorum ſunt.* Et paulò poſt: *Semen, ex quo venti naſcuntur, eſt materia prima trium primorum, ut ſulphur, ſal, & liquor; hæc tria mater ſunt, ex qua flatus proveniunt.* Et infrà: *Videtis aquam in olla ferventem emittere ventum* &c. *pariter Vulcanus igneus exiſtens in ſtellis tria prima bullire facit pro ſua natura, inde ventus exſurgit.* Ita ille, quæ, quis non videat, nugas eſſe?

Ariſtoteles & Peripatetici communiter docent, materiam ventorum eſſe exhalationem calidam & ſiccam. Conimbricenſes tamen tract. 6. Meteor. c. 2. aſſerunt, non eſſe puram exhalationem, ſed interdum ac frequenter etiam vapores exhalationibus permixtos. Quam opinionem ego ex his veriorem ſentiam, ex ſequentibus aſſertionibus collige, unde ſit

Concluſio prima. Materia ventorum eſt exhalatio calida & ſicca. ita Ariſt. 2. Met. c. 4. Ratio eſt primò, quia vere & autumno, quando eſt exhalationum copia, maximè dominantur venti. Secundò, quia matutino tempore, Sole exoriente, ventorum flatus commovetur, eò quod tunc multa exhalatio è terra eliciatur. Hinc ſentiunt nautæ circa promontoria vehementes ventos, & circa littora, propter halitus è vicina terra reſolutos. Unde conjecit optimè Chriſtophorus Columbus, terram eſſe ultra Oceanum Atlanticum, quia magnos ibi ventos experiebatur. Ovioduni in Gallia continuus è ſpecu montis ventus viciniam inquietat. Impatientes aliquando accolæ ſpecûs fauces muro obduxerunt, ſed hoc brevi dejecto, violento magis impetu bacchari cœpit; ſic etiam liqueſacta nive oritur ventus, quia datur exeundi locus ſpirationi ſiccæ, quæ nivi permixta erat. Tertio igneus color in cœlo, Sole, & Luna, & nubibus ventum ſignificat, non alia de cauſa, niſi quia ſignum eſt, eſſe fumidas & torridas exhalationes in aëre congeſtas. Ob quam cauſam & cometa potentes procellas prænunciat, quia nempè illius flamma copioſarum exhalationum coagulo nutritur. Quarto, quia venti exſiccant, ex eo ſcilicet quod calidâ & ſiccâ materia conſtent, non tamen pingui, alias enim accenderetur. Teſtatur P. Schottus Panormi in Sicilia flante vento, quem Siroccum appellant, & ex Africano mari per Inſulas mediterraneas eò defertur, homines exſertis linguis præ æſtu & ſiccitate obambulantes, clauſisque feneſtris ac portis omnibus domorum intra loca obſcura aquis conſperſa languore tantùm non enecatos ſedere. Quinto demum & maximè, quia non videtur ratio major, cur ventus poſſit conſiſtere, ut concluſione tertia dicam, in aëre commoto & non poſſit etiam conſiſtere in exhalationibus hujusmodi commotis, tum quando admiſcerentur vapores, ut mox dicemus, quàm quando non admiſcerentur.

Concluſio ſecunda. Materia ventorum non ſemper eſt pura exhalatio calida & ſicca, ſed etiam vaporis humidi mixturam habet. Ratio eſt, quia conſtat eos quandóque humectare & eſſe humidos. Secundo non rarò è mari ſpirant per integros menſes, & etiamſi quidem fretum poſſit ex ſe exhalationes emittere ob terræ concretioris admixtionem, ut ejus ſalſedo teſtatur, tamen non eſt veriſimile, ut obſervant Conimbricenſes, tantam exhalationum vim ab eo enaſci. Tertio eadem cauſa, quæ in obliquum movet elatas à Sole ipſo exhalationes, poteſt item movere in obliquum vapores, ut ſic flatum edant. Quartò quia pluviam plerùmque ſequi ſolet ventus; quando nimirum è terra humectata multi aſcendunt vapores. Denique niſi exhalatio & vapor materia ventorum eſſet, cauſa nulla foret, cur certis anni temporibus Eteſiæ, & alii ſolemnes venti è certis regionibus adſpirarent.

Concluſio tertia. Probabile mihi eſt, ventum etiam ſæpè in ſola aëris commotione conſiſtere. Nam primò in quibusdam locis continuus eſt ventus, atqui non poteſt eſſe continua exhalationum & vaporum affluens copia, ergo. Secundo, flabello auram impellentes in faciem utique ventum facimus, qui eodem modo nos afficit, quàm ventus à natura impulſus, aër enim commotus refrigerat & perflat inſtar venti, unde gratis omninò negaretur eſſe ventus, cùm quoad ſenſum nulla appareat differentia, nec firma ratio habeatur in contrarium. Tertiò ventus ſæpè vehemens per aliquot dies ex eadem parte conſtanter propellitur, unde quæſo tot exhalationes & vapores & tam diuturni? ergo aër eſt, qui tunc propellitur, quemadmodum enim ex flabelli motione poteſt notabilis ſentiri ventus, ita ex majori motione aëris excitari poteſt ventus magnus. Quartò cùm in aliquo cubiculo ad caminum fit ignis vehemens, ſentitur ad januam ventus cubiculum ingrediens: talis autem commotio aeris non fit ab exhalationibus, ſed ad vacuum impediendum. Cùm enim ignis aerem attenuatum elevet ſurſum per caminum, illìque ſuccedat aer proximus, qui etiam elevatur, ingreditur in cubiculum

biculum aër exterior, ne detur vacuum. Similiter cùm incenditur ſilva, vel agri comburuntur, ſolet excitari ventus undique verſus locum incendii, cujus eadem eſt ratio, dum enim ignis aërem elevat, vel partem abſumit, ſuccedit aër propinquus, ne detur vacuum, qui adeò plerumque invaleſcit durante incendio, ut longè latèque flamma diffundatur. Hinc in Sicilia, ut teſtatur Schottus, ſub capitis pœna prohibitum, ne ante certum tempus (initium nempe Octobris) Stipulæ à quoquam incendantur, antequam videlicet ex hortis & vineis fructus ſunt collecti. Nec venti hi exhalationes ſunt ab incendio excitatæ, ſic enim ventus ex loco incendii quaquaverſum effunderetur, & non ad locum incendii conflueret. Item, ſi domus, aut turris, aut aliud quodpiam magnum onus corruit, aër circumſtans tam vehementer commovetur, ut vicina corpora proſternat, aut ad latus abripiat. Præterea cùm in aliqua parte tempeſtas præparatur & cogitur, ſolet excitari ventus accurrens ad tempeſtatem, cujus ratio rurſus eſt, quia dum aër in loco tempeſtatis infrigidatus condenſatur, alius accurrit ad locum relictum occupandum. Quintò, quia plerùmque manè ſub auroram præſertim diebus ſerenis excitatur ventulus quidam ſuavis, qui fertur versùs orientem Solem, ut plurimum. Quod ideo contingit, quia Sol exoriens calore ſuo aërem proximum calefacit, & extenuat; hic extenuatus aſcendit, ſecùmque rapit vicinum; huic ſuccedit alius atque alius verſus orientales partes; inde ventulus ille frigidiuſculus ac ſuavis. Denique ut plurima alia experimenta prætercam, quando in aliqua parte aëris adunantur nubes, & effunditur copioſa pluvia, ſtatim ſentitur ventus verſus pluviæ locum properans. Hoc ea de cauſa fit, quod aër à nubibus ac pluvia infrigidatus ac denſatus minorem occupet locum; unde neceſſariò accurrit alius & alius versùs pluviæ locum properantes.

Obſerva tamen primò, dum aërem ſolùm quandòque materiam ventorum eſſe diximus; intelligendum non eſſe illum, qui purus eſt, & nullis permixtus halitibus; talis enim probabiliter non datur, ſed qui præter ordinarios halitus, quibus ſemper repletus eſt, nonnullos alios in extraordinaria copia, ab extraordinaria cauſa productos habet.

Obſerva ſecundo. Dum ventum nihil aliud, quam aërem commotum interdum eſſe ſtatuimus, ventus hic minùs ſtrictè debet accipi, venti enim ſimiles parùm durabiles ſunt. Unde venti valde vehementes & concitati, qui in terra arbores, turres, domos proſternunt, in mari naves ingentes confringunt, & ſubmergunt, non poſſunt eſſe aer, qui ut facilè commovetur, ita facilè quoque ſedatur. Nec ulla apparet cauſa, quæ tam vehementer illum rareſaciat, aut condenſet, alitérve commoveat. Ex his

Colliges, nec exhalationes, nec vapores ſoli ſine aëre permixto deferuntur: Sæpè tamen exhalationes ſine vaporibus, & ſæpè vapores ſine exhalationibus, & ſæpè utrique halitus inter ſe permixti ſunt. Et prout ſoli ſunt, aut mixti hi halitus, aliis atque aliis qualitatibus affecti ſunt venti.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Honorum ambitus eſt ventorum captatio.

D*Ominare tumidè, ſpiritus altos gere* Sen. Quid niſi ventos venaris? Ventoſis hiſce capitibus orbis refertus eſt. Famæ famem inſatiabilem nutriunt, & levi aurâ paſcuntur. Honorum ambitu tument, & non niſi inanibus flatibus inflantur. *Cœlum ruere, dummodo magiſtratum adipiſcantur, exoptant.* Varro. Pauperes eſſe malumus, quàm contempti. Hæc vertigo omnium ingenia rotat, ut in altum aſſurgere contendant. Quodſi nec arte, nec Marte ſubſellia aſſequantur, burſis auro turgentibus tument, quibus gloriæ ventum nundinentur. Id quod Finnis & Lapponibus nautis commune eſt, ventos nodis collectos pretio vendere, quibus libertate donatis navigia promoveant. O quot nodoſa capita inane cerebro claudunt, ventos paſcunt, & honores coëmunt, ut in altum ducant: *In pretio pretium eſt, dat avarus honores.* Ovid. Crumenam evacuant, ut vacuum emant, cerebro pauperes. At evaneſcunt ſubitò, cùm ventos collegerint, qui quovis elemento mutantur. Rumpuntur, cùm nimis inflati: quanto altiùs volârunt, periculoſiùs cadunt, quia vento ferebantur. Ventoſi Darii, inflati Auguſti, tumidi Diocletiani, inſolentes Domitiani, quo altiùs ſtabant, miſeriùs corruebant: quibus levabantur honorum Zephyris, deprimebantur. Facilè nimirum in Aquilones Favonii mutantur.

*Senec. in Herc. fur. act. 2.*

*Varro ap. Nonnium.*

*Ovid. in Faſt.*

Vis ſurgendi artem? non vis altùm cadere? modum diſce. Deſcendendo aſcenditur. Gloriæ parens demiſſio eſt. Tutiùs in plano pes figitur, nec caſum timet, qui in imo conſiſtit. I, cœlum pete, excelſiſque votis ſyderum familiaritatem æmulare: at humilitate obtinetur, faſtu deperditur. In hoc ſolo glorioſus eſto, altóſque ſpiritus nutri, quod melio-

O rear-

Sen. ep. 105. ad Lucil. re arrogantiâ ambitionnem calces. *Magnanimos nos natura produxit, & glorioſum nobis, ac excelſum ſpiritum dedit.* Sen. In hoc vero magnanimi ſumus, quod honorum gradus infra nos ponimus, & quæ alta apparent, ut vilia contemnimus. *Optimos mortalium altiſſima ſapere,* Tac. l. 4.




dicebat Cæſar Tiberius. At qui abjecta hæc appetit, quæque ſub pedibus jacent amplexu Ælian. l. 2. c. 2. ambit; an altiſſima petit? an non infimis hæret? *Regnare ambis? annon noſti fili, noſtrum regnum nobilem eſſe ſervitutem?* Filio ſuo Antigonus Rex acutè ſuggeſſit. Purpuram & divitias, honores & ſubſellia quæris? ad ea contendis, quæ abjectiſſimi nominis, ac ruſticæ appellationis hominibus, Fabiis & Lentulis, Porciis & Scrofis, Vitellis & Suellis, obtigerunt. Hæc ergo cùm Ariſtot. l. 4. Eth. c. 9. infima ſint, non in honoribus reputanda: contemnere hæc honorifica honor maximus eſt; quia virtus excelſa eſt. *Honor autem præmium eſt virtutis*, Philoſophorum Principis axioma eſt. *Plus ultra*, cum Carolo V. illo Germaniæ Alexandro ac Auſtriaco Hercule connitendum eſt; ut non his infimis deſideria noſtra definiamus, ſed plus ad alta, viro digna, excelſo atque ad ſublimia nato animo paria contendamus. Hæc, quæ infra pedes jacent, pedibus calcare, optima arrogantia eſt.

# QUÆSTIO II.

## *De cauſa formali, & efficiente ventorum,*

Concluſio prima. Formalis ſubſtantialis cauſa ventorum, eſt eadem, quæ exhalationis, vaporis, & aëris. Accidentalis eſt motus obliquus ſeu transverſalis agitatio circa terram. Ratio primi patet ex dictis, ex his enim conſtituitur. Ratio ſecundi eſt, quia compoſitum illud accidentale, quod ventus dicitur, eo modo conſtituitur per motum, quo ſtatua v. g. lignea conſtituitur per figuram, unde non debet dici ventus moveri.

veri, quaſi ventus ſit ſubjectum motûs, cùm potiùs ſit eſſentialiter ipſe motus, ſicut ſtatua non eſt ſubjectum figuræ, ſed figuram eſſentialiter includit; rurſus neque ventus definiri debet, quòd ſit ſolùm exhalatio, vapor, vel aër, ſicut ſtatua non dicitur eſſe ſolùm lignum. Ex quibus conſtat, nunquam poſſe bis ſentiri eundem ventum, quia motus eſt aliquid fluens; unde optimè ventus definiri poterit, quod ſit exhalatio, vel vapor, aut aër commotus.

Major controverſia eſt, circa cauſam efficientem obliqui & transverſalis motus, à quo aër, vapor & exhalatio habet, ut dicatur ventus. Quæ quæſtio adeò difficilis eſt, ut ob illius obſcuritatem ſe ab illa abſtinere fateatur P. Arriaga D. unic. de cœlo, n. 73. nos tamen per aliquot concluſiones rem præſentem examinabimus, & quid nobis tenendum ſit, ſubjiciemus. Unde ſit

Concluſio ſecunda. Angeli non ſunt ordinariè cauſa efficiens ventorum. Ratio eſt, quia quando aſſignabilis eſt cauſa phyſica prædicti motûs obliqui, non eſt philoſophi ad intelligentias, ſive angelos recurrere, hæc verò infra aſſignabitur, ergo. Dixi ordinariè, quia tum ex Scriptura, tum ex Sacris ac profanis hiſtoriis conſtat, Deum excitare ſubinde, aut regere ventos miniſterio Angelorum, ita Jonæ c. 1. *Dominus miſit ventum magnum in mare*. Quin & dæmones etiam permiſſione Dei ventos commovere patet ex Job. c. 1. ubi narratur, ope dæmonis repentè ventum vehementem irruiſſe à regione deſerti, & concusſiſſe quatuor angulos domûs. Conſtat etiam ex Olao Magno l. 3. c. 16. ut alibi retulimus, de Finnis & Lapponibus, eos olim mercatoribus ventos venales exhibuiſſe, ac tres nodos magicâ arte conſecratos tradidiſſe, quorum 1. ſoluto habituri eſſent ventos placidos, 2. vehementiores, 3. vehementiſſimos. Sic etiam Sopater Philoſophus morti adjudicatus ob ligatos ventos verſu magico, ne annona Byzantium deveheretur. Plutarchus quoque in Lucullo refert, cum Mithridates Rex Ponti validâ claſſe urbem Cyzicum obſideret, Proſerpinam (dæmonem videlicet) noctè apparuiſſe Ariſtagoræ, ac dixiſſe: Cras tubicinem Lybicum cum tibicine Pontico committam; ac die poſtero Auſtrum ferociſſimum à Lybia adſpirantem disjeciſſe claſſem Ponticam.

Concluſio tertia. Nec Sol, & vis corporum cœleſtium immediata ventorum & motûs obliqui cauſa efficiens eſt, ut Aſtrologi quamplures tenent. Ratio eſt, quia nulla certa lege flant venti, mutantúrque ſæpiùs aliquando eodem die; neque in effectibus ſublunaribus, ubi aliqua poteſt inveniri cauſa ad cœleſtes, & ſuperlunares, tutò recurri poteſt. Teneo tamen cauſam remotam influxum ſyderum eſſe, utpote quorum caliditate exhalationes & vapores è terra & aqua ſublevantur, rarefiunt, & ad agitationem præparantur. Præterea experientiâ compertum eſt, certa ſyderum coitione, ortu & aſpectu maximos ac frequentes ventos ſæpe exiſtere, unde ad generationem, motúmque ventorum multum aſtrorum influxum conferre colligimus.

Concluſio quarta. Nec aër ex naturali, & innata ſua vi agitationem hanc obliquam efficit, ut docuerunt Stoici cum Seneca lib. 5. c. 6. Ratio eſt, quia vim movendi ſe ab intrinſeco ſolis viventibus natura conceſſit, unde aër de ſe iners & inagitabilis eſt.

Concluſio quinta. Et verò prorſus aliena eſt opinio Kepleri, qui voluit, ut in priori quæſtione inſinuavimus, terram ingens quoddam animal eſſe, & exſpirando, inſpirandóque aerem, ventos efficere, & halitus obliquè ſuper terram effundere. Ratio eſt, quia venti ſæpè ab alto mari, aut è locis Mediterraneis aſpirant, ubi nulli ſunt camini, nulláque inſignia ſpiracula. Accedit hæc potiſſimùm in montium verticibus reperiri, ſurſúmque exhalationes eructare, & non ad latus, ut compertum eſt in Aetna Siciliæ monte, cujus halitus directè ad aliquod ſpatium in cœlum fertur, deinde verò ad latus flectitur, vel versùs meridiem, aut Septentrionem, aut aliam mundi plagam pro diverſitate adflantium ventorum, adeò manifeſtè, ut ad ſpatium 60. aut 70. milliarium veſtigia ſua in aëre relinquat.

Concluſio quinta. Nec placet Theophraſti ſententia, qui ventorum motum ab ipſa ſpiratione proficiſci putabat, quia videlicet cùm non omninò ſicca ſit, ſed multùm humidæ admixtionis habeat, proindéque partibus levibus & gravibus conſtet, ab illis ſurſum, ab his deorſum rapitur, atque ita in obliquam partem venti eunt ob pugnam hanc inter ſe excitatam. Non placet, inquam, ratio eſt, quia ſi halitus habet aliquas partes graves, alias leves; vel illæ ſunt æqualiter graves & leves; & ſic immota hærebit exhalatio in aëre, quemadmodum nubes ſuſpenſæ manent, quamdiu gravitas non vincitur levitate; vel illæ non ſunt æqualiter graves & leves, & ſic directè in altum aſcendet, & deſcendet ſine ulla pugna, non verò movebitur obliquè. Probat id Cabeus hâc experientiâ: fiat globus ex cera & plumbo, & ponatur intra aquam. Si cera prævalet plumbo feretur globus ſurſum ad ſuperficiem aquæ, ſi plumbum prævalet ceræ, feretur deorſum usque ad fundum aquæ, ſi fiat æquilibrium inter ceram & plumbum, non movebitur globus tranſverſim intra aquam, ſed tenebit ſitum ſibi ad initium datum, uti ex hydroſtatica conſtat. Accedit

dit, quod ſi partes leves ſuperant graviores, cùm ſemper aſcendant, non apparet, undè tanto impetu ſæpè turres & ædificia in terram venti proſternant.

Concluſio ſexta. Cauſa obliqui motus non eſt gyratio rapti aëris in gyrum è cœlo moto ab oriente in occidentem. Ratio eſt, quia ſequeretur, omnes ventos ab oriente in occidentem ferri, quandoquidem illo motu ſolùm aër rapitur, ſi à cœlo rapitur; quod tamen eſt apertè falſum. Accedit, quod omnes venti æquali velocitate in transverſum agitarentur, utpote moti ab eadem cauſa, ejusdémque virtutis.

Concluſio ſeptima. Nec ſola gravitas halituum deſcendentium & occurſus aſcendentium, & in ſe invicem impingentium cauſa obliqui motûs eſt, ut Fromondus l. 4. Meteor. c. 2. art. 5. aſſerit, dum docuit exhalationes & vapores recuperatâ gravitate in ſecunda regione aëris magno impetu torrentis inſtar in terram cadere, quia verò in deſcenſu in alios vapores aſcendentes offendunt, uti & in aërem, luctantur cum illis, & in obliquum impellunt, ac cum illis etiam moventur in transverſum. Incidit hæc Sententia cum opinione Theophraſti. Ratio autem concluſionis præter dicta eſt, quod illa ſola gravitas & levitas exhalationum non ſint ventorum cauſa, quia etiam in ſummis montibus, ac ſupra illos ſpirant venti in transverſum acti; & tamen ibi non ſunt exhalationes recta deorſum ruentes, & ab occurrentibus aliis impeditæ, quia deberent ruere ex ſuprema aeris regione, ubi tamen non poſſunt generari. Secundo, quia ſi exhalationes ſunt adeo graves, ut tantam edere poſſint ſtragem, certè ſentiretur illarum pondus, & haberet denſitatem aliquam; ſicut nubes non ſunt graves, niſi fiant etiam denſæ. Accedit, aquam multo graviorem eſſe, quàm exhalationem; & tamen non ruit cum tanto impetu. Denique ventus turbines in terra facit, ſurſum rapiens pulverem: ergo non eſt tantùm exhalatio cadens in terram. Dico tantùm, quia, quod prædicta juvent quandóque ad motum obliquum halituum, ultro admitto.

Concluſio octava. Nec ſola rarefactio, aut condenſatio aëris à calore vel frigore cauſata ventum excitat; quemadmodum voluit Averſa, qui ſic philoſophabatur, quando rarefit ſubito magna pars aëris, neceſſario propellit ante ſe alium aerem, & hic rurſus alium, & ita ventus excitatur; ſimiliter quando condenſatur magna pars aeris, debet neceſſariò ſtatim ſuccedere alius aër, & ſic pariter cauſatur ventus. Ratio verò concluſionis eſt, quia ſi hæc eſſet adæquata cauſa omnium ventorum, ſequeretur omnino, ut optimè P. De Rhodes obſervat, quod pauciores eſſent venti autumno & vere, quàm æſtate & hyeme, quia minor tunc eſt rarefactio, quàm æſtate, & minor condenſatio, quam hyeme. Accedit, quod, dum rarefit aër, in omnem partem expandatur, unde ventus non flabit unquam ab una ſolùm parte ab Auſtro nimirum, vel Aquilone; ſed æqualiter in omnem partem.

Concluſio nona. Relatis aliorum ſententiis dicendum igitur eſt: Cauſam detorquentem halitus in obliquum, ac ventos efficientem non eſſe unam ſemper, ſed aliquando illam, aliàs aliam, frequentiùs tamen & univerſaliùs eſſe tum rarefactionem & condenſationem, tum impetum, ut communis Peripateticorum opinio eſt; impetum, inquam, halitibus à frigore & denſitate mediæ regionis aeris impreſſum, dum enim halitus à calore Solis attenuati ſurſum tendunt, & mediam regionem aeris frigidam, vaporibus & nubibus refertam offendunt; ab illa tanquam inimico valde repelluntur, nunc ad obtuſum ſurſum, prout nimirum figuratus eſt vapor, & nubes frigida, quam offendunt. Cujus ulterior ratio eſt, quia cùm horum halituum materia ſit levis & aërea, hinc ubi repellitur, recta deorſum deſcendere non poteſt, ſed in obliquum detorquetur ob mixtum motum violentum & naturalem, quam motûs obliquitatem adjuvat fumorum nova ſoboles continuo aſcendens, & priores exhalationes impellens. Hinc tam varii exſurgunt motus ventorum; ut aliquando in ſublimi in nubes dominentur, cùm tamen apud nos omnia ſint tranquilla; aliquando inferiora ſúsque deque vertant, cùm tamen ſuperiora tranquilla ſint.

Sententia de rarefactione, quæ mihi valde arridet, probari & explicari duobus exemplis poteſt. Primum vulgare eſt de tormentis æneis, ubi concluſus ignis magnâ vi exilit, quia in ampliorem diffuſus molem, non poteſt anguſto ſpatio capi, unde totum illum fragorem & motum etiam transverſum efficit rarefactio ignis in ſpatium appoſitum tubi orificio; ergo ſimiliter incluſa exhalatio, vel aqua in cavernis terræ, ſi rarefiat ex anguſtis illis locis prodiens, moveri poterit obliquè. Alterum adhuc ſimiliùs exemplum habet Vitruvius l. 1. c. 6 fiunt enim Aeolipilæ æreæ ac cavæ; habent illæ punctum anguſtiſſimum, quo aqua infundi poteſt, collocantúrque ad ignem; illæ ſimul cùm fervere cœperint, efficiunt in-

gentem

gentem flatum, vento quàm ſimillimum: ita pariter judicare licet è parvulo, breviſſimóque ſpeculo de magnis cœli ventorúmque rationibus; nam ut aqua rarefacta in ærea illa pila per anguſtias foraminis ſe exſpirat, ſic aër, aqua, exhalatio ſubitâ rarefactione diffluunt in ventum, quamvis, ut ſupra monui, rarefactio hæc cauſa adæquata ventorum non ſit. Cæterùm ſimilem globum Kircherus foco adaptavit, qui ſex carnium libras in veru igni admotas vertendo aſſavit.

Colliges, aërem etiam quandoque commoveri poſſe à fluvio, vel alia aqua decurrente, cum qua una rapiatur. Patet hoc bellâ experientiâ fornacum, in quibus abſque follibus, ingentem ventum igni excitando mechanici concitare ſolent hoc modo: aquam ex altiori loco cum impetu ruentem ligneo meatu vel canali ita excipiunt, ut aliqua tamen canalis pars ab aqua vacua remaneat; tum os canalis in vas infra pertuſum derivant, curántque, ut aqua cum impetu in illud decidat. Contingit enim, ut aër, qui aquæ incumbit, una cum aqua in vas defluat, & quia canalis ex ſuperiori parte latior eſt, & alius ſuper alium cum aqua irruente ruit, comprimitur ille intus in vaſe, & per tubum furno immiſſum propellitur in ignem, eúmque multo equidem vehementiùs, quàm ſi à folle exprimeretur, concitat. Aqua verò ex fundo vaſis pertuſo effluit, ut alteri irruenti locum relinquat.

Quæres adhuc primò: Cur ventus, cùm à principio moveatur in plura latera, deinde retineat motum in unicam partem. Reſpondeo: Rationem quandóque eſſe, quia exhalatio apta ad continuandum ventum, protenditur ſolùm ſecundùm unam partem e. g. ad dexteram. Secundò fieri hoc poteſt, quia ex una parte exhalatio reflectitur, & repellitur aliquo impedimento, e. g. ſi cogatur exhalatio ad latera montis, & motum concipiat, monti appulſa repellitur, atque adeò non continuat motum versùs latera montis, aliquando etiam ut dictum eſt, repellitur à nube. Si verò contingat exhalationem æqualiter expandi in omnia latera, & non invenire impedimentum, continuabit motum in plures partes, & ſicut ab uno fonte poſſunt oriri plures fluvii, ſic ab uno fonte exhalationis orientur plures venti; atque ut perſiſtamus in eodem exemplo, ſicut poteſt aqua ex eodem fonte derivari in plures partes, in quarum altera areſcat, eò quod non accedant aliæ aquæ, in altera verò accedentibus aliis aquis evadat in magnum flumen, ſic poteſt accidere in exhalatione.

Quæres ſecundo, quo pacto ventus ceſſet? Reſpondeo: Ceſſare poſſe primò ex eo, quod exhalatio madefacta à pluvia amittat aptitudinem ad motum; ſecundo, ex eo, quod exhalatio diſſipetur, ſpiritus enim in motu, dum eorum pars adhæreſcit terræ, & aliis rebus, in quas impingunt, paulatim diſperduntur, & diſſipantur, atque adeò ceſſat ventus.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Malo præveniat, ne ſerpat.

SI ſpecioſa illa Trojæ fax ac nobile ſcortum Helena, præmaturè extincta fuiſſet, nunquam illud Aſiæ propugnaculum Pergamus, pro cujus muris ad invicti munimenti exemplar conſtruendis Neptuni & Apollinis manus collaborârunt, tam illuſtri ad immane buſtum ruinâ fuiſſet ad ignem extincta, cui inſuper pari funeſtâ luce tot Hectorum ac Heroum funera parentârunt. Unde cautè, ac primo in limine ſcintillam ſuffocandam Ovidius præmonuit:

*Principiis obſta, ſerò medicina paratur,*

*Cùm mala per longas invaluêre moras.*

Flammula eſt, quæ ſub cineribus ſepelitur, at vento flante ſuis quaſi e funeribus ac cineribus renaſcitur, atque ex Pygmæo ignis Gigas incendii excreſcit, ut vaſtisſimâ æternitati conſecrata ædificia fœdisſimâ vaſtitate ſolo æquata nil niſi fumum parturiant, ac pro gloriæ monumento cinerem reſervantes ſibi ipſis fumoſo epitaphio acclament: Parva ſub cinere ſcintilla nos in cineres redegit. Hoc ſapienter agnoſcens Philoſophorum Princeps ad ſapientes ſcripſit. *Sapientis eſt malorum initiis occurrere.* Prima belli flamma ſuo in fonte extinguatur, occulta ſeditionum ſemina in capite ſunt elidenda, & antequam in belli Draconem inimici, ac inteſtini ſerpentes adoleſcant, ſunt ab ovo, in utero comprimendi. Jam in cunis Hercules ſapuit, quia ne excreſcerent, celeri manu angues eliſit. *Omne malum naſcens facile opprimi-*

*Ariſt. l. 4. Polit. c. 4.*
*Cicero in Philip.*

*l. 1. de Remed.* *primitur* (eſt Romanæ eloquentiæ effatum) *inveteratum fit plerumque robuſtius.* Et plantulæ firmatâ radice in quercus aſſurgunt, quibus Poëta adſcribit:

*Quæ præbet latas arbor ſpatiantibus umbras,*
*Quo poſita eſt primùm tempore, virga fuit.*

33.

N. 33.




Et granum fuit, aut herbulâ à Sole excoquitur in latam meſſem:

*Idem ib.* *Nam mora dat vires, teneras mora præcoquit uvas:*
*Et validas ſegetes, quæ fuit herba facit.*

Et fluviorum minutiæ ſucceſſu temporis in flumina non transvadanda ſe colligunt:

*Idem ib.* *Flumina magna vides parvis de fontibus orta,*
*Plurima collectis multiplicantur aquis.*

*Ælian. var. hiſtor. l. 12. c. 53.* *Ariſtotel. l. 1. de cœlo c. 33.*

Nunquam ſanè in tam immanem Hydram Lernæam hæreſis excreviſſet, ſi ſuo in venenoſo partu fuiſſet ſucciſa. Nunquam diſſidia & Athenienſiũ cum Perſis (Æliano teſte) in tam vaſtum mare armorum excreviſſent, ſi Mæandri Samii contra Athenas inimicitia fuiſſet in herba ſopita. Iterum audiatur Philoſophiæ caput: *Quod in principio modicum eſt, in fine fit perquam magnum.* Sapienter itaque Henricus IV. Galliarum Rex, cùm inaudiſſet Pictones variis in locis ſeditiones agitare, ob grandium vectigalium impoſitionem, ipſe ad eos iter ſuſcepit, atque feſtinante remedio motus omnes in prima ſcintilla ſopivit. Aquilam ajunt, contra ſerpentem fatalem ſuum hoſtem dum pugnat, ſtatim caput ejus unguibus retorquere. Aquilinus animus primis obviat motibus: principio quidem clementiâ utitur; qualis eſt Clementiſſimæ Domus Auſtriacæ genius, magis togâ, quàm ſago bellare: Quodſi Marte opus eſt, etiam arma corripit, gnara ex eadem officina & enſes & vomeres producere, prout res exigit, ut ſcintillam in principio reſtinguat.

QUÆ-

# QUÆSTIO III.

## *De numero & varietate ventorum.*

PRo intelligentia meliori ſubſequentium concluſionum, præmittendum duximus primò, nomine horizontis, ex quo dicuntur venti ſurgere diverſi, non intelligi circulum illum, qui terram in duo ſecat hæmiſphæria, quia non poteſt una exhalatio per totum terræ quadrantem ad nos usque fluere. Nomine igitur horizontis intelligitur hic ſpatium terræ remotiſſimum, quod ſtantibus in planitie aperta cerni poteſt à nobis, quem vocamus horizontem viſibilem.

Præmittendum ſecundò, ſpatium hoc horizontis varii variè definiunt. Proclus cenſet illud eſſe ſtadiorum mille, id eſt Leucarum 42. Daniel Barbarus non extendit ad ſtadia niſi quingenta. Bodinus non tribuit milliaria niſi quatuordecim. Macrobius milliaria duntaxat viginti duo cum dimidio. Nautæ communiùs ajunt intra ſextum milliare Belgicum ſumma emergere vela navium; unde ſequitur totum diametrum horizontis viſibilis eſſe duodecim milliarium Belgicorum, ſeu Italicorum triginta ſex. His poſitis

Concluſio prima. Quatuor eſſe Principes ſeu Cardinales ventos è quatuor ſcilicet mundi partibus ſeu præcipuis angulis ſpirantes, quos Æolus primum notaſſe perhibetur, referente Plinio & Strabone videlic. ab oriente æquinoctiali *Subſolanum* ſeu Eurum: à meridie ſeu polo antarctico *Auſtrum*; ab occaſu æquinoctiali *Favonium* ſeu *Zephyrum*; à ſeptentrione ſeu polo arctico Boream ſive Aquilonem.

Concuſio ſecunda. Quod ſpectat ad cæteros ventos, qui hiſce quatuor primariis poſſunt adjici tanquam Collaterales, innumeri aſſignari valent, tot nimirum quot ſunt horizontis puncta, cùm ex quolibet puncto poſſint ſpirare. Placuit tamen illos reducere ad numerum finitum & certum. Et Andronicus Cyrrheſtes octo ventos ſtatuit, qui, ut Vitruvius lib. 1. de Architect. cap. 6. commemorat, eorum deſcriptionem in turri marmorea octogona Athenienſibus exhibuit hunc in modum: in ſingulis lateribus ſingulorum ventorum imagines ſculptas contra ſuum cujúſque flatum ac ſitum deſignavit: tum ſupra eandem turrim metam marmoream, cui Tritonem æneum impoſuit, virgam dextrâ manu porrigentem, ita ut vento circumageretur, ſempérque contra flatum conſiſteret, ac ſupra effigiem ſpirantis venti indicem virgam teneret. Ariſtoteles verò duodecim ventos deſignabat, qui horizontem in totidem partes diviſit, duos polos, duas in ſingulis circulis polaribus, tres ortûs, tres occaſûs, & ſingulos ventos in ſingulis punctis locavit. Boreas à polo arctico venit; Auſter ab antarctico. Ab ortu Solſtitii æſtivi Cæcias; ab occaſu ejusdem Argeſtes; ab ortu æquinoctiali Subſolanus; ab occaſu ejusdem Favonius; ab ortu ſolſtitii hiberni Vulturnus; ab occaſu ejusdem Africus; à dextris Boreæ Thraſcias, à ſiniſtris Meſes. Dexter Auſtri Phœnicias: Siniſter Libonotus. Recentiores tamen Philoſophi propter uſum navigationum aliter & exactius ventos diviſerunt. Retinuerunt enim quatuor ventos Cardinales antiquorum, & dividunt totum horizontem in partes triginta duas, ut in pyxide nautica annotatur, & ſingulis ſuum ventum aſſignârunt, ponentes nempè inter duos quosque Cardinales, ſeptem alios collaterales.

Concluſio tertia. Præter Cardinales illos & univerſales ventos, dantur etiam plures venti Provinciales, qui provinciam aliquam ſpecialiter perflant, non autem ubique terrarum vigent; eſt enim obſervatum, ſingulis ferè provinciis peculiares ventos ita eſſe proprios, ut ultra earum tractus non prodeant, ſic Athenis proprius eſt ventus quidam, quem *Scyro*. appellant, reliquæ Græciæ ignotus. *Atabulus*, inquit Seneca infeſtat Apuliam, Calabriam *Japix*, Galliam Narbonenſem *Circius*, violentus ille quidem, ſed regioni adeò ſalubris, ut ei ara erecta ſit imperante Auguſto. *Subſolanus* in tota ferè regione torrida toto pænè anno ſpirat..

Concluſio quarta. Dantur etiam venti anniverſarii, quales ſolent eſſe Eteſiæ, Græciæ proprii, notantur tamen & in aliis pleriſque regionibus. Frequentiores tamen & conſtantiores ſunt in oceano. In oceano enim Atlantico certo anni tempore ventus excitatur deferens uno circiter menſe naves ex Hiſpania in Americam. In duplici ſunt differentia. Æſtivi ſcilicet & Hyberni. Illi octo circiter diebus ante Caniculæ exortum, ſive poſt ſolſtitium æſtivum ſpirare ſolent ad 40. circiter dies; Lenti dicuntur & ſomniculoſi, quod, ut aſſerit Plinius lib. 2. cap. 47. à tertia diei hora oriantur, & noctu denuò conquieſcant. Hyberni verò ſunt æſtivis contrarii, contrarióque exoriuntur tempore, hoc eſt, poſt brumam 70. diebus proflantes, ſed exiliores. Eteſiarum originem docet Ariſt. & Theoph. à liquatione nivium ſpiritus flatuoſos exhalantium ſub polo & in remotis Borealibus regionibus evenire.

Ve-

Verum ſi hoc eſſet, ſpiraret, æſtate tota die & nocte, eò quod ſemper polaribus regionibus *per ſex æſtivos menſes ſuper horizontem ſit Sol.* Quare potiùs dicendum juxta diverſam poſitionem regionum à liquatione nivium in montibus proximis evenire. Unde in Græcia à montibus Macedoniæ & Thraciæ perpetuas ferè nives habentibus ſcaturiunt. Sicut, quod Madriti in Hiſpania magna æſtatis parte flent venti Boreales, cauſa Pyrenæis jugis continuis nivibus obtectis adſcribitur.

Secunda ratio Eteſiarum eſſe poteſt, quia certis locis Sol & ſydera determinatis anni temporibus excitant certos ſpiritus, qui ventos efficiunt. Hæc verò eſt ratio Eteſiarum ſpirantium in oceano Atlantico, ac pacifico, dum enim Sol eſt in certo ſitu & in tali configuratione cum aliis ſtellis, excitat illos ſpiritus. Ratio verò ſummæ conſtantiæ talium ventorum in oceano eſt vaſtitas ipſius, eſt enim ingens maris tractus, ex quo erumpunt ſpiritus, qui concipientes motum, cùm non impingant, ac refrangantur ad littora propter oceani vaſtitatem, ſervant eundem tenorem.

Concluſio quinta. Dantur etiam tres illi famoſi, nautisque formidabiles venti, qui à Philoſophis dicuntur Ecnephias, Typhon, & Præſter. Repentini omnes, & ſubitanei, ac per modum fulminis è nube excuſſi. Unde eorum generatio & natura à communium Ventorum generatione ac natura recedit, & ferè ad fulminum ſpeciem accedit: cauſas quippe easdem ferè habet, quas fulmina. Materia eſt exhalatio, ſed paulo crudior, quàm fulminum: forma eſt exploſio illa è nubibus, & motus deorſum; efficiens eſt eadem, quæ fulminum, idémque finis, nempè metus, & reverentia Creatoris. Singulas has ſpecies placet brevisſimè perſtringere. Ecnephias igitur ſic generatur. Cùm ſcilicet multæ ſpirationes denſæ & confeſtim acervatæ aſcendunt, & in cavam nubem ſubeunt, fit nonnunquam, ut per antiperiſtaſim, vel in curſu, attritúve calefactæ rareſcant ac libertatem majorem quærant, tandémque per diſruptam nubem more fulminis ſine flamma tamen & gyro rectà deorſum ruant. Hunc ventum ſub æquinoctiali nonnunquam experiuntur nautæ Luſitani. Quare ſuis jam periculis edocti, ubi eo loco nubem conſpicantur, confeſtim vela dejiciunt. Ex ipſa verò nube calidæ aquæ proluvies ſpargitur, quæ vermes gignit, veſtéſque attactu putrefacit. Typho, qui latinè turbo dicitur, fit, dum halitus, ſiccáque exſpiratio à diverſis nubibus obliquè deſcendens, impingit in aliam, & ſic impedita à curſu, in ſe vertitur, & gyrum facit; unde in gyrum abripiuntur naves. Verùm, quia hic etiam contingit quandoque ſereno aere, & nubibus non obducto adeo denſis; videtur meliùs dicendum eſſe ventos per lineam rectam in ſe invicem ſpirantes; qui, cùm unus impediatur ab alio, in orbem ſe torquent, & more aquarum, vorticem efficiunt, hic flatus præcipua navigantium peſtis eſt, utpote qui non vela tantùm, ſed ipſa etiam navigia contorta frangit, & abſorbet, ac nonnunquam in altum abrepta ſecum aufert. Similiter in terra evulſas arbores, & ſaxa ingentia aliorſum devehit. Quod ſi contingat prædictos halitus per antiperiſtaſim, vel repercuſſu, & arietatione ex parte ignem concipere, & inardeſcere, ac depreſſæ nubis ſpecie erumpere, flammam ſecum devolvunt, ita ut unà ignis & flatus deorſum ferantur. Præſter dicitur (à verbo πίμπρημι, quod eſt incendo) proxima quæque non ſolùm proſternens, ſed amburens, cujus etiam incendio nonnunquam mare efferveſcit. Differt tamen à fulmine, quod hoc plus flammæ, minus flatuum habeat; ille è contrario plus flatuum, minus flammæ, deinde, quia materia fulminis ſubtilior eſt, & quia non gignitur ſine præeunte tonitru.


Concluſio ſexta. Sunt adhuc & alii venti, qui à diverſo ſpirandi modo nomen ſortiti ſunt, ut ſunt, Altani, Tropæi, & Apogei dicti, de quibus etiam Plinius lib. 2. Nat. Hiſt. c. 43. vocantur Altani, quod ab altioribus terræ partibus ſpirent, videlicet è montibus & ſilvis: Tropæi ſunt, quando ex convallibus, & locis humilibus, nimirum è mari in terram ſe committunt: Apogæi quando è terra orti per terram pergunt, & ſuperficiem terræ radunt, Ariſtoteles dicit illos ex humecta perflare terra; præſertim autem matutino tempore ſpirare ſolent, & propter debilitatem non ſublevantur, nec aſcendunt, & hic ventus non multum differt ab aura. Alii quoque venti Antelucani, dici meruerunt, qui plerúmque ante lucem flare ſolent, ac comprimis in vere. Alii denique, prodigioſi vocantur venti, qui nonnullis in locis, tum ex montium, tum ex intimis terræ viſceribus & voraginibus tum etiam ex fundo maris, lacuúmque quorundam magno navigantium periculo, dum aquas vehementiùs concitant, erumpunt.

Ex dictis colliges, differentiam & multitudinem ventorum oriri tum ex diverſitate locorum, duratione temporis, variatione, reciprocatione, tum ex modo eruptionis & materiæ, aut miſcellæ una concluſæ conjunctæ, aut translatæ protuſione & proflatu.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.
## Politicus adverſis ſolidatur.

34.




MAgnus animus, ac fortis omnia, quæ cadere in hominem poſſunt, deſpicit, & pro nihilo putat, ait Romanæ eloquentiæ Princeps. Accenſo pectori ventus refrigerium eſt: Generoſus animus, quidquid calamitosè advenit, tanquam Zephyrum excipit. Et ut annoſa, firmitérque radice fixa quercus ventorum appulſu non frangitur, ſed ſolidatur; ac cum victoria turbinem repellit. Ita inter adverſantis fortunæ aquilones aquilinus roboratur animus, radicem firmat, conſtat ut petra. Alphonſus II. Carettus Marchio Savonæ ſymboli locò arcem in rupe collocatam geſſit, quæ fruſtra à ventorum conſpiratione oppugnatâ lemnia meruit: *Fortes probantur impetu.* *Cic. lib. 3. de finib.*

Et ut non à longè petito argumento inſiſtam, domeſticis immoremur. Maximilianus Auſtriacus hujus nominis 1. Rom. Imp. *Per tot diſcrimina*, ſublimi animo eluctandum cenſuit, & ad gloriæ gremium non ſine monſtris ſuperatis contendendum. Certè faſtigia ſua habent faſtidia; at igneum pectus concoquit ſingula. Onus omnis honos, & alunt curas curiæ; at devorat omnia, qui aquilam pectore gerit. nidulantur in ſaxis pulli aquilarum, generoſus animus arduis innutritur; ſcit, Atlantem ſe eſſe humeris in onera aptandum. Pomum regale aureum malum eſt, geſtare hoc neſcit, mala qui portare renuit. Apti nati ad hoc ſunt Auſtriaci animi, ferrum digerere nórunt, & irruente adverſario vento firmiùs figunt pedem. Ut ſalubriores ſunt, quæ ſaxis illiduntur aquæ; & quas ventus perpurgat ædes, venenum non admittunt, quo inficiantur; Ita Auſtria velut ſaxum inter turbines ſtetit inconcuſſa; & quò magis à ventorum impetu fuit petita, tanto purgatior ejus fama orbem



pervo-

pervolavit, quia ventoſa non venenoſa, ac in tam robuſtam eſt arborem ſolidata. *Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit.* Sen. Auſtria, dum ſtetit in herba, jam turbinibus agitabatur. Exinde domeſticis conflictabatur malis, non tamen frangebatur: bellicis jactabatur tempeſtatibus, non tamen mergebatur: invidis præſcindebatur inſultibus, non tamen dejiciebatur. Domeſtici turbines flabra erant, quibus ultra Herculis cancellos portabatur. Bellici fluctus vehiculum erant, quibus aliorum ſuper capita promovebatur. Invidiæ vulnera lineamenta erant, quibus formoſiùs pingebatur. Perſecutorum conſilia concilia erant, quibus in ſublimè levabatur. Dum in eam conjuraverant mala, ipſe facta eſt bona: quantóque illa pejora, tantò hæc melior: cúmque illa eſſent peſſima, hæc optima evaſit. Variis exercebatur caſibus, à quo ſtat. Duriùs premebatur, à quo Romani Imperii pomum moderatur, & *adhuc ſtat. Quorum animi per calamitates tranſierunt, fortiſſima quæque forti & immobili conſtantiâ perferunt.* Seneca conſolat. ad Helviam. Cum orbe nempè *in motu immotus* fortis ſtat animus.

Senec. de Prov. c. 4.

Frider. I. Au. Ro. Imp.

# QUÆSTIO IV.

## *De effectibus & proprietatibus ventorum in genere.*

NOn eſt ubique locorum eadem ventorum natura, affectio & proprietas, cùm venti cujusvis effectus, & proprietas à duobus potiſſimùm pendeat, ab ipſomet ſcilicet ſpiritu, quo ventus conſiſtit, & ab eo loco, per quem tranſit. Ut igitur certi aliquid de ventorum effectionibus & proprietatibus conſtitui poſſit, tum vel maximè unius regionis natura & conſtitutio obſervanda eſt. V. g. Halitus, ex quo loco ſpiret, & per quod medium tranſeat. Quare ſit

Concluſio prima. Venti ab intrinſeco, & ex natura ſua eas petunt qualitates, quæ ipſorum ſubſtantialibus formis debentur, unde ſi ventus ex exhalatione agitatâ provenit ab intrinſeco, ſiccus eſt & frigidus, ut terra, cujus ſoboles eſt, ſi verò non ex ſola exhalatione, ſed vel ex exhalatione vel vapore agitato oritur, tunc alius ab intrinſeco ſiccus & frigidus erit, cujus nempe halitus è terra prodit; alius frigidus & humidus, cujus ſpiratio ex aqua evocatur. Unde venti, qui à mari veniunt, multum habent humoris. qui à mediterratio aëris, eas enim & hic poſcet qualitates, quæ formæ aëris debentur, qui eſt humidus, & calidus.

Concluſio ſecunda. Si autem ſermo ſit de qualitatibus, quæ ventis obveniunt ſecundùm eum ſtatum, quem obtinent, dum vi Solis, aliorúmque ſiderum è ſubjectis elementis in ſublime vehuntur, dicendum omnes ventos calidos eſſe & ſiccos, ſi eorum materia ſit exhalatio; vel etſi omnes calidi ſint, alios tamen ſiccos, alios humidos eſſe, juxta eam ſententiam, quam & nos tenemus, ut paulò ante dictum, quæ etiam vapores ventorum materiam facit.

Concluſio tertia. Quod ſi locorum & regionum, per quas transeunt, ratio habeatur, tunc dicendum ſecundùm earum varietatem diverſas induere qualitates. Hinc fit, ut non idem ubique temperamentum habeant v. g. Boreas Africæ nubilus eſt, Auſter ſerenus, inquit Plinius, Europa verò experitur contrarium. In America narrat A Coſta frigidiſſimum eſſe Auſtrum, & Boreæ noſtro cognatum. Sic etiam Septentrionales, quia per loca nivoſa, & frigida ad nos trajiciunt, frigidiſſimi ſunt, & ſicci; oppoſiti verò, quia per mare loca humentia & calida, ut per Zonam torridam, ad nos perveniunt, calidi ſunt & humidi. Ex quibus illud deducitur, primò, quod venti pro qualitatum, quibus imbuuntur, exceſſu & mediocritate, & temperie, alii corporibus ſalubres habeantur, alii noxii, alii hoc, alii illud morbi genus invehant. Unde Vitruvius lib. 1. c. 5. ait, in Inſula Lesbo oppidum Mytilene magnificè ædificatum eſſe, atque eleganter, ſed poſitum non prudenter, quod in ea civitate, cùm Auſter flat, homines ægrotant; nam is ventus putredinis cauſam præbet; cùm Corus Circio affinis ab occaſu ſolſtitiali ſpirat, homines tuſſiunt; cùm Septentrio atque Aquilo reſtituuntur in ſalubritatem.

Deducitur ſecundò. Ut certi aliquid de ventorum natura conſtitui poſſit, tum vel maximè unius regionis natura & conſtitutio obſervanda eſt: v. g. halitus, ex quo loco ſpiret, & per quod medium transeat. Hæc enim duo maximè ventorum naturam conſtituunt, variántque, ut ſuperiùs annotavimus.

Dedu-

Deducitur tertio: Venti tamen omnes naturâ cenſentur frigidi ob motum; quo autem validiores, eo magis refrigerant & exſiccant, ac tandem ſerenitatem pariunt; imbecilles verò rarefaciunt, humectant, pluviásque gignere ſolent.

Deducitur quartò. Maritimi venti plerique cenſentur eſſe inſalubres, utpote qui calorem & humorem, principia corruptionis, ſimul ferant. In calidiſſimis tamen regionibus & ſummâ æſtate nonnunquam ſalubres ſunt, quia refrigerant, & ex eo, quod altiùs à Sole eleventur, ſunt penetrabiles ſine noxa.

Deducitur quinto. Medicorum judicio omnis ventus, qui ex aëris commotione non fit, ſed ex halitibus ſolùm & vaporibus, non tantùm nocivus, ſed & exitialis eſſe poteſt.

Deducitur ſextò: Cur una regio ſit magis ventoſa, quam alia, quia nempè terra unius regionis emittit plures exhalationes aptas ad hoc, ut convertantur in ventos, quàm alia. Idem etiam contingit in mari, unus enim fundus maris abundat pluribus ſpiritibus flatuoſis, quàm alius, vel certè unus maris tractus cingitur littoribus ac terris, ex quibus erumpunt plures ſpiritus flatuoſi. Sæpè etiam videmus civitates quasdam & regiones eſſe ſubjectas quibusdam ventis montanis vehementiſſimis & parum ſalubribus, ratio eadem eſt, quia montes illi abundant exhalationibus flatuoſis & inſalubribus.

Deducitur ſeptimò: Cur idem ventus, qui in una regione eſt inſalubris, in alia ſit ſalubris, in una cogat nubes, in alia ſerenitatem? Quia ſcilicet licèt ventus ſpiret ex eadem parte, non tamen oritur ex iisdem locis, ſed ex diverſis, v. g. ventus aliquis ſpirans hîc ex parte meridionali oritur ex montibus, qui ſunt nobis ad meridiem, & ſæpè propagatur ſolùm per milliaria 50. & 60. & deinde exhalationibus diſſipatis quieſcit. Ex qualitatibus verò exhalationum, prodeuntium ex talibus montibus, talis ventus eſt ſalubris vel inſalubris. In alia regione ventus meridionalis oritur ex aliis locis, ex quibus diverſæ erumpunt exhalationes, atque adeò ventus habebit qualitates diverſas. Secundò, licet etiam ex eodem loco oriatur ventus ſpirans & alibi, eò quod ſpiritus concitati, qui tranſeunt hac, perveniant etiam ad alium locum, adhuc habebit alibi diverſas affectiones, tum quia tranſit per diverſas regiones, e.g. per paludem peſtilentem, ex qua defert halitus peſtilentes, tum quia, ut optimè advertit Ariſtoteles, venti augentur, ſicut flumina. Quare exhalatio, quæ hoc loco concitata eſt parva, paulatim in itinere accedentibus novis exhalationibus, quaſi novis fluminibus vel torrentibus augetur; ſicut ergo fluvius, qui propè ſontem eſt purus & pellucidus, deinde auctus aquis lutulentis evadit turbidus; ſic ventus, qui in principio eſt ſalubris, auctus exhalationibus inſalubribus evadit inſalubris. Patet hinc etiam, cur venti initio parvi, evadant maximi. Item, cur diverſis temporibus venti ex eadem parte ſpirantes diverſas habeant qualitates, ac producant diverſos effectus, quia nempè diverſis temporibus exhalationes ac ſpiritus diverſi prodeunt è terra, tum quia in medio, per quod tranſeunt, inveniunt diverſitatem diverſis temporibus.

Deducitur demùm octavo. Cur regulariter ſuperveniente pluvia ceſſet ventus, & è converſo poſt pluviam venti excitentur. Ratio ſcilicet eſt, quia per pluviam ſpiritus concitati madeſcunt, atque adeò graveſcunt, & redduntur inepti ad motum velociſſimum, qualis requiritur ad ventos. Poſt pluviam verò ſolent concitari venti, quia, ut advertit Ariſtoteles, ex rebus madefactis, fumoſitates & exhalationes aſcendunt in majori copia, quam ex ſiccis. Prætereà per pluviam ſegregantur vapores humidi, qui convertuntur in aquam ab exhalationibus ſiccis, atque adeo exhalationes ſiccæ remanentes in aëre converti poſſunt in ventos.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Fortunæ inconſtantia arrogantiam arceat.

Lunatica fortuna eſt, ubi totum impleverit orbem, deficit in cornu. *Nunquam quò prius orbe micat.* Ovid. Ad apicem cùm devenit felicitas, fato quodam deficit, faciliq́ue vento mutatur. Quid mirum? rotæ inſiſtit, volubili ſtat orbe locata, leviq́ue pennâ avolat, cùm ad faſtigium evolavit. Tot laureatæ meſſes, tot victoriarum decantatiſſimi triumphi, quoties in triumphum abierunt. Aſſyriorum atque Perſarum potentia ac divitiæ in ſummo cùm ſtarent, in fumo finierunt. Aſiæ orbisque ornamentum Troja cùm in fortunæ flore vireret, in quid degeneravit? *Jam ſeges eſt, ubi Troja fuit.* Ovid. Optimarum diſciplinarum colonia, ditiſſima artium nutrix Athenæ, quo pede ſtant? armorum illuvioni involuta facta eſt piſcium pabulum Mater Philoſophorum. Et cùm inflatus victoriis Alexander Macedoniam Græciámque tot triumphis laureatam, in Gentium Dominam evexit; tandem Romanorum armis corruens, propriis cineribus docuit: *Continuam eſſe rebus generationem atque corruptionem.* Nativa ineſt palmis defectio; & quum ſe diu contra pondus erigunt, tandem

*Ariſt. de gen. & corr. l. 12. c. 10.*

tandem proprio motu in ſenium inclinant. *Ineſt rebus cunctis quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita & morum & honorum vertantur.* Tacitus. Quem ſecunda aſpexit hora, mox funeſtus excipit horoſcopus. Et cui belli alea glorioſis præluxit prognoſticis,

35.




momento mutato vento triſtia ſuccendit ſidera, ex victore victum fecit. Ægidem à Perſeo mutues licèt, aut ab Hercule clavam: victoriæ tamen feſtum facilè in funeſtum atque infeſtum tranſit epilogum. Pediſſequæ victoriæ vicisſitudo eſt. Pilæ ludus fortuna eſt, dat pomum huic, quod alteri eripit. Lauros triumphales tandem cupreſſus funerat. Quos fortuna fortes fecit, ſorte mutatâ filum gloriæ rupit. Fabulam ad tempus agunt invicti Heroës, felicem comœdiam expletâ perſonâ infelici tragœdia claudunt. Quantacunque conſiſtat ſphærâ, in puncto verſatilis eſt, quia nonniſi in puncto ſolet contingere. Ipſa terra punctum eſt, in quo bella movemus: vertitur in puncto. Fortunæ circulo ne crede, quem evehit, in rotam agit: *Qui ſtat, mox cadit. Inter peritura vivimus, omnia mortalium opera mortalitate donata ſunt.* Seneca. Amphitheatra amplisſima, marmorei arcus, moles Hadriani, delubra Deorum, capitolia Heroum, Pantheon pacis, Auguſti mauſolæa, Romanorum fana omnia vana: modicus ventus orbem ſubruit. Flevit Xerxes moriturum exercitum, Tu ride gloriæ triumphum mox abiturum in tumulum. Ne faſtu extollaris, quia faſtigium attigiſti; globo inſiſtis quovis impulſu movendus. Semper fortuna nutat, & cum vento mutat. Effluit cùm affluit: *In ſecundis rebus nil quemquam ſuperbè conſulere debere*, ajebat Paulus Conſul apud Livium, *nec præſenti credere fortunæ, cùm quid veſper ferat, incertum ſit.* Quotidiè finimus orbis uſum, & cum Luna mutamur. Cui hodiè fortunæ Sol oritur, occidit. *Fortuna vitrea eſt, cùm ſplendet, frangitur.* Publius. Familiaribus ſuis dicere ſolebat Ferdinandus II. Roman. Imp. *Res mortales omnes ſuam habent periodum; naſcuntur, creſcunt, decreſcunt.*

*Sen. ep. 91.* *Liv. l. 45.* *Guil. Lamor. de virtut. Ferd. II.*

QUÆ-

# QUÆSTIO V.

## *De effectibus & proprietatibus ventorum in ſpecie.*

QVamvis in ſuperioribus Quæſtionibus ob connexionem & vicinitatem materiæ jam aliquid ſparſim de effectibus & proprietatibus ventorum in ſpecie inſinuatum ſit, hic tamen propriùs & fuſior de ſingulis diſſerendi locus erit, ut plenior fiat doctrina. Unde ſit

Concluſio prima. Venti ſeptentrionales in Europa ferè tota frigidi ſunt & ſicci. Ratio deſumitur tum à frigiditate locorum, per quæ permeant, tum quia exſpirant ex ſubtiliſſima parte nivium Zonæ frigidæ. Serenitatem afferunt, quia condenſant aërem & exſiccant. Sunt ſalubres ob conſtrictionem pororum & cutis animalium, quâ fit, ut calor internus ſe non ad extra effundat, ſed in interioribus conſervetur. Unde diutiùs ſeptentrionalis, quàm meridionalis populus vivit. Dicitur tamen, Boreas malè affectis corporibus aliquando nocere. Similiter vitibus gemmantibus & aliis plantis tenellis ac floribus perſæpè exiſtit pernicioſus. Omnium hic maximè validus eſt & impetuoſus, quoniam æſtu maximo, meridiano ſcilicet, excitatur, & materiâ omnium facillimè in vapores diſſolubili, nubibus nimirum conſtat. Ventus etiam Borealis cùm ſit gravior & denſior magis quaſi rectà deorſum propellitur, ac ſævior eſt Auſtro, cùm acriori frigore condenſetur. Unde etiam flante Borea & ſudo cœlo, non ita repelli poteſt fumus, ſicuti cœlo pluvio; vel quod Boreas non ex obliquo, ut Auſter, ſed in directum magis perflet, vel quod gravior ſit aëris moles, cùm ſpirat aquilo. Obſervatum etiam eſt, ventos Boreales tanto debiliores fieri, quantò ampliùs hinc ad æquatorem procurrunt. Econtra verò ab æquatore quantò ampliùs versùs antarcticum polum proſpirant, efficientur ſeveriores & frigidiores præſertim in regno Chili & Perù. Qui auditûs gravitate laborant aut ſubſurdeſcunt, Boreali vento perſpirante & aëris ſerenitatem afferente faciliùs audire incipiunt, qui alioquin, cùm denſus & pluvius eſt aër, Auſterque ſpirat, omni propemodum audiendi facultate privantur.

Concluſio ſecunda. Venti meridionales vulgo calidi ſunt & humentes. Calidi quidem, quia ex locis Zonæ torridæ vicinis ſpirant, permeántque per loca calidiora: humidi ſunt, quia conſtant multo vapore à mari mediterraneo & aliis locis elevato; ideóque plurimas nubes colligunt. Neque tantùm colligunt nubes, ſed eas tepore ſuo ſolvunt in pluviam. Hinc Auſter calidus eſt & humidus, morbidus, item æſtuoſus, fulmineus, noxius & peſtilens; generans pluvias & nubes, uti & pro temporis ratione tonitrua. Si tamen diutiùs ſpirat, tunc & ſerenitatem & ſuffocantem calorem provocare poteſt. Solet & plurimùm febres putridas, ac peſtilentes, morbóſque varios excitare. Unde Auſtro flante podagrici dolores augentur reſoluto ſcilicet humore, phrenetici magis frendent, grana implet curculionibus, marceſcunt carnes in putredinem, & ferrum ipſum faciliùs limæ obedit. Illo ſpirante meliùs & certiùs à canibus veſtigantur feræ, quia ſpiritus odoriferi calore fiunt fragrantiores. Dicitur, aquilonem noctu exortum vix ultra tres dies durare, cùm tamen Auſter etiam nocturnus perſeveret diutiùs. Auſtro majores fluctus eduntur in mari quàm Aquilone, inquit Plinius, quoniam ille infernè, imò ex mari ſpirat; hic è ſummo.

Concluſio tertia. Venti orientales in Europæis noſtris regionibus ſunt calidi & ſicci. Hinc ſubſolanus ventus, nempè à naſcente Sole ſive ortu ſpirans, communiter ſolet eſſe calidus & ſiccus: cum inſigni tamen temperie. Dixi communiter, nam in Campania humidiſſimus eſt ſubſolanus ob maris vicinitatem; in Belgio hyeme frigidiſſimus, calidisſimus æſtate. Apud nos verò ſiccus eſt, quia non tranſit per ulla maria. Cœterùm hic ventus ſolet eſſe ſuavisſimus, purisſimus, tenuisſimus, ſaluberrimus, ac potisſimùm manè ſpirans contagionibus prætereà inimicus, aërem purificans, corporibus ſanitatem, & hilaritatem afflans. Acquirit etiam vires exoriente Sole, noctu vero plerúmque ſilet. Quando vero cum ſereno cœlo flare incipit, de die usque ad noctem plerumque perſeverat. Sin autem eo flante pluat, prius vix ceſſabit, quàm Sol occumbat. Hyeme in noſtris quoque regionibus ſolet eſſe frigidus, & gelu ac frigus augere. Flumina, quæ curſum habent in Auſtrum, ſalubrioris auræ putantur eſſe, imò, ait Plinius, obſervatum eſſe, peſtilentiam à meridianis locis in occaſum ſemper ire, non ad ortum. Odoratiorem Democritus putat fructum, ſi propendeat ad hunc ventum, in hunc etiam opiliones gregem paſcunt, & concipi mares volunt; apiaria etiam omnia in vulturnum ſubſolani collateralem ſpectare debere, Plinius docet. Compertum quoque eſt, quòd ſicut objecta auditûs occidentalibus, ita viſus orientalibus ventis diſtinctiùs & acutius repræſententur. Hinc Euro vel ſubſolano flante objecta viſibilia compareçnt majora, Africo ſpirante minora.

Concluſio quarta. Favonius ab occaſu Solis æquinoctialis ſpirans vel à favendo, quod cunctis faveat, vel à fovendo, quod cuncta foveat dictus, ventus nobis hiç eſt humidus &

modicè calens, omnium maximè blandus in regionibus, quæ maximè diſtant à mari. Menſi Aprili ſummoperè familiaris, quadam temperie caloris & humoris glaciem reſolvit & nives, unde ſpirat potiſſimùm, cum ad nos aves in vere denuò remeant, quæ hyeme latitabant, tum iterum, cum à nobis in autumno recedunt. Subinde pluvia temperat Solis calorem, & eum aptiſſimè ad generationem humori miſcet. Veſperi aut horis pomeridianis crebrius ſpirat. Parit varias corporum mutationes, ſoletque aliàs tenui frigore ſaluber eſſe, ac ambiguus. Ova quædam dicuntur Zephyria ſeu Favonia, quæ à gallinis aut columbis generari putantur ſolo inflatu Zephyri ſeu Favonii. Dicebatur etiam, in Luſitania ex ſolo Zephyro equas concipere; quod tamen negant Luſitani ſe experiri. Alter occidentalis ventus eſt Africus, ſolis tempeſtatibus celebris.

Concluſio quinta. Ventus generalis Zonæ torridæ dominans, qualis eſt ſubſolanus aut ejus collateralis non in omnibus eidem Zonæ ſubjectis regionibus ſemper uno & eodem tempore & loco viget, ſed ſub iis potiſſimum ſignorum parallelis, quæ Sol percurrit. Unde naves, quo propius Solis ſemitis accommodantur, eo faciliori, breviorique navigatione terminum ſuum conſequuntur. Si utrinque à ſemita Solis plus æquo receſſerint, ob novas ventorum, quos experiuntur, leges ſubſolano contrarias etiam magis retardantur & impediuntur. Ventus etiam hic Generalis ſub uno & eodem parallelo indiviſibili ſpatio non fertur, ſed habet ſuam latitudinem in nonnullis locis majorem, in aliis minorem. Sub Tropicis ad 7. gradum tam ad Auſtrum, quam ad Boream excurrere compertum eſt.

Concluſio ſexta. In loco ſub polari arctico nullus ventus ſeptentrionalis aut quiscunque alius præter auſtralem dari poteſt; à quacunque enim plaga in eam regionem ſpiret ventus, ſemper ex partibus auſtralibus ad ſeptentrionem feretur. Contrarium accidit ſub polo antarctico; nam omnes ibidem venti ſunt ſeptentrionales.

Concluſio ſeptima. Ornithius & Chelidonius ventus, qui ab Hirundinum adventu denominatur, oriuntur à diverſis locis, ſub diverſis terræ tractibus verno quidem tempore ſub veſpertinum Arcturi exortum. Fertur autem Chelidonius circa terræ latera humilis, omniúmque ſuaviſſimus & commodiſſimus, ut plurimùm verò in Favonium abit.

Concluſio octava. Exhydrius ventus à ruptura nubium dictus germanicè Wolcken-Bruch/ dupliciter, ut benè innuit Kircherus, exoriri ſolet; vel enim reſoluta in humorem nubium mole, quæ in terram non guttatim decidit, ſed totali effuſione omnia inundatione ſuâ infeſtat; vel etiam ex imo aquarum profundo naſcitur, cum ex mari quietiſſimo tempore & malaciâ quaſi ſcopis purgato exurgit quidam vapor, qui inſtar tubæ, aut monicæ in ſummam altitudinem paulatim elevatur; deindè vero adeo dilatatur, ut totum & cœlum & mare denſâ caligine cooperiat; mox autem horridiſſimi ac incredibilis violentiæ venti conſequuntur, quibus Oceanus tantâ rabie incandeſcit, ut nemo facilè formidabilem illam fluctuum vehementiam concipere queat, nec ulla facilè navis, ſi quando ea in Exhydrium hujusmodi ventum incidat, evadere poſſit. Venti hi Exhydrii in noſtris regionibus ſolent plerúmque accidere, dum aër comprimis eſt valde tranquillus, rarus & calidus, ex nubibus atris valde gravibus, ac terræ admodum propinquis; atque etiam iis potisſimum locis, ubi inter montium utrinque conſtitutorum catenas ſive clauſuras ventus aliquid inferiùs arrepere, & easdem nubes facilè ſuſtinere, alióque transferre nequit; in apricis autem campeſtribus, & in planitiem excurrentibus locis vix ejusmodi procellæ contingere ſolent.

Quæres primò. Cur venti ſeptentrionales & auſtrales ſint vehementiores orientalibus & occidentalibus, licèt in aliquibus locis oppoſitum contingat. Reſpondeo: Rationem eſſe, quia venti vehementiores oriuntur ex montibus, ut conſtat experientiâ, quod provenit ex eo, ut patet ex dictis, quia ex montibus exhalat magna copia ſpirituum, qui vehementiſſimè concitantur; montium verò juga communiter protenduntur à ſeptentrione ad meridiem in Germania, Gallia, Hiſpania & Africa tota ſecatur montibus protenſis à ſeptentrione ad meridiem. Tota Aſia dividitur montibus Sinicis, aliisque in eandem partem decurrentibus. America meridionalis & magna pars Americæ ſeptentrionalis dividitur montibus decurrentibus à ſeptentrione ad meridiem. Quòd ſi quæras occaſione hujus, cur natura protenderit montes à ſeptentrione ad meridiem. Reſpondeo: Rationem eſſe, quia montes ſunt, quaſi oſſa terræ, ut firment illam contra mare, & præſertim contra oceanum, ne impetu ſuo terram ſcindat, Oceanus enim ſecundùm longitudinem extenditur ab oriente in occidentem, & verberat mole aquarum littora ſeptentrionalia & auſtralia; unde illa firmanda fuerunt jugis montium excurrentibus à ſeptentrione ad auſtrum ſeu meridiem.

Quæres ſecundò. Quare marmora & ligna nonnunquam videantur ſudare & madefieri. Reſpondeo: Rationem non eſſe, quod ipſa marmora vel ligna emittant illum humorem, ut vulgus putat, ſed ventos afferre vapores, qui marmoribus adhæreſcentes, ab illisque frigefacti reſolvuntur in aquam.

Colliges

Colliges primo: Dictis proprietatibus ventorum adhuc alias addi poſſe: ſine illis enim maria non naviguntur: aër ſpirare nequit, niſi haurias ex eo peſtilentiam; terra infœcunda eſt, animalia non vivunt, mundus non ſpirat, ſed mortuus eſt, ut omnia ſine ſpiritu ſunt mortua.

Colliges ſecundo: Quod ſuam venti qualitatem è medio, quod prætereunt, ut dictum eſt, accipiant, experimento docuit Kircherus: fiat canalis longus per modum tubæ, qui ita firmetur, ut latior pars extra cubiculum, minor per foramen orbiculi unius cubiculum ingrediatur, quo facto dicti canalis orificio extra cubiculum exiſtenti quicunque flores odori inſpergantur, ſic flante vento iidem in cubiculo ſpirabunt odores, quos extra cubiculum poſiti flores fundunt.

## *APPENDIX.*

### *Obſervationes nonnullæ circa ventos vehementiores eorumque mirabiles effectus.*

Obſervatio prima. In littore *Coromandelii* lat. boreal. grad. 162. inter *Calecout* & *Maſe Lutapan* ex quadam regione ab octava hora matutina usque ad quartam veſpertinam venti tam calidi & æſtuoſi ac fœtidi ſpirare ſolent, ut incolæ absque ſpecialibus refrigeriis manere vix queant. Unde ſingulis diebus quisque ex iis vas aliquod aquæ, quam ad potum adhibere ſolet, aut quocunque alio conſueto bibulo humore plenum ad palum, arborem vel murum ſolaribus radiis ac ipſismet ſævientibus ventis oppoſitum appendere & exponere ſolet usque ad quartam horam veſpertinam; quo fit, ut aqua illa potatoria plurimùm ſic refrigerata obtineatur, ut in nullo alio ſubterraneo loco, veluti cella meliùs refrigerari poſſe indicetur. *Acta Anglicana Menſ. Martii 1666.*

Obſervatio ſecunda. Ad urbem Dalmatiæ *Zenus* dictam, ut memorat Valvaſor in Topog. Carniol. lib. 2. cap. 11. tam validi & vehementes ſubinde ſæviunt venti per hyemem, ut nemo ſecurè illis flantibus domo egredi poſſit. Imò tam altè fluctus propinqui maris in aërem elevantur, ut ultrà Sabbæ turrim ibidem collidantur.

Obſervatio tertia. In Aſoribus flante auſtrô pueri plurimùm ægrotare ſolent; corporis enim meatus aperit, laxat, & humores liquat; artifices etiam, qui circa plumbum & Mercurium laborant, hoc vento flante malè ſe potisſimùm præ aliis habere ſolent.

Obſervatio quarta. In altiſſimo Sorani agri monte (ut ſcribit Kircherus, non ſine levi periculo expertus ipſe) ad cujus verticis planitiem aditus non datur, niſi per præruptum ſcopulis angiportum, tanta ventorum ſævities eſt, ut nemo erectus ſine periculo progredi poſſit. Narraſſe quoque itineris comitem teſtatur præfatus Author, non ita longo tempore integrum porcorum gregem hoc loco ventorum turbinibus involutum, abreptum & in vicini montis ſcopulos illiſum periiſſe. In mundo ſubter. lib. 4. ſect. 24. cap. 5. Idem refert, accepiſſe ſe à P. Ovalo S. J. Chilenſis Regni Procuratore, eis, qui ex Regno Chilenſi in Paraquariam commeant, primò incredibilis altitudinis montes, quos Andes, ſive *Cordileura* vocant, ſuperandos eſſe 40. leucarum itinere, in quorum vertice tanta eſſe dicitur ſubtilitas, ut ſine periculo interclusionis ſpiritus vix ullus ibidem conſiſtere poſſit: unde omnes ſpongiis, aqua frigida ad aërem condenſandum imbutis, inſtructos eſſe debere. Eſſe præterea aërem ibidem ita ad inflammationem diſpoſitum, ut viatores flammas eructare videantur, immenſóque ſudoris effluvio inflammati toti ignei cernantur.

Obſervatio quinta ex Procopio lib. 1. de Benevento Italiæ oppido, quod etiam proximo abhinc anno 1688. miſerabiliter terræ motu conquaſſatum laboravit; ita ſcribit: Quondam Priſci dixêre Maleventum; id námque oppidum Dalmatiæ ex adverſo oppoſitum eſt, in continentique ſitum, in quod ſpiritus violentior quidam, & acerbiſſimus ingruere conſuevit, qui utique ubi flare cœperit, non foris iter agere, ſed domi ſe quisque conſervare laborat. Nam venti hujus ea eſt violentia, ut vel equitem cum equo ſimul arreptum ſublimem mox deferat. Unde & Maleventum, ut in edito poſitum ex eo vento toleratu difficili ſortitum eſt nomen.

Obſervatio ſexta. Tam noxii ſunt venti in occidentalibus Norwegiæ ripis, ut nec arborem, nec fruticem germinare permittant. Quò fit, ut ad eorum defectum in ignibus inſtruendis, cibisque coquendis, oſſibus magnorum piſcium utantur. Olaus Magnus lib. 1. cap. 10.

Obſervatio ſeptima. Civitas eſt in Italia *Oeſis* dicta haud procul *Ternio*, cui adjacet mons Æolius è grandi lapide conſurgens, & ad ſesquimilliare Germanicum ex ortu versùs occaſum ſe protendens: ad pedem verò illius montis plures patent rimæ & fiſſuræ, per quas æſtivis menſibus venti vehementes efflare ſolent: ibidem incolæ canales aliquos applicare ad ventos illos

illos concipiendos & includendos, eósque in diverſa urbis loca ad æſtivum calorem temperandum deducere ſolent. Hybernis verò menſibus venti non efflant, ſed econtra aër externus intro trahitur; unde ſi levia aliqua corpora ſciſſuris illis apponantur, mox attrahuntur, & intro rapiuntur.

Stupendam etiam hiſtoriam refert Sigebertus ad annum 1081. de campanario quodam vehementi vento à loco ſuo avulſo & inclinato, ita ut in aëre hæreret, & ruinam continuò minaretur, divináque virtute poſt dies ſex refecto, & campanis ibidem dependentibus ſponte ſonantibus. Anno item 1693. in feſto Sancti Laurentii ſub crepuſculum veſpertinum venti horridi cum ignea tempeſtate à tractu Rheni Superiore exorti per Franconiam, Sueviam, & alias Provincias, usque in Bohemiam validiſſimè deſævierunt, innumeráque damna intulerunt; de his ventis formati exſtant ſequentes verſus:

I*n ſan*C*to feſto teſt*I*s* L*a*V*rent*IV*s eſto,*
DV*ra* V*t te*M*peſtas, & Ventos a*VX*erat æſtas.*

# CONCLUSIO POLITICA.
## Connubia felicitatem promovent.

36.




*Demoſth. Phil. 3.* URbis opes eſſe exiſtimo ſocios, fidem, benevolentiam, Athenienſis Orator enuntiavit. Nec abludit Philoſophus: *Ut quisque maximè poteſtate excellit, ita maximè amicis indiget.* *Ariſt. Ethic. c. 8.* Mutuis auxiliis conſtant omnia: Si quis opem mutuam è medio tolleret, tolleret univerſum. In communè vivitur. Nec poteſt quisquam beatè vivere, qui ſibi tantùm vivit. Alteri vivas oportet, aut cum altero, ſi vis tibi vivere. Hæc ſocietas felicitatis vinculum eſt, quæ nos aliis

aliis miſcet, à quibus felices fieri poſſumus. Cum enim inter nos cognationem aliquam ipſa natura conſtituerit, adeoque præſidii cauſa homines cum hominibus ſocietatem inierint: fœdus illud à principio ortûs humani conditum, jugi eſt ſucceſſione conſervandum. Ubi verò vel maximè ſocietas & fides, benevolentia & amicitia reperitur; quam ubi ſtrictiſſimum Conjugii vinculum inter ſejunctos per terrarum ſpatia animos mutuam ſundat familiaritatem? Matrimonii nodo quaſi Gordio manus manui jungitur, ut mutuis auxiliis pro ſecunda & adverſa fortuna ſibi ſuppetias ferant, in æſtate felicioris ſtatûs indiſſolubiles, nec in calamitoſæ ſortis hyeme recedant. Magnes animorum Conjugium eſt, quo dum in vitæ ſocietatem conſors trahitur, etiam tertius in familiaritatem aſſumatur. Auſtriacam Domum potentiſſimam, nunc per orbem univerſum florentiſſimam, Sago Togáque glorioſam conſpice. Annon hodienum veriſſimum, quod Maximiliano I. ex Auſtriaco Archiduce Imperatori Romanorum elogialis calamus adſcripſit: *Regia flumina quo longius diſcurrunt, eò excurrunt latiùs, amplificata aquarum veluti majeſtate ex minorum fluviorum tributis.* Nempe brachia ſua in amplexum conjugalem exterarum Gentium extendit, aliena flumina Iſtro, ſejunctas provincias Auſtriæ junxit hæc Domus Auguſtiſſima: quo propinquitatis nexu ſumma orbis Capita in fœdus traxit, animóſque armáque ſociavit, ut diffuſus Auſtriacæ gloriæ odor orbem impleverit, & matrimonii fæcunditate nominis ſui partum quaquaverſum promoverit. Omnium ventorum facilè primus Auſter id laudis meretur; quod, quia calidus & humidus eſt, arva & areolas fæcundet, flores protrudat, hortenſes thalamos odorâ progenie fertiles reddat. Auſtriacæ arboris genealogiam lege. Lineâ rectâ ortum ſuum trahit à Pharamundo I. Francorum in Germania Rege, usque ad Sigebertum Auſtraſiæ, Alſatiæ, aliarúmque Provinciarum Regem; ex his Sigebertus I. Habſpurgi Comes per novendecim ſuccedentium generationum gradus Rudolphum I. Romanorum Imperatorem in lucem auſpicatiſſimam edidit. Ab hoc glorioſiſſimo Auſtriacæ Inſulæ Fundatore per genealogicam arborem in hodiernum Auguſtiſſimum Cæſarem ea Provinciarum terrarúmque vaſtitas hæreditario ſimul ac Martiali jure tranſivit, ut pro illarum conſervatione haud exiguum emolumentum Hymenæus contulerit, potentiſſimorum Regum, Principúmque thalamos Auſtriæ amori copulando. Perge O Auguſtisſima Domus eo, quo per plura ſecula continuaſti, germine florere, ac ut fæcundo Auſtro arborem tuam propagares, habes novellos flores in Cæſareo tuo Horto, futurorum connubiorum germina: *Tu felix Auſtria nube.*

*Hortenſ. Pallavicinus S. J.*

# QUÆSTIO VI.

## *De ſignis prognoſticis ventorum, eorumque natura ad rerum electiones.*

PRimò obſervatum eſt, quod ventos vehementes ſoleat præcedere tremulus quidam foliorum, imo & arborum motus ac ob Atmoſphæræ commotionem aut vaporum diſtractionem ſtellarum ſcintillatio major, vel Halo Lunam coronans.

Secundò. Pluvia ſalſa & amara indicium imminentis ventoſæ tempeſtatis eſt, cùm Salſedo & amaritudo ſpirituum Sulphureorum, & exhalationum mineralium, ex quibus venti excitantur, notisſima ſigna ſint.

Tertio. Crebriores coruſcationes æſtate ventorum præſagia ſunt, oppoſitum verò efficiunt hyeme & Autumno, dum eos ad quietem componunt.

Quartò. Flocci aquis innatantes, fragrantia herbarum & florum ſolito major, aranearum tela per aërem volantia flatus præſagiunt; ſimiliter & anſeres multùm vociferantes, & volantes; Fulicæ ſe crebriùs aquæ immergentes, & pennas excutientes, Polypus ſaxis adhærens; Echinus ſe abſcondens; major apum reditus ad alvearia aut latitatio ſub arboribus, uti & volucres ex jugis montium in valles turmatim devolantes.

Quintò. Herba *Chitung*, vel *Chiſung* Inſulæ Sinenſis *Ajan* in quot nodos per anni decurſum excreſcit, tot procellas & turbines eo anno exorituros incolæ illius loci conjiciunt. Sed huic rei parum fidei tribuit P. Kircherus in China illuſt.

Sextò repentina maris tranquillitas & æqualisſima planities, quaſi glacies polita, ſignum nautis eſt imminentis tempeſtatis, & tunc vel maximè, cùm atra nubecula in cœlo alioquin ſereno, quæ *oculus bovis* nominari conſuevit, apparet. Simile omen capiunt, cùm pacifico aëre ſubito mare in ſpumam, effervеſcit. Unde Cardanus de variet. *maris* inquit, ſonitus & fluctus, & mugitus *in cavernis promontoriorum, & littoris reſonantia ventos indicant*, & perſæpè tempeſtates. Pariter cometes flammeus in mari quandoque apparens ſolitus ventorum & procellarum prænuntius eſſe ſolet. Signa quoque ſiniſtra & ominoſa ſunt impendentis procellæ, ſi oſtreæ navibus, aliisque rebus adhæreſcunt: ſi Cancri ſe recondant, aut lapillis graviteNt; ſi cœlo

claro majores piſces ſe ex mari attollant; ſi Delphines in maris ſuperficie ludant, vel navigia aliquot horarum vel dierum ſpatio comitentur: ſi turba albarum avium marinarum compareat.

Septimò. Solis ortus nigro tectus velamine pluvias & ventos portendit. Nigredo enim condenſationem vaporum, opportunam ventorum materiam denotat. Pariter ſi ita Sol oriens involvatur nubibus, ut radii infra inſtar barbæ promineant vel ſi reconditi & per obſcuram nubem rubei transpareant; vel ad meridiem halone cinctus videatur. Unde benè Mantuanus vates cecinit:

*Sol quoque & exoriens, & cùm ſe condet in altum,*
*Signa dabit: Solem certiſſima ſigna ſequentur.*
*Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum;*
*Conditus in nubem, medióque refugerit orbe,*
*Suſpecti tibi ſint imbres: namque urget ab alto*
*Arboribúsque, ſatísque Notus pecoríque ſiniſter.*

Et poſt paucos verſus.

\- - - *Sæpe videmus*
*Ipſius in vultu varios errare colores.*

Octavò. Ex Lunæ quoque diverſa apparitione ventorum prognoſtica deſumi poſſunt, ut ſi obſervetur cum pluribus circa ſe circulis interruptis, ut alibi annotavimus, vel ſi in plenilunio diverſi coloris coronis cingatur. Rubedo etiam in ea apparens, uti & in aliis ſideribus flatus denotat. Hinc verſus ille decantatus:

*Pallida luna pluit, rubicunda flat; alba ſerenat.*

Alii hanc Regulam univerſalem ſtatuunt: ventus, inquiunt, qui ſpirat in novilunio, perſeveret usque ad diem 18. continuabit usque ad 27. ſi verò ſpiret alius ventus intermedius, alternis vicibus ſpirabunt; plures tamen, qui tertio die.

Nono. Curioſum eſt, & obſervatione dignum, quod experientia teſte in piſce orbe ſeu phyſa dicto deprehenſum eſt. Totus hic rotundus, totúsque capito hanc à natura virtutem obtinuit, ut exenteratus, & ſiccatus, tomentóque oppletus, ſi filo alligetur, aut vitro ſuſpenſo includatur, liberéque in aëre pendeat, ſemper ad eam Horizontis partem roſtrum tanquam ventorum indicem convertat, à qua flatus exoritur. Unde Geſnerus eum vernaculâ linguâ nominat: Ein Seehahn/ gallum ſcilicet marinum, eo quod inſtar Galli ænei verſatilis in turribus ventum actu ſpirantem indicet. Qua de cauſa etiam Kircherus in arte magnetica lib. 3 part. 6. c. 2. ſ. 6. *Magnetem Æolium* appellat.

Quod ad alteram quæſtionis partem attinet, de natura nempe ventorum ad rerum electiones faciendas ſequentia accipe:

Primò medicina majori cum effectu ſumitur ſpirantibus ventis Auſtralibus, eo quod per hos corpus humanum laxetur, ut vis medicinæ faciliùs & citiùs queat penetrare; oppoſitum fit afflantibus ventis Aquilonaribus, cùm hi membra conſtringant.

Secundò. Spirantibus orientalibus, & ſeptentrionalibus Lunâ curſu vacuâ ſalubre eſt, mittere ſanguinem cœlo præſertim ſereno, minimè verò Auſtro flante.

Tertiò. Septentrionales venti ſerviunt generationi maſculorum in animalibus; vim enim digeſtivam juvant, virtutem retentivam confortant, & vim generativam augmentant. Contra verò Auſtrales ob oppoſitam qualitatem fœmellarum conceptioni potiùs deſerviunt.

Quarto. Ædificiorum ſitus, ventis orientalibus, aut ſeptentrionalibus oppoſitus optimus eſt. Unde & illis ſpirantibus feneſtras & januas aperire valdè ſalubre habetur. Contrarium fac afflantibus ventis Auſtralibus, ubi granaria maximè occludenda, ne frumentum corrumpatur. Ratio hujus colligitur ex dictis. In ſeminum tamen jactu, ac vegetabilium plantatione Auſtrales venti boni habentur, cùm poros terræ aperiant, plantas nutriant, & augmentent, ubi econtra Aquilonares enecant.

Quinto. Flante Boreâ copioſiùs ſal provenire ſolet, flôsque ſalis maximè producitur; rationem dat Kircherus in Mund. Subt. l. 9. Sect. 4. cap. 6. in appendice, quod conſtrictivâ vi intenſi frigoris in hoc vento corpuſcula ſalina, quamvis minima, facilè conſtringantur, & condenſentur.

Sexto. Septentrionales & orientales venationi magis idonei ſunt, non ita Auſtrales & occidentales, canibus enim ab humore odoratus obſtruitur, qui à ſiccitate acuitur.

Septi-

Septimo. Ventorum obſervatio multùm conducit ad prælium tam terreſtre, quàm navale inſtituendum, dum eorum nempè flatus in hoſtiles acies fumum, ac pulveres defert. Ita horum ſubſidio Theodoſius Auguſtus cum parva manu Gothos devicit, cujus meminit Claudianus:

*O nimiùm dilecte DEO, cui militat æther,*
*Et conjurati veniunt ad claſſica venti.*

Ita etiam Joannes Auſtriacus ad Naupactum anno 1522. ingentem victoriam de formidabili Turcarum claſſe reportavit; triremes enim ac alia navigia occupata numerabantur 170. reliquæ verò naves omnes vel ſubmerſæ, vel incendio perierunt. Contrarium verò cum ingenti damno expertus Philippus Hiſpaniarum Rex, dum anno 1588. adversùs Anglos ſiniſtro vento depugnavit cum claſſe centum & quinquaginta navium. Et hæc de Diſſertatione ventorum dicta ſufficiant.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Suſurrones non facilè ſuſcipiendi.

37.




UT aquila merus oculus eſt, etiam in Solem intentus: Sic Politicus non auris, ſed oculus ſit. Videat, non audiat tantùm. *Oculos fideles* Lyricus; contra *infideles aures* Hiſtoricorum primus appellat. Mentiuntur aures ſæpè, quia mendaciis aperiuntur: at fallere viſus neſcit, quem non paſſio excœcat. *Magis veritas oculata fide, quàm per aures animis hominum infigitur, acrior enim eſt oculorum, quàm aurium ſenſus.* Diei ſoboles oculus eſt, at auris etiam noctu ſentit, decipi poteſt. Hinc intellige illam Comici hieroglyphicam proſam:

*Horat. de arte.*
*Herodat. in Clio.*
*Sen. ep. 6.*

Plaut. Aſin. ſcen. 3. act. 1. ſam: *Oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt, quod vident.* Viſus per ſe, auditus per accidens conducit, & ex alio habet, unde vivat. *Optimè itaque reges, ſi omnia des operam perſpicere, nec quidquam negligere*, Agapetus Juſtiniano ſcripſit Imperatori: *Etenim homines ſe mutuò accuſant: aliqui compoſito falſis criminibus: alii verò incuſantes. Contra alii laudant, aliqui ut res eſt, teſtantes, nonnulli veritate neglectâ gratificantes.* Stobæus. Vulcaniam adi, diductis follium faucibus eructant venti, ignem ſufflant, ſcintillas diſpergunt, ad cudenda fulmina Cyclopibus deſerviunt: mera ſunt armorum ac bellorum inſtrumenta, quibus ferrea tempora, regnorum exitia, bonorum exilia, incolarum ruina, animorum diſſidia excitantur. Suſurronum, Delatorúmque genus tam ferrei homines ſunt. Ventos cient, velut crabrones auribus obſtrepunt; at de tali ſorte hominum Senecam audi: *Peſſimum genus hominum, videbantur verba geſtare, & ſunt, qui vitia geſtant. Horum ſermo multùm nocet. Nam etiamſi ſtatim non officit, ſemina in animo relinquit, ſequitúrque nos etiam, cùm ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum.* Heu! quàm crudeliter credulæ nimium aures hiſce ſuſurris ſunt accenſæ, ut in ſanguinarias flammas emerſerint. Solum accipe Hadrianum Cæſarem, qui apertas facilè ſuggeſtionum flabellis aures inclinans, Tatianum Nepotem, Septicium, Clarum, alióſque præcipitato conſilio hoſtium loco habitos neci tradidit. Juſtâ romphæâ in hujuſmodi aurium flagellatores Honorii & Theodoſii Impp. Conſtitutio flagellis animadvertit: *Quiſquis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentiendi. Cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.* Certè, quis innocens eſſe poſſit, ſi accuſaſſe ſufficit? Sunt, qui prœmio inducti in inſontes debacchantur. Sunt, qui paſſione excœcati ſine diſcrimine criminantur. Sunt, qui adulandi libidine in aures titillantes livoris odiique venena liberè effundunt; at ne auriculariis hiſce incentoribus aditum, auditúmque præbeat, Titus Cæſar Veſpaſianum, Filius Parentem oraſſe legimus, & quidem *multo tempore, ne criminantium ſociis temerè accenderetur.* Seneca agmen claudat: *Difficilem oportet habere aurem ad crimina.* Sic tamen non ſtatim non crede, ut nulli credas; ſed crede nec omnibus, nec nemini. Mediâ viâ incede, & Auguſti Cæſaris ſemitâ gradere. *Memento, non omnia ſtatim credenda, ſed diligentem conſiderationem adhibendam.*

Stob. ſer. 44. Seneca ep. 123. L. fin. C. de Calumn. Tacit. l. 4. ann. Sen. in ep. Dio l. 52.

# QUÆSTIO VII.

*locò Appendicis.*

## Concordiæ ſtudioſus ſit Politicus.

VOces acutas & graves, altas & profundas concordi diſcordiâ organum emittit; & licèt ordinis ac quantitatis diſcretæ fiſtulis inſtruatur, ſpiritu tamen animatur ab uno, eadémque dat aura loquelam. Ad Templum te evoco Politice; & ad illud, quod à morte Severi Imperatoris apertum Romæ patuit, quando Getam inter & Antonium fratres exortum eſt bellum, Concordiæ templum. Irrefragabile enim eſt Q. Fabii Maximi Romanorum Senatoris celeberrimi edictum: *nihil concordiâ firmiùs eſſe ad Rempub.* Expugnatâ Numantiâ, quæ toties Scipionis Africani arma confregit, repetitóſque incurſus repulit, Tyreſias Numantinorum Princeps à victore Scipione Africano quæritur, cur ſæpiùs invicta civitas ſuis armis tandem ceſſerit? *Concordia* (inquit Tyreſias) *victoriam, diſcordia exitium præbuit.* Eſt Concordia ut gluten animorum, ita chalybs armorum, vir viro, animus animo additus vires duplicat. *Si vel modicum modico conjunxeris, idque frequenter feceris, ſtatim fiet hoc quoque magnum.* Menander. Carolus Fridericus Cliviæ Dux, ut orbi palàm faceret, quantus reipubl. per populi concordiam fiat acceſſus, multa humana corda intra unius clypei ſphæram pinxit: *Hic murus aheneus eſto.* Quid enim ad propugnandum validiùs, ad tuendam urbem præſentiùs, ad ſubjugandum hoſtem potentiùs, ad conſervandum ſuo in flore Bonum commune utiliùs, Concordiâ? Id quod Spartanæ urbis munimentum erat, Lycurgo Fundatore. Unde Ageſilaus Rex rogatus, *Cur Sparta mœnibus non cingeretur?* digito in Cives unanimes & armatos intendit: *Hi ſunt Spartanæ civitatis mœnia*, Cúmque ſucceſſu temporis iidem Spartani de murali cinctura conſilium caperent, Iſæus Sophiſta in publicum progreſſus in populi frequentiâ Homeri verſum recitavit:

Xiphilin. in Anton. Liv. l. 1. Menand. apud Stob ſer. 29. Plut. in apophth. Lacon.

*Scutum hæſit ſcuto, galeæ galea, atque viro vir.*


Addiditque de ſuo: Sic mihi ſtate Lacedæmonii & muris cincti ſumus. Amphion concordi fidium ſono Thebas adversùs hoſtiles incurſus communivit. Communitatem hominum Hippodamus Pythagoræus *omnimodam cum lyra, fidibúſque ſimilitudinem recipere dixit, eò quòd apparatu*

Stob. ſer. 41.

*tu, concinnatione, & tandem pertractatione aliqua uſque muſico egeat.* Id paulo prolixiùs Orator Latinus diduxit: *Ut in fidibus ac tibiis & cantu ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, iſque concentus ex diſſimilibus vocibus, moderatione autem concors efficitur & congru-* *Cic. fragment. L. 2. de Republ.*

38.

N. 36.




*ens: ſic ſummis & infimis & mediis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderatâ ratione civitas conſenſu diſſimilimorum conſiſtit; & quæ harmonia in cantu dicitur, ea eſt in civitate concordia.* Haud abſonè Othobertus Habspurgi Comes armatum brachium cum cithara ſchematis loco ſuſtinuit, epigraphen referens: *Hæc mihi tuba.* Molle quid eſſet manus armillis & non ferro inſtructa; at armorum loco fortiſſimaque eſt manus populi concordia, quæ velut tuba contra hoſtem animos excitat, munitque; ac velut adamantes reddit infractos. Quodſi Bodinus, & ex eo Jonſtonus adamantes attritu coaleſcentes Concordiæ Symbolum crediderunt; Domus Auſtriaca verò non ab uno calamo infracto adamanti comparatur: Eidem quàm belliſſimè ſub Matthiæ I. Cæſaris Auſtriaci Symbolo applaudimus; *Bodin. l. 2. theat. nat.*

*Concordia Lumine major.*

# DISSERTATIO VII.

## De Meteoris aqueis, quæ fiunt in aëre.

Aëreum Meteorum præcedenti Diſſertatione explicatum eſt, ſequitur aqueum, quodex vapore concreſcit in aëre; & quia ex aqua potiſſimùm conſtat, in eandem ſæpiùs reſolvitur. Unde aqueum meteorum eſt, quod ex vapore pleniùs à frigore conſtricto, & quaſi conſolidato conſtat; quando enim Solis & reliquorum aſtrorum motu, & calore è locis humentibus vapor evocatur, calorem ſuum adventitium ob frigus circumſtans imprimis mediæ regionis deponit, & caloris diſceſſu, & loci frigore rurſus cogitur, & in aërea natura aqua oritur, quæ denuò in terram delabitur. Producitur hoc Meteorum vel in ſecunda regione aëris, & ſunt nubes, pluvia, nix & grando; vel in infima & ſunt nebula, pruina, ros, cui adjuncta ſunt, mel, manna & ſaccharum. In ſumma enim aëris regione tum ob aqueam vaporis gravitatem, ob quam altiùs efferri nequit, tum ob intenſum ejus regionis calorem, & orbicum, rapidiſſimumque motum hujus generis meteora fieri non poſſe rectè ſtatuit Ariſtotel. 1. Met. c. 3. De ſingulis his per ſubſequentes Quæſtiones breviter agemus. Quare ſit

## QUÆSTIO I.

### *De Nubibus.*

Concluſio prima. Nubes eſt vapor exhalatione mixtus in ſecunda regione aëris frigore condenſatus. Dicitur primò nubes ab obnubendo, hoc eſt, ab operiendo cœlum. Dicitur ſecundo vapor, per quam particulam denotatur materia, quâ conſtet nubes; eſt enim nubes vapor aqueus ſurſum virtute Solis & aliorum ſiderum attractus, qui condenſatus reſolvitur in pluviam. Dicitur deinde exhalatione mixtus, patet hoc ex aquæ pluviæ & nivalis impuritatibus, in quas ſe nubes exonerant, unde conſtat vaporem hunc multas partes terreas habere admixtas. Reliquæ particulæ explicant locum, cauſam formalem & effectivam, nam nubium locus eſt ſecunda aëris regio: exhalationes enim, quæ usque ad tertiam regionem evadunt, reliquis leviores, calidioréſque frigus, quo denſentur, non admittunt, maximè cùm ſuprema regio, quantum à radiorum ſolarium reflexione abit, tantùm ad aſtrorum calorem accedat. Forma accidentalis eſt opacitas quædam & denſitas vaporum, non tamen planè conſtricta, ut in aqua & glacie, ſed adhuc rara & inſtar ſpongiæ cavernoſa & mobilis in aëre dependens. Effectiva autem eſt frigus, tum ipſius aquæ, quæ ſe ad priſtinum frigus reducit, tum circumſtans frigus mediæ regionis aëris, quo vapor veluti congelatur, ut in nubis conſiſtentiam abeat, haud aliter atque hyberno tempore exhalationes ex ore animalium prodeuntes ſtatim cogi, & veluti in pruinam, aut nivem condenſari videmus.

Concluſio ſecunda: nubes duplicis ſunt generis, quædam enim ſunt ſicciores & evanidæ, atque infæcundæ, quæ licèt ventis incitentur, non tamen effundunt imbres, ſed in aëris naturam faceſſunt, aut in ventos abeunt. Aliæ ſunt humidiores irriguo quodam humore ſcatentes, ac proinde fæcundæ & ad pluviam pariendam idoneæ.

Concluſio tertia. Nubes manent in aëre ſuſpenſæ partim calore congenito, quem habent incluſum, partim Solis & Aſtrorum calore, partim denique motu ipſo aëris, cùm enim ſint inſtar ſpongiæ cavernoſæ, facilè in ſe auram recipiunt, qua detineantur, & hinc inde agitentur, donec reſolvantur in elementum gravius, tunc enim mole & gravitate ſuâ depreſſa

preſſa in terras decidunt. Unde dum validus ſpirat ventus pluvias non timemus; cum autem ceſſat ventus, mox pluere ſolet. Analogia etiam eſt à pulvere jactato in aërem, diúque ibidem ob ventorum flatus hærentem. Cæterùm unica pænè cauſa ſuſpenſionis eſt, quod nubium levitas major ſit, quam aëris mediæ regionis, ob hanc enim rationem unum corpus ſtat naturaliter, hoc eſt, nullâ vi externâ detentum ſupra, aut infra aliud corpus, unde lignum ſupernatat aquæ, ſaxum verò demergitur, quia nempe lignum levius eſt, ſaxum gravius quàm aqua: Hinc quanto levior eſt nubes, eò altiùs aſcendit, ut ſit ſupra corpus gravius ſe, ſicut econtra, quo gravior eſt, eo magis deſcendit, ut ſit infra corpus ſe levius, & ſi ita condenſatur, ut ſit gravior, quam aër etiam infimæ regionis, confeſtim tota ſubſidet in terram.

Colliges hinc, fabuloſum eſſe, quod affirmat Antonius Berga & Scaliger Exerc. 79. nubes ſuſpendi à Sole vi quâdam magneticâ, quia ſic nocte, quando nubes ſunt ſupra, Sol infra Horizontem, nec amplius illuminantur à Sole, univerſæ ruerent in terram.

Concluſio quarta. Figura nubium non eſt plana, nec rotunda, ac terræ concentrica, ſed irregularis, & inconſtans, varia, diſpar, & fortuita, ut tenet Cabeus, eo, quod materia earum non ſit homogenea, & ejusdem prorſus ſecundùm omnes partes levitatis, aut gravitatis, ut propterea debeant ſingulæ æqualiter à terra diſtare; patétque ipsâ experientiâ oculari; cùm partes earum alicubi rariores, & elevatiores, alicubi compresſiores & ſubmiſſiores, ac diverſimodè compactæ, atque ipſo diſcurſu plurimum variari cernantur.

Concluſio quinta. Nubium motus vagus & incertus eſt, proindéque non eſt naturalis, ſed ab extrinſeco impreſſus, præſertim à vento, cujus qualitas ex eo præſertim nubium motu dignoſcitur; ad inſtar candidi velleris aliquando ſparſa criſpatur à vento, detracto ſcilicet vapore, hic enim facilè à vento excutitur, unde fit, ut nubes hæ candidæ humore excuſſo ſterileſcant.

Concluſio ſexta. Nubium colores non ſunt veri, ſed apparentes, ut diximus de Iride, oriuntúrque ex varia lucis admixtione cum quadam opacitate & perſpicuitate; unde aliquando rubræ, aliquando candidæ, & aliquando nigræ apparent, nam cum valde denſæ ſunt, atque adeo parum perſpicuæ, exiguum intra ſe lumen ſuſcipiunt, ideóque videntur nigræ; quando vero ſunt raræ, parum habent opacitatis, ideóque plurimum lumen ſuſcipiunt, & apparent candidæ; quando autem nubes aquoſa Soli ſubjicitur, ita lumen cum opaco & perſpicuo miſcetur, ut accendatur rubor, appareántque rubræ.

Concluſio ſeptima. Inæqualis nubium à terra eſt remotio, tum propter diverſos vapores, nam rariores & ſubtiliores altius aſſurgunt, craſſiores vero & denſiores manent loco humiliori tum ob diverſam ſiderum virtutem, quorum alia altius attollunt vapores, alia minùs altè; tum demum propter ventos, qui hinc inde nubes agitant. Cæterum certum eſt, æſtate altiùs aſſurgere, quia reflexio radiorum Solis hyeme minor nubes citiùs condenſari patitur. Certum videtur ſecundo, infimam altitudinem multarum nubium eſſe minorem quàm quingentorum paſſuum. Nam experientiâ conſtat, ſæpè ex montibus aut collibus, quorum altitudo perpendicularis eſt certiſſimè minor, quàm quingentorum paſſuum, apparere nubes infra verticem illorum. Neque dicas, illas non eſſe nubes, ſed nebulas, nam vapores concreti, qui reſolvuntur in pluvias, nubes ſunt; iſti autem vapores, de quibus loquimur, ſæpè in pluvias reſolvuntur; nam ſæpè contingit, ut in montium iſtorum vertice ſit ſerenum cœlum, in planitie vero & ad radices ſit pluvia decidens ex illis vaporibus concretis; ergo. Certè nubes non procul terrâ diſtare, motus, qui videtur celerrimus, ſuadet, ſi enim remotæ forent, tam parum earum motus pateret oculo, quàm parum Solis aut Lunæ vaſtiſſimarum molium curſus ſub oculum cadit. Sententia igitur Magiri eſt & complurium aliorum, nubes interdum vix abeſſe ſpatio dimidii milliaris, ubi ſecundùm auctores incipiunt cogi omnes vapores, interdum vero inquit ille, ulterius aſcendunt ad milliaria Germanica 10. 23. 40. 70. ulterius autem facilè non aſcendunt.

Concluſio octava. Effectus nubium præcipui ſunt terræ fæcunditatem, & ſeminibus, herbíſque incrementum humiditate ſuâ præbere, ſiccitatem, & hinc enatam ſterilitatem abigere, ſolarium radiorum æſtum temperare. Quocircà nubes haud immerito dici queunt velum quoddam inter Solem & terram ſapientisſimâ providentiæ Divinæ lege varios ad uſus obductum.

Quæres primo. Quid denotent nubes apparentes in aëre floccis lanæ asſimilatæ. Reſpondeo: pluvias plerúmque cum frigore futuras prænuntiare; quæ autem gradatæ & ſiccæ ad modum ovium gregis apparent, ventos denuntiant.

Quæres ſecundo: Cujus tempeſtatis ſignum ſint nubes purpureæ in ortu vel occaſu Solis? Reſpondeo, juxta illud vulgare.

*Manè*

*Manè rubens cœlum venturos indicat imbres ;*
*Serò rubens cœlum, cras indicat eſſe ſerenum.*

Quæres tertiò: Nubium color niger, uti & albus quid ſignificent? Reſpondeo quoad primam partem; ſi Sol oriens nigreſcat, æquè pluvias ac ventos portendit, nubium enim nigricans color vaporum conſtipationem & conſequenter idoneam ventis & pluviæ materiam notat; & ventos quidem, ſi nubium ex arcto in latum diſſipatio fiat; pluviam ſi Solis vi earum in aqueas partes fiat diſſolutio. Quod attinet ad ſecundam partem, dico; albas nubes æſtivo tempore grandines, hyemali verò tempore nives indicare. Præcipuè vero, cùm albæ nubes veſperi propè Horizontem apparent, per duos ſæpè dies, aut tres continuos hyemali tempore frigoris aut nivis indicium præbent. Quo etiam magis eodem tempore albicant, & aër inſuper poſt apparentiam illarum erit calidiuſculus, eo certiùs nives indicabit.

Quoad reliquas affectiones nubium obſerva primo. Nubes craſſiores quocunque anni tempore ad Horizontem propè dependent, aut montium jugis incumbunt pluvias portendunt; ſecundò, ſi pluvioſa nubecula ſuper montes exoritur, paulatimque accreſcere videtur, ingentis tempeſtatis certum ſignum à nautis compertum eſt. Tertiò altiſſimæ nubes in nivem potiùs, quam in pluviam concreſcunt; unde ſæpè cùm in ſubjectis vallibus pluit, eodem tempore in præcelſis montium jugis ningit. Quartò nubes profundæ colore viridi in atrum vergente cùm ſulphure & terreis exhalationibus ſint admodum fœtæ, quæ idcirco etiam facilè inflammantur, & factâ incenſione & inflammatione congeneres particulas lapideas citò congregant, plerumque in tempeſtatibus graves minantur ictus & percusſiones.

Colliges, varia etiam quandoque oſtenta & ſpectra apparere in nubibus ex ſpeciali DEI ordinatione ad futuros eventus indicandos. Ita anno 1536. die 5. Februarii in quodam Hiſpaniæ oppido, cœlo aquoſo & nubilo viſi ſunt duo adoleſcentes armati gladiis congredientes, quorum unus habebat in lævа parmam Aquilâ inſignitam cum inſcriptione: *Regnabo*; alter ſcutum perlongum cum inſcriptione: *Regnavi.* Verùm cum Monomachiam inſtituiſſent, Aquilam habens proſtrato hoſte victor demum evaſit. Aldrovand. l. 2. Ornith. cap. 2. Plura alia ſpectra aërea ex dictis conſtant, & paſſim ab authoribus annotantur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Malefactoribus benefaciendum.

VIndictæ genus aptiſſimum tibi dicto, Politice, quo tuus erubeſcere diſcat inimicus: opprime eum, & in ſinum illius deplue. Injuriis illius obvia, brachium contra ipſum extende. Non qualiter in proverbium abiit *vindicta Neoptolemea*, ubi par pári refertur, & pro malo redditur malum; ſed qualis ex nube legitur reciprocandi genius. Collocata ſupra mare nubecula è ſalſo marinæ aquæ vapore amaricatur, ipſa tamen & amarorem digerit, & in dulcem liquorem Solis ope deſtillat, & largo ac benefico ſinu dulces pluvias refundit. Non qualiter Zeno Iſauricus dicere ſolebat: *Malo nodo malus cuneus.* Non qualiter Julius Pollux ſcripſit: *Clavus clavo, paxillus paxillo excutiendus.* Id enim foret, quod Homero diſplicuit, *morbum morbo, vulnus vulnere curare velle.* Impar pari eſt referendum, bonum malo reddendum. Quod Odoando Farneſio in laudum numerum acceſſit; cum in eos beneficentiæ ſinum aperuit, & charitatis radios diſperſit, qui nomini ejus umbram offundere, ac generoſo ſplendori maculam inurere nitebantur. In hac parte Longimanum te opto, brachio Juris ac vindictæ longius gratiæ brachium habeas. Pulcherrima hæc deformitas generoſi pectoris eſt; Lacerto miſericordiæ vindicativam manum excedere. Aureis ſcriptum elementis fixum vellem heroicis animis Marci Aurelii, optimi Romanorum Imperatoris, exemplum: Permagnum belli ac victoriæ præmium ſe exſpectare, ſuos ad Commilitones dicebat, quantum unquam quis accepit. Quod verò illud præmium? *Homini, qui injuriam fecit* (Caſſium Imperatoriæ ſuæ Conjugis Interfectorem intellexit) ignoſcere & *illi qui amicitiam, fidemque violavit, amicum & fidelem permanere.* Nihil ſanè auguſtiùs, nihil pulchriùs, quàm nullius veniæ petitionem exſpectare, malefactis beneficentiâ obviare. *Magni animi eſt proprium, placidum eſſe & tranquillum, injurias atque offenſiones ſemper deſpicere.* Seneca. Julii Cæſaris, & Titi Veſpaſiani, Adriani, & imprimis Auguſti laus haud mediocris eſt, qua ſibi Parentum nomen proprium non vindicando vendicarunt, Seneca teſte: *ob nullam aliam cauſam, quàm quòd contumelias nullâ crudelitate exequebantur.* Quid congruentiùs, quàm Lauro oleam jungere? illa caput, hæc manum exornat. *Speciosiùs aliquando injurias vince beneficiis, quàm mu-*

tui-

39.




*tui odii pertinacia penſari.* Val. Max. Philippus Macedo in hoc vel maximè Rex fuit, quòd omnes ferè conviciatores ſuos beneficentiâ fecerit amicos. verè paterno in filium Alexandrum argumento, qui id proverbii loco didicit: *Regium eſt, malè audire, & benè facere.* Speculum ſit tibi Auſtria, quæ dum Clementiſſima audit, plures ſibi plagas lacerto miſericordiæ, quàm brachio juſtæ animadverſionis fecit vectigales. Gentilitium ejus umbonem vide; ruborem candore, lacte ſanguinem vides maritatum, ſeveritatem vides amori junctum; at ita, ut ſinu, & medio ſcuti cingulo, lac gerat ac candorem; propiùs ei cordi Clementia, quàm juſtitia.

# QUÆSTIO II.

## *De Nebulis.*

Concluſio prima. Nebula è nube deſcendens eſt aridior pars nubis incubans terris, non enim tota nubes ſolvitur in pluviam, ſed pars ejus aridior in nebulam vertitur, adeò, ut nebula (quemadmodum Ariſtoteles definit) ſit quoddam veluti nubis excrementum, & ejus decidentia. Sicut enim in rerum viventium nutricatione, quædam alimenti partes in ipſam rei alitæ ſubſtantiam faceſſunt, aliæ inutiles & excrementitiæ ſunt; ita & in nube quædam partes in aquam mutantur, aliæ ad aquam gignendam minus idoneæ, tanquam nubis excrementa poſt pluviam remanent. Unde benè obſervat Pater Maurus, quòd halitus à calore ſolari elevatus conſtet triplici parte; prima pars conſiſtit in partibus ſpiritoſis ac ſiccis, habentibus naturam igneam; ſecunda in vaporibus humidis & aqueis; tertia in exhalationibus craſſioribus, ac participantibus naturam terream, iſtæ tres partes licèt initio ſimul aſcendant, tamen quia inæqualem habent levitatem ac virtutem aſcendendi, in progreſſu ſe-

gregantur; & fumoſitates quidem igneæ, utpote leviores, evolant, & aſcendunt etiam usque ad tertiam regionem aëris, atque ad Sphæram ignis; exhalationes terreæ, utpote graviores, deſcendunt usque ad infimam regionem aëris, ac remanent in locis humilioribus ac terræ propinquioribus, ibique concreſcunt in nebulas & caligines; vapores humidi utpote medii in levitate, ſiſtunt in ſecunda regione ac ibi concreſcunt in nubes. Et ex hujusmodi nebulis factæ ſunt ſine dubio Ægyptiacæ illæ tenebræ, quæ poterant palpari; & propter nebulæ denſitatem motum localem impediebant. Atque hæc prima nebulæ ſpecies eſt, quæ deſcendit è nubibus. Ex his ſubſequens dubium reſolves:

Cur hæc nebula & caligo ſint infœcundæ aquarum & non reſolvantur in pluviam, quia nempe conſtat exhalationibus terreis & fæculentis, atque ideò non reſolubilibus in aquam; deinde etiam ratione loci; nubes enim, cùm ſint in loco frigido & maximè apto, ut ibi vapores redire poſſint ad ſuum nativum frigus, poſſunt in pluvias reſolvi; cùm autem nebulæ ad talem locum non aſcendant; ideò ineptæ ſunt, ut in pluviam ſolvantur. Oliverus meminit; haud longè à portu *Formoſo* in tractu marino inter *Baldiviam* in *Chili* ac Civitatem *Lima* incidiſſe ſe in tempeſtatem nebuloſam, in qua vix ad lapidis ictum quis viſum protendere potuit; nebula autem illa fuit inſtar ſicci pulveris ad modum farinæ comminuti, unde & veſtes eorum, qui in navi erant, conſperſæ ita albicarunt, quaſi farinâ albâ fuiſſent conſperſæ.

Concluſio ſecunda. Nebula è humidioribus locis aſcendens eſt craſſus quidam vapor ex humentibus locis elevatus, & manens in infima regione aëris ob ſpiſſitudinem, quam frigus tanquam cauſa efficiens inducit. Gignitur fermè ſub finem vel diei, vel noctis, quæ humida fuit, quoniam multum vaporum è terra exit. Hi autem vapores, prout ſunt affecti, nebulæ etiam, quæ inde fiunt, varios odores ſpargunt. Teter odor non raró in illis deprehenditur, quod fit, quia nebulæ conſtant mixtione exhalationum ſiccarum cum vaporibus, quæ cùm non ſint temperatæ, cùm iisdem fœtorem pariunt. Wormius in Muſæo ſuo refert in partibus ſeptentrionalibus verno tempore, cum denſæ admodum nebulæ ex mari exſurgunt, mures, quos indigenæ alias *Lemmar* vocant, cumulatim apparere, imo & cum nebulis iſtis aëre tranquillo decidere ſolere. Eſſe verò nebulas has ingentis fœtoris, itaque craſſas, ut ſpirandi facultatem adimant. Compertum etiam ſcribit, poſt nebulas hujusmodi vernales mures ſæpè ſuper nives in altiſſimis montium jugis in admiranda altitudine reperiri. Cæterum etſi Ariſtoteles inter nebulam & caliginem nullam ponat differentiam, ut nec nomine diſcernat, quoniam apud eum ὁμίχλη communis eſt vox: quidam tamen ſic diſcriminant, ut nebula ſit vapor non adeò coactus & denſatus, ſed rarior & ſparſus natura, & loco medio inter nubem & vaporem. Caligo verò ſit aſpiratio condenſata, ideoque hanc calidis potiùs, quàm frigidis fieri temporibus cenſent. A Nubibus vero differt nebula, quod hæc ſit terræ vicinior, & vi frigoris citiùs concreſcat, nec ita ob vaporum craſſitiem altiùs cœlum verſus evehi queat. Hæc ſi orientis Solis præſentiâ extenuetur & evaneſcat, ſerenitatis ſignum eſt; ſi confeſtim aſcendat, & ad aërem frigidum evecta una cum vaporibus concreſcat, ſæpè in pluviam vertitur.

Concluſio tertia: tam nebula è locis humentibus ſurſum aſcendens, quàm nebula è nubibus deſcendens, eſt nube craſſior & denſior. Ratio eſt, quia talis nebula occupat locum infra nubes, conſequenter illa gravior, adeóque denſior: nam omne corpus levius quærit locum ſupra omne id, quo ipſum levius eſt: unde cùm nubes ſupra nebulas & nebulæ infra nubes ſint, benè ſequitur, nebulas eſſe neceſſariò graviores nubibus, conſequentérque ipſis nubibus denſiores, quod maximè de nebula deſcendente verum eſt, cùm confletur ex exhalationibus ſiccis & terreis, quæ ſunt graviores vaporibus aqueis.

Dices: nebula eſt minùs apta verti in pluviam, quàm nubes, quæ in pluviam vertitur, quæ verò accedunt magis ad ſtatum aquæ craſſiora & denſiora ſunt: ergo. Reſpondeo nebulam deſcendentem eſſe minùs aptam converti in pluviam, quia componitur ex exhalationibus terreis non reſolubilibus in aquam, ut ſuperiùs diximus: nebula verò aſcendens etiam in pluviam reſolvi non poteſt ratione loci, ut pariter ibidem annotavimus.

Dices ſecundo. Nebula facilè à Solis radio diſſolvitur, non ita nubes; ergo ſignum eſt, nebulam eſſe rariorem, nubem denſiorem. Reſpondeo, hoc fieri duntaxat ratione loci, in quo inveniuntur; nam nubes præmuniuntur à frigore ſuæ regionis, & non ita nebulæ, quæ absque ulla, vel ſaltem minori reſiſtentia frigoris ſolari radio patent, ideoque hæ faciliùs, illæ verò difficiliùs ſolvuntur.

Dices tertio: nubes eſt in loco frigidiori, ergo neceſſario debet magis conſtipari & condenſari, quàm nebula, ſicque eſt denſior ipsâ nebulâ. Reſpondeo, nubes licèt ſint in loco frigidiori, non ideo æquè ac nebulas condenſari, tum quia partibus & ſpiritibus conſtant ſubtilioribus; tum quia aliquando adſunt aliæ cauſæ & influxus ſiderum illud frigus tenentes & moderantes, ne magis denſentur.

Con-

Concluſio quarta. Nebulæ aſcendentes ingenito terræ calore potiùs, quàm radiis ſolaribus excitantur. Mane equidem, vel veſperi ſæpiùs; rarò ſole fervido terram obducunt, ſubito etiam totum horizontem complent, atque ex certis locis erumpunt, quæ omnia non cadunt in vapores à Sole attractos. Ex dictis

Colliges primo: ex humidioribus & humilioribus terræ locis, ex paluſtribus & fluminibus frequentius & majori copiâ elevari nebulas, quàm ex locis aridis, excelſis, ac ventorum flatibus expoſitis.

Colliges ſecundo; nebulas diſſipari vel Solis in illas agentis virtute, vel ventorum flatu, aut etiam repentinæ pluviæ lapſu.

Colliges tertio. Dum manè fuerunt nebulæ, meridiem fieri calidiorem, licèt enim illas calor Solis diſcuſſerit, aërem etiam diſſipatæ faciunt denſiorem, calor autem in denſiori materia receptus, magis eſt activus.

Colliges quarto. Aliquas nebulas prorſus eſſe aqueas, alias viſcoſas & limum ex qualitate corporis, ex quo ſublimantur, congenitum habere, quæ ab aquis putreſcentibus exſpirant, ut dictum eſt, fætorem habent, tuſſimque creant, & noxiæ ſunt; unde urbes paludibus aut lacubus adſitæ minùs ſalubres habentur. Huc referri poterit, quod Gerardus de Vëer in deſcript. ſecundæ navigat. Batav. anno 1595. memorat, dum ſcribit, nebulas adeo craſſas, atque ingentium guttarum terram illam obſidere, quarum unica etiam ferè commune potorium vitrum ad medietatem implere valet: ſolet etiam nebuloſa illa aqua valdè ingratum fætorem exhalare. Similiter ſcribit idem, dum *à Samitico portu* ſolverint, tam craſſâ nebula fuiſſe naves obtectas, ut ex una navi ad alteram, quæ primo vix ad lapidis jactum diſtabat, proſpicere nequiverint, etiam ob nimium madorem funes nauticos benè, ut volebant, tractare non valuerint; ne etiam ipſæ naves in progreſſu in ſe invicem impingerent, continuo buccinarum, ſclopetorum exoneratorum atque tormentorum exploſorum ſonitu, invicem ſe monere debuerint.

Colliges quinto. Nebuloſis temporibus miasma peſtiferum facilius transfertur; unde tunc plures inficiuntur, ac intereunt; ab iis igitur peſtis tempore maxime cavendum.

Colliges ſexto. Nebuloſa tempora ſunt ſerenis calidiora cœteris partius, ratio eſt, quia ſerena tempora ſunt exhalationibus magis expertia; nebuloſa vero ſunt plena exhalationibus, quæ ſuo calore aërem calefaciunt.

Colliges ſeptimo. Nebulæ Autumni tempore in his regionibus noſtris ſunt frequentiores, quod terra tunc faciliùs & uberiùs evaporet. Quæ vero verno tempore, poſtquam terra diu gelu conſtricta fuit, ac inprimis in Martio contingunt, inſalubriores cenſentur.

Colliges octavo. Nebulæ, quæ immediatè poſt pluviam interdum è montibus ſurgunt, fiunt ex iis vaporibus ſiccis, quos pluvia per inane repertos ſuo lapſu depreſſit, illi vero, quia ob ſiccitatem ſuam in aquas reſolvi non poſſunt, rurſus levitate ſua in ſublime contendunt, locum, unde pulſi ſunt, repetituri.


Colliges nono. Nebulas terram fœcundare, quia ſunt fæculentæ & craſſæ, atque adeo ad fæcundandum aptæ; frumento tamen & fructibus maturis, vel propinquis maturitati noxiæ ſunt, quia cum ſint terreæ & ſatis ſiccæ, exſugunt humorem frumenti & fructuum. Refert tamen Joſephus à Coſta lib. 3. c. 21. ubi à Peruvianis montibus *Ariqua*, *&* *Arequiepa* in campi planitiem deſcenditur, jam à longe ſeſe conſpectui offerunt duo colles, quorum unus altero paulo altior, clarior & lucidior comparet, alter vero priore demiſſior, & obſcurior. Solet hic nebula rorida (cum nullæ ibi decidant pluviæ) omnem irrigationis pluvialis defectum compenſare, ſatiſque mirè conducere. Et licèt etiam in ea regione profluentes aquæ per campos deducantur, ros tamen & nebuloſus aër magis conferunt herbis, plantis, & frugibus; iis enim quacunque de cauſa impeditis agri omnino ſterileſcunt; unde colliges has nebulas non eſſe terreas & ſiccas, ſed prorſus aqueas.

Quæres, num nebulæ etiam tempeſtatis indices ſint? Reſpondeo, in aliquibus locis, præſertim ſi è montium jugis ſurgunt, eas omnio ſignum eſſe tempeſtatis impendentis. Ita in Galliæ Delphinatu haud procul ad urbe *Vienna* altus exurgit mons, in cujus vertice ſtagnum eſt aqua repletum, unde omnes tempeſtates illius regionis originem trahere cenſentur. Cùm enim nebuloſus quidam vapor inde notatur aſcendere; mox tempeſtatem validam cum tonitruis & fulminibus affuturam conjicitur.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Ingratitudo vitium commune.

40.




SUblevatus in aëris regionem, atque ad ſublimioris domicilii ſedem promotus nebuloſus vapor, quàm ingratus ſit, quis non videt? Solis adminiculo levatus obumbrat levantem. Auguſto illius oculo velum obducit, ne in inferiora deſpiciat. Et cùm velut ex luto, aureo Monarcha ſuccollante, emerſerit, Promotorem excœcat. Nebula fuiſti, ingrate Sabinorum Rex Tati; Tarpejæ operâ Romanum occupaſti Capitolium, levantem ad umbras ablegaſti, promotricem ſuffocaſti. Nebula fuiſti ingrate Jaſon: Medeæ ope vellus aureum, & inſignem de Minotauro victoriam reportaſti; ſqualore & ærumnis oppreſſam Benefactricem deſtituiſti. Anguis in ſinu eſt, qui beneficium non agnoſcit. Lupi catulus eſt, qui beneficium ſe accepiſſe negat; at omni tigride pejor eſt, qui beneficio maleficium reddit. *In ingratitudine nihil mali non ineſt*, enunciavit Cicero. Experto crede. Hujus facundia paulò ante & nominis commendationem, & vitæ protelationem obtinuit Popilius, delicti reatu gladio ſubjiciendus. *Cicero ad Attic. l. 8.* Scelus ſcelere auxit ingratus patricida; Benefactorem perſecutus, Advocatum oppugnavit, Ciceronem Popilius crudeli manu vita ſuſtulit. Vorax ignis alentem devorat; ingratus Nero Agrippinam parientem trucidat. Auguſtam Domum primi Romanorum Cæſaris ſubeas, Julium conſpice pro populi emolumento jura dictantem, M. Brutum in Regni Succeſſorem, Filiúmque adoptantem, pro ſolio ſedentem conſpice; Sicariorum Caput fit Brutus, adacto in benefica viſcera pugione de throno dejicit, qui de eo in thronum ſufficiendo meditatur. Ita quæ bona dantur, nocent: materia malè agendi eſt, quæ debuiſſet eſſe amoris illicium. Neſcit felicem uſum, qui pro auro venenum refundit.

refundit. Quò magis impletur, magis inde, velut Luna plena, recedit: pro gratia odium redditur. Corn. Tac. ubera plena fiunt ſcopus homicidii, qualiter in Theſſalonicæ matris pectus Antipater deſæviit. Quos ſuis ſumptibus aluit canes Actæon, carnifices ſentit in proprium herum ingratos. Argumentum tyrannidis dedêre Athenæ in Ariſtide, Themiſtocle, & pericle: Roma in Coriolano, Camillo, & Tullio, igni & aqua interdictis, á quibus plenis beneficiorum fluentis rigabantur. Ita veriſſimè queſtus Seneca, qui & ipſe lacte ſapientiæ Neronem, humanam illam belluam, nutriens, ſanguinem fudit: *Beneficia in ſcelus verſa ſunt, & ſanguini eorum non parcitur, pro quibus ſanguis fundendus eſt. Gladio ac venenis beneficia ſequimur.*

Ne proinde ab ingratis excæceris, beneficia cæcus non conferas. Liberalitas rationalis ſit. Laudabiliter erogatur, quod datur dignis. Non nummum oculis examina, ſed cui das, perſonam. Immerenti qui tribuit, ſibi necem emit, viperam educat. Meretur nihil, qui immeritos præmiis ornat. Nam & ipſi, cui dedit, nocet; & ſibi cuculum fovet. Beneficium apud bonos depoſitum, theſaurus eſt; multis vigilantibus amicis cuſtoditum. Collatum Paraſitis & Palponibus absque quæſtu diffluit; quia Pyrauſtis exhibitum; qui flammam non ſentiunt charitatis. *Illud bonis Principibus creſcere beneficium*, dicebat Theodoricus Rex, *quod ſciunt prudenti largitate præſtare.*

# QUÆSTIO III.
## *De Pluvia.*

Concluſio prima. Pluvia nihil aliud eſt, quàm nubes in aquam ſoluta, & guttatim decidens; nam vapor prius calidus, à calore producto per radium refluxum, vel per ſubterraneos ignes evaneſcente calore, & partibus ſpirituoſioribus, vel per antiperiſtaſim, vel per frigidum aërem, vel per vim propriæ naturæ ad nativum redit aquæ frigus, frigefacta craſſeſcit, & condenſatur, condenſata graveſcit, & cadit, in pluviamque ſolvitur. Explicatur hoc duplici experientiâ: prima eſt alembici diſtillatorii; cùm enim flores, vel aliquid aliud diſtillatur, vi ignis & caloris vapores attenuantur & elevantur, mox à ſuperpoſito operculo frigefacti concreſcunt veluti in nubem, & deinde reſolvuntur in humorem aqueum; qui per tenue foramen diſtillatorii elabitur. Secunda deſumitur ex deſtillationibus ſeu catarrhis. Calore ſtomachi vapores ex cibis extracti attenuantur, & elevantur ad caput, ibi verò frigefacti à cerebro, quod eſt naturæ frigidæ, concreſcunt primò veluti in nubem, quæ cauſat illam gravedinem, quam experimur aliquando, donec reſolvantur in humorem aqueum, qui paulatim & veluti guttatim diſtillatur per nares, & alios meatus. Quod accidit in homine, qui mundus eſt parvus, evenit etiam proportionaliter in mundo majori ex cauſis proportionalibus.

Ex his patet primò, quòd cauſa materialis pluviæ ſit nubes facta ex vaporibus ad medium aërem evectis. Formalis verò nubes ipſa reſoluta in alto, in terram defluens; efficiens autem forma ſubſtantialis aquæ, quæ ſe ad priſtinum frigus reducit adjuvante mediâ aëris regione & antiperiſtaſi, ad quam etiam multùm conducunt cœleſtes influxus, nam quoties Saturnus cum Jove jungitur in cancro, ſcorpione & piſcibus crebri verno tempore ſunt imbres. Hinc etiam diebus interlunii, & plenilunii tantæ contingunt mutationes in aëre. Multum pariter ad pluviam conferunt venti, quorum alii cogunt, alii difflant nubes.

Concluſio ſecunda. Dividitur pluvia in ſtillicidium, imbrem & nimbum. Stillicidium eſt pluvia decidens per guttas minutiſſimas, quæ ſolet etiam vocari pluvia pulverulenta, Germanicè Staubregen. Cauſæ ſtillicidii ſunt plures. Prima eſt ex eo, quod nubes ex frigoris debilitate reſolvitur paulatim, & in guttas valdè minutas, ſicut cùm quis lentiſſimè ſudat. Secunda, quam affert Cabeus in textum 47. lib. 1. Meteor. eſt propinquitas nubis, dicit enim ſe expertum, dum iter faceret per montes; quòd, dum ambularet per nubem circa montis latera, perfundebatur pluviâ pulverulentâ, deinde verò cùm ſub nubem deſcendiſſet, ita ut nubem haberet ſatis elevatam, ſenſiſſe imbrem copioſiorem. Putat ergo cauſam ſtillicidii oriri ex eo, quod partes aquæ, in quas nubes reſolvitur, adhuc unitæ non fuerint in guttas. Imber eſt pluvia decidens per guttas grandiores. Oritur ex eo, quòd nubes debitè condenſata reſolvatur à frigore proportionato, & quod diſtet adeò, ut partes aquæ coaleſcere poſſint in guttas juſtæ magnitudinis. Nimbus eſt pluvia decidens per

guttas maximas & frequentiſſimas. Oritur ex eo, quod congregetur in unum locum magna vaporum copia, qui valdè condenſentur, & pænè ſimul reſolvantur in aquam; ex hoc enim ſequitur, ut cadant veluti flumina aquarum. Stillicidium eſt hyeme frequentius; Imber autumno & vere; Nimbi autem in æſtate, quia tunc faciliùs plures guttæ in unam coëunt, vel quia aër infimæ regionis tenuior tunc eſt, & calidior; vel quia tunc nubes magis frigeſit per antiperiſtaſim, & in majores ſolvitur guttas.

Quæres tamen in genere, cur guttatim pluvia decidat, non continuum autem ducat rivum? Reſpondeo, cauſam eſſe, quia, cùm fiat pluvia ex vaporibus concreſcentibus, & ſic in aquam abeuntibus, tota ſimul nubes concreſcere nequit, ſed per partes; non enim tota æqualiter nubes ambitur à frigido aëre, nec tota æqualiter calida facta eſt à Sole, quæ autem partes calidiores ſunt, tardiùs refrigerantur, quam aliæ. Sic ergo concretæ partes à non concretis avulſæ decidunt.

Concluſio tertia. Pluvia ex diverſa vaporum mixtione, vel eſt dulcis, vel amara, alioque ſapore prædita. Dulcis pluvia eſt, quando vapor eſt aëreus humido immixtus, & ejusmodi pluvia fæcundat terræ naſcentia. Amara pluvia eſt à terreo, ſicco & aduſto ſalis ſibi admixto. Et ejusmodi pluvia plerumque nocet, quia exſiccat & facit ſterileſcere, ſicut acetum & urina. Huc quoque referenda pluvia ſalſa, quæ fit propter exhalationem vapori immixtam. In Summa: Sicuti aquæ fontium à variis terrarum, per quas tranſeunt, qualitatibus varias & ipſæ ſortiuntur qualitates & ſapores; ita etiam aquæ pluviales ex diverſis vaporibus diverſos ſequuntur ſapores.

Quæres, cur guttæ pluviarum ſint rotundæ? Reſpondeo, triplicem hujus rei aſſignari rationem. Prima eſt, quia partem mediam omnium corporum robuſtam eſſe convenit ad incolumitatem, ad quam rem figura rotunda eſt aptiſſima. Secunda, quia tota aqua tanquam totum ὁμογενὲς etiam retinet rotunditatem, propterea quælibet ejus pars in orbem conglobatur. Tertia, Albertus Magnus vult eas volutatione rotundas fieri, adde, quòd figura rotunda meliùs aëri reſiſtant ambienti. Quod autem guttæ ſint rotundæ, probant lapides, qui ſub ſtillicidiis excavantur, & guttæ pendentes in foliis arborum.

Concluſio quarta. Signa imminentium pluviarum ſunt plura: primo rubedo matutina in Sole, indicat enim ſubjectam eſſe Soli nubem aquoſam, quæ facilè ſolvatur in pluviam. Contrarium habet veſpertinus nubium rubor, licèt à vaporibus cauſetur, quia vapores veſperei horizontem occupantes calore Solis abeuntis deſtituti nocturno frigore denſati revocantur ad terram. Secundo pallor in Sole ac Luna, utpote qui ex interjecta aquoſa nube oritur. Tertio ſi Sol in ortu major ſolito conſpiciatur, talis enim magnitudo oritur ex humoribus craſſis inter nos & nubem interpoſitis. Quarto, ſi Sol cœruleus appareat in ortu, vel in occaſu ob eandem cauſam. Quinto ranarum coaxatio, animalia enim humida exhilarantur tempore ſibi convenienti, vel quia cùm humidæ ſint, humor ex eorum corporibus extrahitur, quæ vaporum extractio ſenſum, ſenſus clamorem parit, ſimiliter galli canunt, cùm enim ſint natura calidi, à vaporibus aſcendentibus refocillantur. Idem indicant fulicæ matutinum edentes clangorem, mergi, anatesque pennas roſtro purgantes, mergi ſtagna fugientes, mergi fugientes in mediterranea. Volucres quoque terreſtres contra aquam clangorem edentes, & ſe profundentes. Hirundo volitans propè aquam, anſeres diu clangentes, boves cœlum olfacientes, formicæ abſconditæ, lumbrici emergentes: Sextò ex rebus inanimatis lapidum & parietum humiditas, quia illa fit ex multis vaporibus humidis & craſſis, qui cùm aſcendere properè non poſſint, adhæreſcunt ad lapides. Idem denotat ſtridor olei ad lampadem, quia vapores, qui attrahuntur, illi attrahuntur & miſcentur.

Concluſio quinta. Pluviæ Univerſo neceſſariæ. Ratio eſt, quia ſine his exſiccarentur omnia frugum genera. Paſcunt hæ arbores, flores, herbas. Suppeditant foſſilibus viſcoſitatem. Æſtus tum Solis, tum ſubterraneorum ignium temperant; noxios ſpiritus infimam regionem obſidentes, in hominum pecudùmque ruinam congregatos mole ſuâ in terram detrahunt; fontes & flumina vel excitant, vel augent. Unde ſingulare naturæ beneficium eſt, ut dum pluviæ è nubibus præcipites in terram labantur, è terris tamen rurſus in vapores tenuatæ redeant in ſublime. In Ægypto tamen nunquam ferè pluit; Sunt, qui pluviæ defectum calori tribuant, ſed multæ regiones calidiores pluviis madent; alii ventorum penuriam accuſant, ſed quis neſciat, Eteſias Ægyptum frequenter perflare, unde rationem eſſe exiſtimo, quòd nubes in eum tractum delatæ ob ſpiritus nitroſos nubium liquationem prohibentes, in pluviam ſolvi non poſſint. Econtra Narnivenſis ager pluvia ſiccari

cari, Solis ardore madere ſcribitur à Plinio. Fortè quia terra ſpongiæ inſtar poroſa allapſos imbres ſtatim abſorbet in profundum, maximè ſi aquam haberet ſubterraneam; vice verſa verò proliciente Solis ardore, facilis per eosdem poros vapor aſcendit, qui ubi aërem frigidiorem ſenſerit, in humorem abiens terram madere facit.

Quæres hìc primo: Cur imbres ſint frequentiores in hyeme, quam in æſtate; Reſpondeo: Rationem eſſe, quia æſtate major eſt calor, conſequenter pluviæ debent eſſe infrequentiores, nam pluviæ non oriuntur proximè ex eo, quia vapores elevantur ſurſum, quod eſt opus caloris, ſed ex eo, quia vapores elevati condenſantur, & cadunt deorsùm, quod eſt opus frigoris; in æſtate autem viget & regnat calor; unde vapores elevantur & aſcendunt; hyeme vero, cùm regnet frigus, vapores elevati graveſcunt, & deſcendunt deorſum in pluvias. Hinc colligit Ariſtoteles textu 46. lib. 1. Met. dari mirabilem circulationem vaporum aſcendentium, & deſcendentium, quæ circulatio imitatur circulum Solis, qui dum movetur per Zodiacum, modo accedit ad noſtrum verticem, dum à Tropico Capricorni progreditur ad Tropicum Cancri, & cauſat æſtatem: modo recedit à noſtro vertice, dum à Tropico Cancri regreditur ad Tropicum Capicorni, & cauſat hyemem. Similiter ergo aquæ æſtate convertuntur in aquam, & refluunt deorſum per pluvias, nives &c. ideo hyeme abundant aquæ in terris, ut patet ex redundantia fluminum, lacuum, fontium &c. æſtate vero vapores abundant in aëre, ut patet ex decreſcentia fluminum & lacuum, quæ provenit ex eo, quod aquæ in vapores converſæ fluxerint ſurſum.

Quæres ſecundo: Cur nimbi ſint frequentiores æſtate, quàm hyeme. Reſpondeo: rationem eſſe, quia æſtate cùm calor vigeat, ut vapores infrigidentur, debent cogi in magna copia, ut vincant calorem aëris ambientis, unde cum pluviæ æſtivæ oriantur ex vaporibus coactis in maxima copia in locum anguſtum, non eſt mirum, ſi ſint valdè abundantes, & impetuoſæ, atque adeo ſint nimbi. Et confirmatur, quia cùm calor æſtatis ſit vehemens, elevat ſæpè vapores in magna copia, & non benè coactos & attenuatos, qui deinde ſtatim reſolvuntur.

Quæres tertio: Cur nimbi occupent parvum ſpatium terræ, & durent brevi tempore? Reſpondeo: Rationem eſſe eandem, quam paulo ante dedimus, nempe, quia vapores ut frigidentur, cogi debent in magna copia in locum anguſtum, ergo debent occupare parvum ſpatium. Rurſus propter ipſam vehementiam & copiam pluviæ reſolvitur ſtatim nubes, & ceſſat nimbus. Eadem ratio eſt, cur tales nimbi oriantur ut plurimùm circa vertices montium flante contra illos vento, ſcilicet, quia ventus defert vapores in illas partes, & inveniens impedimentum montis, coadunat in maxima copia, quare uniti infrigidantur, & reſolvuntur in nimbum.

Quæres quarto: Cur ſingulis ferè annis circa principium æſtatis, quotidiè ſub meridiem excitetur nimbus brevì tranſiens. Reſpondeo, rationem eſſe, quia circa principium æſtatis ſuperficies terræ, & aquæ & aër illi propinquus propter radium reflexum vehementer incaleſcit, durante interim in ſecunda aëris regione frigiditate, cùm illic non pertingat radius reflexus, & radius directus eget majori tempore ad illam calefaciendam; Calor ergo vehemens circa terram, vapores elevat in magna copia, qui pertingentes ad ſecundam aëris regionem non ſatis calefactam à radio directo ſtatim refrigerantur. Et quia vapores præcipuè elevantur circa meridiem, ideo paulo poſt meridiem refrigerati reſolvuntur in pluvias & nimbos vehementes. Interim etiam ad ſecundam regionem aëris propagatur æſtus, atque adeo ceſſante ſubitâ refrigeratione vaporum ceſſant nimbi. Unde in Zona etiam torrida pluit quotidiè ſub meridiem.

Quæres quinto: Cur pluviæ magìs terram fœcundent, quàm irrigationes. Reſpondeo: Rationem eſſe, quia cùm in aëre ſint effluvia & partes ſpiritoſæ omnium rerum, pluviæ multas ex his deferunt in terram, quibus illam fœcundant. Ex eadem ratione aquæ fluviales ſunt fœcundiores, quàm aquæ fontanæ. Fluviales enim magnâ ex parte colliguntur ex pluviis & nivibus, atque adeo ſunt plenæ multis ſpiritibus, qui deſunt aquis fontanis, quæ ſunt valde puræ & limpidæ, cùm fluviales ſoleant eſſe turbidæ. Ex eadem ratione nix & ros fœcundant terram, quia plena ſunt talibus effluviis. Nives tamen fœcundant etiam ex alio capite, quia nimirum ſuo frigore claudunt, & conſtringunt poros terræ, atque adeo impediunt exhalationes ſpirituum, qui evolarent, unde occluſi meliùs à terra imbibuntur.

Quæres ſexto: Utrum quo altiores ſunt nubes, eo guttarum motus circa terram ſit velocior? Reſpondeo affirmativè, quia guttulæ illæ quo longiùs feruntur, eo in ſe majorem impulſum imprimunt, ſicque perfectius principium motûs in ſe habent, viréſque acquirunt eundo, & conſequenter in fine motûs velocius movebuntur guttulæ illæ cadentes.

Quæres ſeptimò: Quantum pluvia penetret terram, introrſúmque deſcendat? Reſpondeo, nullam pluviam eſſe adeo magnam & perennem, ut terram penetret & madefaciat ultra decem pedes in altitudinem, niſi terra cribroſa ſit, & rarior.

Dices: Arbores eoúſque radices agunt, quó humorem aqueum inveniunt; ſed radices altiùs agunt, quàm eſt altitudo decem pedum, nam Theophraſtus lib. 1. de Plantis cap. 11. ut refert Falopius lib. de term. cap. 4. teſtatur, ſe radices cujuſdam Platani ſecutum usque ad cubitos 33. ergo. Reſpondeo, hanc & ſimiles arbores, ſi quæ inveniantur, radicibus quæſitum ire humorem alicujus fluminis ſubterranei.

Quæres ultimò: Cur bruta magis & promptiùs, quàm homines præſentiant tempeſtatis mutationem. Reſpondeo, bruta propriè non præſentiunt tempeſtatem, neque futuram eſſe præſciunt, ſed naturali inſtinctu ea faciunt, ex quibus homines experientiâ vel ratione docti, qualis tempeſtas immineat, facilè colligunt. Verumtamen eſt, quod aëris mutationem citiùs percipiant bruta, quàm homines, cujus rei cauſa eſt, ut dicit S. Thomas 1. p. q. 86. quod bruta ſolis naturalibus actionibus diſtinentur, homo verò variis ſpiritualibus actionibus ita diſtrahitur & occupatur, ut ad aëreas impreſſiones illas percipiendas animum & ſenſum non applicet. Adhæc homo intemperie vivendi tam frequentes in corpore ſuo ſubit mutationes, ut impreſſiones, quæ ab aura & cœli influentia fiunt, vix poſſit diſtinguere. Aliàs inter homines etiam eſt reperire, qui auræ viciſſitudinem, & tempeſtatem certò præſentiunt, & infallibiliter ſolent prædicere.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Liberalitas Politico propria.

41.

N. 41.




Magni-

MAgnifici animi munifici ſunt. Claudenda non eſt res familiaris, cùm communicationi natus ſit homo. Non decet peſſulum obducere pectori, quod univerſis debet patere. Nec conſtricta manus Politicum ornat, qui Longimanus ſit oportet. Sol omnibus lucet, Luna innumeris comitata ſideribus etiam feras ducit ad pabulum: Et pluvia manat in publicum: *Dives in omnes*: Nobiles & ignobiles plantas irrigat, ſinum gerit univerſalem. Diem Cæſar perdidit, quo nemini benefecit. In votis munificentia erat Theodorico Regi: *Optamus cunctum diem plenum beneficiis noſtris excurrere.* Nihil adeò attrahit ad benevolentiam, ut donorum gratia, quæ datur indigis. *Ego*, inquit Cyrus, *& Diis deſervio, & plura ſemper appeto: Verùm ubi opes comparavi, quas uſum mihi ſufficientem excedere video, his aliorum penuriæ medeor, & homines ditando, & beneficiis afficiendo, benevolentiam ex eis, amoremq; mihi paro, de quibus & ſecuritatis & gloriæ fructum capio.* Non tam tuum videri debet, quod poſſides, quàm quod dediſti. Non profunditur, quod liberaliter effunditur. In tuam redundat famam, quod in ſublevandam exundat alterius famem. Semen eſt gloriæ, quo alienæ ſuccurris inopiæ. Quidquid in egentium promanat ſubſidium, in tuum remanat emolumentum, ut ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit aquas terris, recipit à terris: Ita tibi refluit, quod è manibus effluit, tuæ conſulis ſamæ, cùm reſiduo te exoneras ære. Lucraris gloriam, cùm das pecuniam reverſuram. Fit limpidior, cùm hauritur aqua: liberalitate ſplendeſcit dantis claritudo. *Haurite ex me, tanquam ex Nilo*, glorioſo hoc effato primitias regni ſubiit Veſpaſianus Imp. Quæ, quæſo, oratio potuiſſet in animos, auréſque influere blandiùs, aut cor & venas irrigare benigniùs? Nilum, ſpem annonæ, ac prodromum, imò parentem ubertatis reſpiciunt Ægyptii. Fac, oculi omnium in te reſpiciant, fontem liberalitatis. Nilus Ægyptiorum cœlum eſt: liberaliter erogando ipſi Numini appropinquas: nihil enim tam Divinum eſt homini, quàm de aliis benè mereri, non tam eſt proprium ſublimi animo divitias poſſidere, quàm elargiri. Opes poſſidet, ut opem ferat. ærarium vectigalibus affluit, ut æri alieno ſuccurrat: & quod accepit, reddat. Non prodeſt ſementem domi claudere; ſpargatur in terram, quam pluvia irriget. In faſtigio te fortuna locavit? montes inferiores fœcundant valles, reddendo, quas ſuſcipiunt aquas: tu in aureos imbres cum Auguſto effundaris. *Illud* (dicebat) *amplitudinis meæ ſit teſtimonium, omnes beneficentiâ promereri.* Otioſus in arca turget Ganges aureus, in rivulos debet exundare, Servorum eſt ad metalla damnari: tibi ipſi infamis es, ſi tenax es auri. Dixiſſe ferunt Maximilianum I. Auſtriacum: *Charitatem non exſpectare preces hominis egentis, ſed ubi neceſſitatem videt, ante preces opitulatur, & auxilium fert.* Ab avita hac gloria ſpiritum hauſit Ferdinandus II. idem Auſtriacus Imp. *Vix enim in Romano ſolio ſedit, beneficentiæ laude Eidem comparandus, lepidè aliquando jocatus: gratiſſimum ſibi fore dixit, ſi novam auri fodinam ſuis in terris DEUS aperuiſſet, non ut ſibi opes aggregaret, ſed ut aliis, quantum peterent, daret.*

*Caſſiod. l. 3. ep. 11.* — *Xenoph. l. 6. Cyropæd.* — *Philoſtr. l. 5. c. 10. in vita Apollon.* — *Dio l. 54.* — *Guil. Lamor. in vita.*

# QUÆSTIO IV.

## *De Nubifragio.*

CConcluſio prima. Si nubes non ſenſim & per guttas reſolvatur, ſed repentino imbre defluat, nubifragium dicitur, quo integras repentè urbes occupatas, homines, jumenta, domóſque merſos eſſe, quævis ætas vidit. Fit verò hoc, non quòd nubes vertici montis impacta rumpatur, & aquam ſinu contentam ſimul effundat, nullæ quippe tales in nubibus aquæ; ſed ſi repentinum nubibus frigus ingruat, quòd eas ſimul in aquam condenſet. Memorant Hiſtorici, in Regione Mexicana tanto impetu ruere imbres, ut lapſu homines interficiant. Ex tali nubifragio minimè fieri poterat diluvium Noëticum, cùm nec in mari, taceo in aëre, tantùm ſit aquarum, ut poſſint tegere etiam ſummos montes; tantum enim fuit diluvium, ut S. Scripturæ teſtimonio aqua ad quindenos cubitos cacumina montium exceſſerit. Nubifragium tamen tale contigit apud Flandros in Belgio an. Chr. 1014. dum magna nubium moles ex improviſo è cœlo delapſa, ingentis illuvionis cauſa extitit, ac multa millia hominum ſuffocavit. Similiter anno Domini 1421. in finibus Dordraceni, ut refert Beyerlinck, tale ex diſſolutis repentè nubibus ortum eſt ſub mediam noctem, unde ingens Rheni, Moſæ, & Vahalis inundatio ſubſecuta, quæ 72. pagos involvit, & in iis facilè centum hominum millia demerſit. Ferunt ſub id tempus maximam cadaverum congeriem fluxu aquarum redeuntium ad littora Zelandiæ & Flandriæ advectam.

S Quin

Quin infantes aliquot Antverpiam appulſi in fiſcellis ſuis ſive cunis, ac pleriqʒ illorum ab aquis ſumpti nomen Moyſes meruerunt, diúque ſupervixerunt, ceu reliquiæ demerſorum pagorum. Plura ſimilia paſſim in Authoribus invenies.

Concluſio ſecunda. Diverſæ ac prodigioſæ pluviæ aliquando evenerunt, & evenire poſſunt, qualis eſt ſanguinea, lactea, carnea, lanea, ferrea, lateritia, & ſimiles, de quibus videri poteſt Fromondus lib. 5. cap. 6. act. 3. Pluvia ſanguinea dicitur, quandò aqua decidens rubra eſt; ſic Romæ pluit ut teſtatur Dio ante necem Neronis. Plutarchus etiam refert, poſt Cimbricam cladem ſanguineam de cœlo pluviam cecidiſſe. Similiter anno poſt urbem Romanam conditam 626. in oppido Cære ſanguine pluit. Secutus eventus terribilis, Ptolomæus enim Evergetes ob nimiam tyrannidem regno pulſus, cui in regnum ſoror & uxor ejus Cleopatra, quàm prius repudiârat, ſubrogata. Ille exinde irà excandeſcens, filium, quem ex Cleopatra genuerat, mactavit, ac matri Reginæ caput enſe crudeliter reſectum, manus quoque & pedes præciſos transmittit. Dum Sueciæ regnum obtinuit Birgerius Magnus propè *Ringſtaholmium* guttæ pariter ſanguineæ ex nubibus cecidiſſe memorantur. Paucis dehinc annis Rex Birgerus duos fratres ſuos Waldemerum, & Ericum teterrimo incluſit carceri atque fame & fætore eos interemit. Cujus tyrannidis impatientes ſubditi rebellârunt atque throno eum & regno exuerunt, Scheferus memorab. Suec. c. 2. In Suevia anno 1534. ſimilis pluvia veſtes crucibus rubris tingebat, ſicut & anno 1601. in Belgio crucibus rubris pluit, in veſtes etiam ciſtis incluſas, imo illis etiam corpora hominum ſignabantur, duravitque prodigium anno integro. Noviſſimè etiam anno 1691. die 29. Decembris veſperi haud procul ab urbe Lubecenſi ad locum aliàs zum Vorwerck dictum ſanguine pluit, qui à Reinfeldenſibus incolis, ſupra glaciem & nivem guttatim diſperſus fuit obſervatus, aliquibus autem in locis copioſè projectus ulnam latitudine complexus eſt.

Pluvia lactea fuit, ut memorat Livius Decad. 3. lib. 7. & alii Hiſtorici anno ab urbe condita tribus diebus Romæ Conſulibus Publ. Scipione & L. Calphurnio quam ſecutum fuit bellum Jugurthinum. Carnibus pluit in Liguria ſub Calliſto tertio, & alias ſæpiùs, ut refert Plinius. Ranas, mures, colubros, pulices, locuſtas & alia id generis pluere tritum eſt. In Velauniis tantùm erucarum unâ nocte decidit de cœlo, quemadmodum Dalecamp. ad lib. 2. Plinii c. 56. meminit, ut eas in domos reptantes biduo toto accenſâ paleâ urere neceſſum fuerit, vix ad id ſufficiente hominum mulierúmque turba. Joann. Willanius narrat, ſub Imperatore Carolo 1348. in ſuperiori Aſia ac regno Cathay ingentem copiam vermium, & minutorum ſerpentum ex aëre cecidiſſe, qui fætore ſuo totam terram illam infecerunt; unde etiam peſtis enata, quæ primò Aſiam, deinde Ægyptum, Africam, Græciam, Italiam tandem & Galliam, Hiſpaniam, & Angliam, ultimò verò & Germaniam invadens lamentabili ſtrage ingentem hominum multitudinem abripuit. Memorat etiam Jonſtonus inter admiranda, ſe certò compertum habere, aliquando copioſè Piſcibus pluiſſe non procul à *Regiomonte* in Pruſſia, ita ut viæ quoque & prata piſcibus fuerint repleta, ſéque ipſum ex piſcibus illis comediſſe unà cum parentibus ſuis. Anno 1586. ſupra Conſtantinopolim atra nubes apparuit, quæ cùm ſoluta fuiſſet in pluviam maximam unà ſecum locuſtarum copiam effudit, quæ mox omne gramen depaſtæ fuerunt. Similis locuſtarum pluvia Francofurti ad *Oderam* proximis abhinc annis decidit, unde ingens damnum emerſit. Eodem anno ſuprà memorato in Croatia propè caſtellum Wiſſitz ex atra nube cum immodica pluvia anſeres & anates in maxima copia decidiſſe tradit I. Leunclajus in addit. ad Chron. Turc. Quinta deindè nocte in duas acies ſe collegiſſe ac invicem non ſecus ac duos hoſtiles exercitus ſeſe invaſiſſe & impugnâſſe multis eorum millibus interfectis, ita ut incolæ, ac milites ibidem exeuntes magnam eorum copiam collegerint & uni nonnunquam centum, ducentæ, imò & quadringentæ volucres pro ſpolio ad lautum victum ceſſerint. Reliqui autem anſeres victores, ut idem Author refert, accedentibus hominibus in duas ſe turmas colligentes, aliò avolarunt. In Quitenſi Provincia cœlo etiam ſereno nonnunquàm in ipſo aëre vermes excludi ferunt, qui in terram lapſi in angues vertuntur bicaudatos, eâ qualitate imbutos, ut quemcunque momorderint, eundem ſtatim reſolutis ſanguinis oſtiis non tantùm ex omnibus naturæ orificiis ſed & per ipſos poros cruorem profundere usque ad ultimum hominis exitium cogunt, nullo adhuc contra tam immane malum invento remedio. Kirch. lib. de Peſte Sec. 3. c. 3. ex Annalibus Americanis.

His ſubjugendæ etiam ſunt aliarum rerum pluviæ mirabiles. Linthurius obſervat in *Faſciculo* Anni 1496. propè oppidum Munckſperge peracta D. Margarethæ feſtivitate lapides cœlo dejectos, in quibus viſæ ſunt hominum facies, & diademata expreſſa. Vidimus anno

1510.

510. inquit Cardanus lib. 14. c. 72. è cœlo lapides circiter mille ducentos in agrum fluvio Adduæ conterminum dejectos, ex his unum 120. pondo, alium 60. delati fuerunt ad Regis Gallorum ſatrapas pro miraculo plurimi, color ferrugineus, durities eximia, odor ſulphureus. Præceſſerat in cœlo ignis ingens horâ tertiâ; decidentium lapidum ſtrepitus horâ quintâ exauditus, ut mirum ſit horis duabus tantam molem in aëre ſuſtineri potuiſſe, ita Cardanus. Subdit deinde: intra viginti menſes pulſi Galli. Triennio poſt reverſi varia prius fortuna, inde iterum pulſi, ad excidium profligati. Urbs noſtra, in cujus finibus deciderunt lapides, vectigalibus, incendio, fame, obſidione, peſte nunquam aliàs vexata graviùs. Ferro pluiſſe in Lucanis anno præcedente cladem eam, quà M. Craſſus à Parthis interemptus eſt, omnésque cum eo milites Lucani, quorum magnus in exercitu numerus erat, Author eſt, Plinius l. 2. c. 56. ſub Severo imperatore, ut Dion recenſet, Romæ pluvia argentea delapſa eſt ad forum Auguſti, quo rore argenteo, ubi cuprei nummi obliti, argenteum colorem ad tertium uſque diem retinuerunt, quarto autem die argenteus color omnino evanuit, Amminanus, author eſt lib. 17. apud Jonſtonum in Thaumatographia auro pluiſſe in Inſula Pelagia, quod tamen haud diu colorem aureum retinuit. Gregorius M. lib. 4. Dial. c. 36. ſcribit poſt diram peſtem Romæ magna hominum ſtrage peractam ſagittas ad modum pluviæ cœlo dejectas. Julius Obſequius prodig. 107. narrat, Romæ aliquando cretâ, ſive cretaceâ terâ pluiſſe, quam inſecutus eſt annus fertilis ac fœcundus. Pluit etiam manna aliquando Atrebati in Arteſia, quod ibidem etiamnum perſeverare, & integrum ſervari dicitur. Unde verſus:

*Atrebati manna: Romæ pluit unctio ſacra,*
*Jeruſalem ſanguis; quæ ſunt tria dona ſalutis.*

Solet etiam in Polonia menſe Junio & Julio manna depluere, ut varii docent Authores, herbisque de nocte inſtar roris incumbere. Hoc autem ante Solis ortum cribro colligunt, tundunt, aquâ miſcent, & in alimentum ſumunt admixtâ farinâ. Fatetur Cornelius à Lap. ſe hoc manna vidiſſe, eſſéque inſtar ſeminis milii, atque referre ſaporem punici; includi folliculo & colore rubere. Vincentius hiſt. lib. 23. refert, in Campania hordeo, ſiligine, aliíſque frugibus pluiſſe. Caroli Magni ſtirpe in decedente Arnulpho extincta, cùm ad Hugonem Capetum Galliæ Regnum devolutum eſſet, cœlum ipſum applaudere voluit; novo enim prodigii genere quamprimùm frumento & per aliquot dies piſciculis etiam pluit. Egnatius lib. 5. c. 6. & Sabell. l. 1. c. 4. anno 1550. ut memorat Lycoſthenes aliquo tempore ante Paſcha menſe Martio in Carinthia propè Clagenfurtum & Villacum annonâ pluit; unde etiam optimi panes cocti fuerunt, qui ejus regionis neceſſitati apprimè conduxerunt. Omitto pluvias Serici, telarum linearum, lanæ, papyri, & ſimilium.

Ex his dictis & enumeratis pluviis prodigioſis reſultat quæſtio, quomodo pluviæ iſtæ formari poſſint, an viribus naturæ, vel extraordinario DEI concurſu, & utrum veræ ſint pluviæ, vel tantùm apparentes. Huic quæſito ut ſatisfiat, ſit

Concluſio tertia. Naturaliter contingere potuerunt multæ ex prædictis prodigioſæ pluviæ, ita ut formari ex. gr. potuerit in aëre verus ſanguis, lac, caro, animalia imperfecta, lapides, & alia hujusmodi. Ratio horum in genere eſt, quia in aëre & nubibus plurimæ exhalationes ex omnis generis terra velut argillacea, petroſà, nitroſà, bituminoſa, metallifera; ſimiliter ex omnis generis plantis, arboribus, radicibus, herbis, & animalibus effluvia ſunt vaporibus adjuncta, à quibus facta activorum paſſivis applicatione hæc mixta generari potuerunt.

Concluſio quarta. Sæpè tamen non ſunt veræ pluviæ, ſed apparentes ex eo, quòd illæ res, quæ vel in pluvia decidunt, vi ventorum in ſublimia vehantur, & interdum ex longinquis locis ferantur, ac poſteà decidant; vel à calore Solis, & aptitudine materiæ ita mutentur, ut colorem, vel duritiem, vel figuram illarum rerum referant; Ex his duabus Concluſionibus geneſim in ſpecie prodigioſarum pluviarum reſolves.

Primò. Lactis fit pluvia, quando intenſiſſimus Solis calor vel ex pecudum uberibus lac extractum cum reliquis nubium partibus miſcet, vel vaporem & exhalationem ex terra cretacea ita percoquit, ut lactis album calorem induat. Gaſſendus putat, lacteam pluviam nihil eſſe aliud, quàm tantùm candeſcentes aquas, cui nonnihil plumbeæ materiæ aut ſalis Saturni cum halinitro & aceto admixtum ſit.

Secundò. Sanguine pluere poteſt, quando Sol vel ex campis, ubi magnæ ſtrages eduntur, vel ex locis aquoſis infectis rubedine vapores ſanguineos elicit & attrahit, vel ſuo immenſo calore vaporem aqueum ita percoquit, ut quæ inde deſcendit aqua, colorem capiat rubeum; & quaſi ſanguineum, perinde atque urina febricitantium immodico calore rubeſcit, & lixivium per calidos cineres colatum ſimilem colorem trahit.

Tertiò, Piſcibus, vermibus, ranis poteſt pluere, vel quando viſcoſa exhalatio, & ſpermatica dictorum animalium corpuſcula unà cum vapore aqueo ex ſtagnis & paludibus elevata accedente calore Solis variè commiſcentur, atque ad illud perveniunt temperamentum, ut ad formam viventis proximè diſpoſita ab Authore naturæ vitam, motúmque obtineant; non aliter, quàm hìc in terra mures, ranas naſci videmus. Sic in Martiis nivibus diutiùs aſſervatis mures natos vidimus. Et cur in aëre non poſſit natura, quod ars præſumit in terra. Qui veteres lumbricos ſiccatos in pollinem redegerit, vaſique terra pingui, & aquâ dulci repleto immiſerit, ac per intervalla irroraverit, ingentem prevì lumbricorum multitudinem aſpiciet. Ranas producturus, limum, in quo paluſtres ranæ nidulari ſolent, accipiat, & Soli expoſitum tepidâ ſenſim irriget, limus hic calefactus grandem ranarum numerum dabit. Eadem arte ſerpentes generantur. Secundò, ſimilibus animalibus pluere poteſt, quando vi ventorum è montium piſcinis, aliìsve locis abripiuntur, aliundéque in aërem transportantur, & ita cum pluviis in terram è cœlo dejiciuntur.

Quartò. Carnem, cretam, terram & lutum cùm pluviis decidere puta, quando præpinguis & craſſa vaporum materia à Solis calore diu multúmque ſubacta in unam quandam maſſam coit, & hanc vel illam formam admittit.

Quintò. Sicut lapides in terra producuntur per ſpiritum lapidificum, & craſſos vapores; ita fieri poteſt idem, quando vapores craſſi & terreſtres in medio aëre per antiperiſtaſin frigoris & caloris conſtringuntur. Sed an naturaliter in tanta copia, aut quantitate, aut magnitudine lapides in nubibus generari queant, non auſim aſſerere, cùm enim mixta illa majora generatione phyſicâ produci debeant, quæ in inſtanti peragi nequit; credibile mihi non eſt, longiori aliquo temporis ſpatio ob inſitam gravitatem in aëre tamdiu ſuſpenſa manere poſſe. Unde potiſſimùm lapidum pluvia apparens eſt, eò quòd ventus vehementiſſimus lapides ex uno loco abreptos alibi grandinaverit. Pari ratione philoſophandum eſt de ferro & ſimilibus metallis.

Sextò. Lana ſeu pilis pluit, quando ex arboribus, virgultis, & plantis Sol attrahit ejusmodi materiam ſimilem, quæ volitans in aëre unà cum pluvia inſtar lanæ coagulatæ fertur in terram. Denique quòd crucis rubræ attinet pluviam, de qua ſuperiùs Cardanus libr. 16. de Subtilit. eam ex eò factam arbitratur, quòd pulvis admodum arduus iisdem veſtibus inhæſerit, quem guttæ diluentes in crucis figuram diduxerint, vel quòd texturæ fiamenta per ſe talem habeant formam; vel quòd mediam in partem incidens humor majori mole cohæreat, per extrema autem in ſtellarum aut crucium formas diſſiliat, cùm latè ſparſæ guttæ non poſſint omninò continuari.

Ultimò demùm, animalia perfecta, & alia hujusmodi non dicuntur pluere, ſed aliunde adducta cadere. Confirmatur exemplum ridiculum, quod Cardanus refert l. 16. Subtil. ſibi contigiſſe. Dum enim Apenninum eques transiret, ſubitus ventorum turbo pileum illi abripuit, ac velut ſagittam è ſcorpione emiſſam detulit cum impetu, parúmque abfuit, ne portenti vice decideret cum pluvia in proximas villas. Transtulit & equum, cui inſidebat, ad duos paſſus, ut fermè præcipitaretur. Si fuiſſet ibi exercitus hominum, & omnibus, vel multis eodem impetu turbo pileum abripuiſſet, & aſportâſſet in villas ad montis radices poſitas, jurâſſent ruſtici pileis pluiſſe, nec defuiſſent Hiſtorici, qui id libris ſuis conſignaſſent. Æquè ridiculum eſt, quod Cabeus narrat, contigiſſe Mantuæ circa annum 1618. ventum nimirum vehementiſſimum inter alia abripuiſſe mulierem lavantem pannos ad lacum, & per aëra longiſſimè aſportaſſe.

Concluſio quinta. Finis harum pluviarum & ſignificatio communiter prodigioſa eſſe ſolet, qua nempè Divina Providentia ſæpè res imminentes indicare, atque indicando de iisdem quemlibet præmonere cupit, *ut det metuentibus ſe ſignificationem.* An autem ſemper, ut aliqui frivolè arbitrantur, ſanguineæ pluviæ prænotent, ac prænuntient ingentem ſanguinis effuſionem, cineræ locorum exuſtionem; carnium pluviæ hoſtilem invaſionem, piſcium pluviæ proditionem: lapidum pluviæ hominum indurationem, & obcæcationem in malo; lacteæ demùm pluviæ fœcunditatem eorum omnium, quæ in alimentum cedunt, nemo ritè aſſerere poteſt.

## *APPENDIX.*

ARtificialem inviſentibus hoſpitibus pluviam nonnunquàm ſuo in cubiculo ſpectandam dedit P. Kircherus, ad quam faciendam tradidit ſequentem regulam: fiat tholus, ſeu fornix metallinus aut ferreus duplicatus, cui interponatur nix, aut glacies contuſa nitro, vel vitriolo mixta. In quatuor cubiculi angulis totidem cacabos ſuper ignem bullientes pone, è quibus copioſi vapores aſcendent, qui in ferreum fornicem impingentes, à ſuperimpoſita glacie

cie frigus accipient, & in aquam concreſcent, nec ſecùs ac pluvia cubiculum irrorabunt. Si pluviam ſanguineam exhibere voles, locò aquæ in quatuor cubiculi angulis lixivium, aut aqua minio colorata pruinis imponatur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Abundantia ſæpe nocet.

42.

N. 42.




NUllibi magis timendum infortunium, quàm in apice fortunæ. Gradus ad ruinam abundantia eſt. Tenaciùs felicitatis exceſſui à pedibus eſt pernicies, quàm umbra luci, ſpina roſæ adhæret. Statio altiſſima caſui eſt periculoſiſſima. Affluxus bonorum ſæpè in exundantiam degenerat, ut ſimultaneâ rapinâ tollantur omnia, quæ ſingillatim advenerunt. Si per ſtillicidia ſe pluvia inſinuat, paulatim illabendo terram fœcundat. Deprimuntur onere ſata, devolvuntur è montibus ſaxa, tecta turrèsque læduntur, quando profuſo nimiùm ſinu nubium cataractæ franguntut. Quando univerſa uno pænè ambitu potitus eſt Peloponneſo Ægides (Plutarchum audis) dum in ſummo ſtat, puncto temporis rurſus ab omnibus excidit. Ad maturitatem quando nimiam pomum pervenit, à verme arroditur. Fortuna, quando in copia fructificat, putreſcit. Ita navi exoneratæ ad crepidinem procellæ certum minteritu minantur. Et non eſt peſtilentior Saturno Planeta, quia ſupremo inter nocturnos orbes loco collocatus. Cùm pleno ſtat orbe noctis Domina Luna, minuitur: imo nonniſi plena eclipſatur, ac in umbras involvitur: creſcit, ut deſinat. In orbe ſtas? orbem gubernas? *Nulli fortunæ minùs, quàm optimæ creditur.* Seneca. Ubertas fructum ramos refringit, urinatorem ſpoliorum copia mergit. Poſtquam victoriarum trophæis dives in faſtigio ſtabat Beliſarius, quaſi altiùs neſciret eum tollere fortuna, dejecit, & ut cæcis oculis

*Plutarch. in vita.*

culis videat, quid ſit felicem eſſe, depauperavit. Nempe *Fortuna divitibus pecunia non donavit, ſed mutuò dedit.* Bio. *Citò repoſuit, quæ dedit.* Publianum eſt. Quandoquidem hæc ipſa in felicitate infelicitas eſt, quòd nunquam ſit ſincera, aut perfecta, aut perpetua. *Plut. Sym. poſ. l.5. q.7.* *Corpora, ubi ad ſummum perfecta ſunt vigorem, non conſiſtunt, ſed momento in contrarium impelluntur.* Plut. Ipſe ſiderum Princeps, aureúſque dictator aſcendendo deſcendit; in apice dum ſtat, mergitur. Quid amœniùs diſcurrente per aërem flammula, aut è candidiſſima cera radiante? In noviſſimo fumus eſt, aſcendendo vaneſcit. Omnis mundi ſplendor, & braccatæ gloria gentis, quò ſublimiùs enititur, velociùs diſparet. Fulgura ſunt honorum ac felicitatis radii; dum tenentur, non ſunt. Dum nitent, cadunt; dum tumeſcunt, inaneſcunt. Quævis dies illis criticus eſt; imò quodvis momentum climactericum. Ille aſcenſus fatalis horoſcopus eſt, qui in Sphæra felicitatis ſtatuit, *Senec. l. de Provid. c. 6.* *Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas. Cruſta eſt, & quidem tenuis.* Seneca. Joannis Caſtiliæ Regis favor Didacum Arias pleno vultu arriſit; ſuſpectus ei ſemper fuit meridies gratiæ; clavum ſibi optabat; cùm ut inſtabilem Principis gratiam, ſi in ſummo eſt, figeret: tum ut fortunæ rotam detineret; ne, quem in ſublimi locavit, ad ima deprimeret. *Sen. ep. 36.* *Res eſt inquieta felicitas; alii elidentur, alii cadent.* Sen. Caſibus exponitur, qui promovetur. Quò propinquior cœlo eſt vertex montis, eò fulmini obvius magis exponitur. *Ovid. 3. metam.* Quantò magis blanditur fortuna, decipit. *Inopem me copia fecit*, apud Naſonem fructuum ubertate preſſa pomus ingeminat: & apud eundem nux nucibus plena: *Idem eleg. de Nuce.* *Nocet, eſſe feracem.* Copiam time, fuge abundantiam. Nam ubi turmatim & collecto agmine apes volitant, præſagiunt imbrem; & mel immoderatum nocet. *Ariſt. l. 9. hiſt. anim. c. 40.*

# QUÆSTIO V.

## *De Nive.*

Concluſio prima. Nix eſt concretio vaporis reſoluti in aquam minutiſſimam, qui vapor antequam formetur in guttas, dum adhuc habet admiſtum multùm aëris, & aliquid exhalationis ſiccæ, ſuperveniente frigore denſiſſimo coagulatur, & copulatis invicem pluribus particulis formatur in floccos. Materia igitur nivis eſt vapor imperfectè reſolutus modo explicato; forma eſt cogulatio talis vaporis; coagulum ſunt exhalationes ſiccæ interceptæ; cauſa efficiens eſt frigus. In idem recidit definitio Ariſtotelica, quòd nix ſit nubes conglaciata; nomine enim nubis intelligit vaporem imperfectè reſolutum. Nec differt etiam niſi verbis ab eorum deſcriptione, qui volunt nivem nihil aliud eſſe, quàm ſpumam quandam, quæ in glaciem concreſcit eo ferè modo, ut brumalis nebula capillis aut barbæ ſolet apparere. Nec illis contradicimus, qui nivem nubis ſtillicidium decidens in aëre congelatum nominant; pro cujus intelligentia adverti volunt, in infimo nubis contineri partes craſſiores, in medio medias, in ſummo autem ſpiritus ſubtiliſſimos; tunc contingere, quòd verſis in aquam partibus craſſioribus, & deinde mediis, ſubtiliſſimi tandem ſpiritus decidant, verſi in ſtillicidia minutiſſima, quæ in aëre ob vehementem frigiditatem dicimus gelari, & ſic gelata decidere per modum lanæ tenuiſſimæ.

Concluſio ſecunda. Albedo & candor nivis oritur primò ptopter frigiditatem ſicut in phlegmaticis corporibus, & frigidarum regionum incolis eſt videre, qui ſemper ſunt albiores illis, qui calida loca incolunt. Secundò, quia habet admixtum aëreum, humidum, & pingue cum ipſis aqueis ſpiritibus, quam ob cauſam albeſcit aqua oleo infuſa. Deinde, quia albedo reſultat ex opaco temperato cum Diaphano ſeu tranſparenti, hinc ergo, cum in nive opacum glaciei temperatur Diaphano aëris admiſti, reſultat candor. Ex ſimili ratione ſpuma aquæ albeſcit. Opacitas enim aquæ temperatur diaphano aëris admiſti. Nec verò nivis candor, uti M. Albertus & Lovanienſes opinati ſunt, eſt color tantùm apparens, ut in multis concretionibus aëreis, ſed verus & expreſſus, alioquin non ita diu perſeveraret etiam in nive compreſſa, ac minime tranſlucida. Nimirùm colores veri non in ſolis mixtis perfectis, ſed in imperfectis etiam viſuntur.

Concluſio tertia. Nivis mollities oritur ex admiſtione aëris, qui facilè cedit; hinc nix etiam mollior pruinâ eſt, & candidior, tum quia plus aëris admiſtum eſt nivi, quàm pruinæ, tum quia pruina, cùm formetur juxta terram, plures continet exhalationes ſiccas, quas non continet nix, unde cùm ſit nive ſiccior, eſt etiam durior, ſicque nix eſt pruinâ mollior, licèt ſit durior aquâ, utpote quæ eſt aquâ ſiccior, ideò enim continuata & per modum lanæ decidit, quod non habet aqua.

Concluſio quarta. Nivis flocculi plerúmque inſtar ſtellarum ſex radiis diſtincti apparent; cujus rationem dat *Renatus Deſcartes*, dum ait: nivem non glaciari hexagonam, ſed hanc

hanc figuram coaleſcere, quia plures ſimul vapores glaciati ſe conjungunt in rotundum, hæc enim rebus maximè connaturalis eſt figura: Quod autem ſeni nec plures, nec pauciores vapores concurrant, accidit quia cùm medius vapor rotundus ſit, ejus rotunditatem pauciores explere non poſſunt, nec illa plures admittere. Experientiam obvium corpus rotundum dabit, Uniones v. g. in plano æquali confuſè projice, ut in circulum confluant, & eos ita ſponte diſponi obſervabis, ut unioni in medio conſiſtenti ſex alii ſe aſſocient, & ſtellam efficiant. Aliam rationem hujus figuræ dat Tylkonsky; nix ait: multùm terrei calefacti includit, hoc frigore interceptum quaſi ſe afflando dilabitur, quâ datâ portâ; ſed in ipſo dilapſu deprehenſum á frigore congelatur. Obſervat tamen Olaus M. lib. 1. Hiſt. Sept c. 22. quando magis acceditur verſus Polum Arcticum, tantò magis quantitate & qualitate variare nives deſcendentes, ut potiùs ſtupenda, quàm inquirenda ratio ſit, cur & quomodò tot formæ & imagines, tam mollibus, & exiguis rebus tam ſubitò imprimantur; uno enim, eodémque die & nocte 15. vel 50. aut plures quandóque diſtinctas formas reperiri.

Concluſio quinta. Nix generatur in media aëris regione, quæ frigidiſſima eſt & ſedes nubium, non tamen in infima (ut Plato exiſtimat) quæ ob ſuam caliditatem vaporem facilè in humorem reſolvit. Sicut autem non niſi frigido loco nix producitur, ita frigido etiam tantùm tempore, hyberno ſcilicet vapores congelari, & nix generari poteſt. Signa verò generandæ nivis duo ſunt; Primum eſt ex nubis diſpoſitione, quæ magis ad albedinem inclinat. Alterum eſt cùm aëris frigus cœlo nubilo remittere incipit; & ratio eſt, quia quando incipit generari nix, nubes diſcerpitur, & ex ea egreditur calor, qui in aërem ſparſus eum tepediorem facit.

Concluſio ſexta. Effectus nivis primus & præcipuus eſt, terram fœcundare eámque fertilem reddere, quia ſenſim humectat. Secundus eſt, fovere terram ſemina continentem; claudit enim ejus poros, & prohibet, ne vis omnis diſſipetur, calórve evaneſcat, vel quia plurimùm nitróſa eſt nix; undè ob eam cauſam etiam in aqua facilè reſolvitur, & reſoluta ventum, ſive auram frigidiuſculam exſpirat. Quocircà anni nivoſi plurimùm fœcundi ſemper obſervati fuerunt. Horti etiam cultores, quandò frigus per hyemem fuit valdè intenſùm cum copioſis admodum nivibus, adverterunt, Tulipas non tantùm binos ſed ternos, & quaternos ex eodem caule, vel bulbo ſæpè flores protrudere. Idem in aliis plantis obſervatum. In Americæ Regno Chili tanta ſæpè copia nivis dejicitur, ut integræ valles iis ad montium uſque altitudinem impleantur; cum verò nix colliqueſcit, alvei mirè exundant, quà exundatione agri & prata ſummoperè fœcundari perhibentur. Bartholinus ex Paulo Warnefrido lib. de gent. Langobard. c. 10. notat, tempore Papæ *Benedicti* ad planitiem terræ tam uberem nivis copiam dejectam fuiſſe, prout in altiſſimis montium jugis cernere licet; ſecutam porro in æſtate tam miram terræ fæcunditatem, ut altera ſimilis nulli hominum in memoriam revocari potuerit, Teſtatur etiam Olaus M. lib. 19. Hiſt. ſeptentr. quòd licèt nivis dejectæ copia ingens arbores ſæpè in ſeptentrionalibus regionibus deprimat, & ad terram ferè declinet; quando tamen nix colliqueſcit, reſurgunt & denuò eriguntur, mirámque indè fertilitatem concipiunt. Imò prata in copia nivis tam pingui & fœcundo vireſcunt gramine, ut pecora ab iisdem arcenda ſint, ne plus depaſcendo rumpantur. Similiter in Daniæ Inſulis Ferroënſibus, licèt ex pluribus rivis inundentur, & lætis abundent paſcuis, eæ nihilominus partes, quæ verſus ſeptentrionem jacent & nive copioſiore deflua imprægnantur, multò aliis partibus fertiliores & fœcundiores eſſe ſolent In Siranagar, ut Nirembergius refert lib 19. Hiſt. nat. c. 69. Incolæ ſolent nive veſci pro pane; & in præmemoratis Daniæ Inſulis per totam hyemem oves in prætuptis petris & montium jugis nive contectis circumcurſare, & in nive paſcua ſua quærere ſolent. Eraſmus Franciſci in Dicurſu de nive.

Tertius effectus nivis eſt, quòd, ſi quis eâ lavet manus, reddat has firmas, eò quòd nix generetur ex vapore quodammodo ſicco & terreſtri.

Quartus eſt, quod putredini & corruptioni omnino obſiſtat, nec facilè quid in ſe reconditum tabe infici ac computreſcere ſinat. Unde etiam animalium quorumlibet demortuorum cadavera integumento ſuo à corruptione vendicat; & in Islandia ut refert *Paulus Biorno* piſces in nive haud aliter ac in ſale abſque ulla putredinis noxa diutiſſimè conſervari ſolent; ratio patet ex dictis, quia nempe utcunque nitroſa eſt, & ex vapore ſicco & terreſtri conſtat. His adde, quòd carnes & alii quicunque cibi (ut obſervatum eſt) in diſſolutæ nivis liquore coqui citiùs quàm in alterius fontanæ lymphæ fervore molliri, ac magis etiam candeſcere ſoleant, quod ſali nitroſo in nive contento adſcribendum exiſtimat.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.
## Morum ſenectus Politici ornamentum.

43.

N. 43.




*Cicero in Dial. de ſenectute.* PLacet Romanæ Eloquentiæ laudatiſſimum verbum : *Maturè fias ſenex , ut diu vivas ſenex.*
Non qui diu vixit , ſed qui benè vixit, annoſus eſt. Senectus quid ſit, Solon reſpondeat : *vitæ hyems.* Puer centum annorum eſt, qui hyemem niveo vertice portat, & moribus infanteſcit. Non ſemper Catones ſunt, quibus pili candicant. Morum gravitas vitæ ſenectus eſt. Etiam in juvenibus canities reperitur. Ardet Ætna, licèt niveo ſit tegmine canus. Senes decrepiti ſæpè juvenes ſunt moribus, æſtuant libidinis flammâ , nutriunt incendia odiorum, laſciviunt ingenii geniique levitate. *Non cani , non rugæ repentè authoritatem afferre poſſunt* (ait Romanæ gravitatis exemplar Cicero de viro graviſſimo Catone Majore) *ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus authoritatis præbet extremos.* Rigente terrâ , niveisque contectâ floccis , herbarum radices, & innatus calor non extinguuntur , fœcunditas conſervatur , poſito candore vireſcit. *Diffugêre nives , redeunt jam gramina campis.* (*Horat. l. 4. carm. Ode 7.*) Venerabilis ſenectus eſt, ubi virtutes junioribus annis plantatæ florent, atque in annoſos fructus matureſcunt. Senectutem *florem animi* Seneca nominavit. (*Sen. ep. 26.*) Hyeme ſenectutis mores vernent, merita autumnent. Non in canis , nec in annis, ſed moribus ſanis ætas numeratur. *Ibi perfecta eſt ætas, ubi perfecta eſt virtus.* (*Theodoſ. Imp. apud Tacit. l. 11. annal.*) Eſt & in adoleſcentibus vitæ canities ; quando morum honeſtate albeſcunt. Prudentiâ maturi, verecundiâ decori decor ſunt Reipubl. Honor non capitis canitie, ſed vitæ integritate comparatur. Levis armaturæ eſt, qui moribus & amoribus pondus non addit , ſit licèt gravis ætate. Ineneſcit vinum , quando aceſcit, quia ſpiritus evaneſcit. Levitatem ſenex induit, quando volatilis ſpiritus exuit, quam habuit juvenis, virtutem. Ipſe ſuo tandem triſtis acore ſenex. Non inficior ſenibus reverentiam,

rentiam, ſi moribus pondus addant. Sunt, qui autumno vernant flores, & veſpere odorem ſpargunt. Senectus illa honorata eſt, quæ quantò viribus nervisque deficit, tanto virtute repullulat, & revireſcit. Id conſilii à me capias Politice. Non in annorum maturitatem fructus virtutum differ, in vere autumna, hyberna in æſtate. Non deſunt Juvenes *in quibus eſt ſenectus venerabilis morum, & ſana prudentia.* Jam in cunis maturuit pro victoria Hercules, & Herculem in prætexta Cyrus egit. Noſcitur ex ungue Leo, & in teneris plumis ſuos ad Solis obtutum oculos aquilæ pulli oſtentant. Tam gravis levibus in annis juvenis ſæpè eſt animus, ut adultis officiis ſufficiat. Exempla doceant; annum agens decimum & ſeptimum Julius Cæſar Flamen dialis deſtinatus eſt, jam tum ſceptro maturus. Octo ſupra decem Cn. Pompejus, novem & decem Octavianus annos numerarunt, & civilia bella Induperatores ſuſtinuerunt. Cauſanti annarum tenuitatem populo, vel reſpondendo maturum ſe probavit Scipio Africanus: *Si vos ætatem meam honoribus anteiſtis, & ego honores veſtros virtute præceſſi.* Alexander Severus admodum Puer à Senatu Cæſar factus; Gordianus undennis ſceptrum geſtavit, Otto tertius inde Mirabilis dictus, quia in pueritia pro ſceptro ſapientia canuit. A nido ſceptro aſſueſcunt Aquilæ, fulminare diſcunt, & Solem portare.

*Cicer. de ſeneci.* *Sueton. c. 1* *Tac. l. 13. annal.* *Livius.* *Lamprid.*

# QUÆSTIO IV.

## *Satisfit variis adhuc quæſitis de nive.*

QUæres primo. Cur in altis montibus nix inveniatur, cùm nulla ſit in planitie, vel in vallibus? Reſpondeo: id fieri propter defectum caloris, contingui enim ſunt montium vertices mediæ aëris regioni, & propterea perpetuis frigoribus horrida ſunt ea loca, quæ cauſa eſt, quod montes Scythici perpetua tegantur nive. Accedit, quod alta montium juga magis perflentur ventis; & tametſi editioribus locis ſua quoque ſolarium radiorum inſit reflexio: tamen cum montium latera hinc inde in profundum cingantur aëre, in quibus ea lucis geminatio reverberatione minima fit, haud dubie minùs incaleſcunt montes circumjacentium Polorum radiis, quàm valles & depreſſi terrarum tractus. Nec audiendi ſunt nonnulli; qui contendunt, montium cacumina calidiora eſſe debere, quo propinquiora Soli ſunt. Nam præterquam, quod experientia contrarium doceat, ratio allata frivola eſt, quia celſitudo montium parum momenti habet ad propinquitatem, cùm tanta terræ moles ſit quaſi punctum, paribus feré intervallis à cœlo diſtans. Mirum eſt, quod refert Fournier Geograph. orb. not. lib. 1. c. 11. de Hecla monte, quòd vertex hujus montis perpetuis albeſcat nivibus, radices verò continuis ardeant incendiis, ita ut propius ſex milliaribus impunè nemo accedere queat. Similiter in Trinacrii montis Ætnæ cacumine nives illæſæ permanent; ſicque novit vaſtum illud incendium ſub nivibus ſervare fidem, & ut Poëta canit:

*Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.*

In Teneriſa Inſula, quæ una eſt ex *Fortunatis*, montem eſſe ſcribit Cardanus de variet. lib. 1. c. 4. qui altiſſimus caput inter nubila condit; in primo autem viret, in medio nivoſus eſt, in cacumine fumum emittit, cauſam ſubdit: Altiſſimus enim cùm ſit, & latior in medio, quàm cacumine; exhalatio per ſuperiora fertur, non in medium, quia latera à centro plurimùm diſtant, neque perforatus eſt in ea parte. Humor autem defluens radicem virentem facit.

Contrà autem Regiones & urbes Auſtro objectæ raro nivem ſentiunt, ut Roma, Genua, Neapolis. Eadem quoque eſt cauſa, quòd interdum ad radices montium, ſeu in vallibus pluet, in montibus autem ningat, quia nix, quæ eſt rara, à tepiditate aëris inferioris inter deſcenſum eliquatur in pluviam; in montibus verò altis aër eſt frigidior, ut nix eliquari non poſſit. Hinc etiam Plinius teſtatur lib. 2. c. 103. nunquam in alto mari ningere, quòd calidiores exhalationes, eam priùs liquefaciant.

Quæres ſecundò. Quare dum ningit, mitiùs ſævire frigus obſervetur, maximé ſi magnum, & ſiccum anteà præceſſerit? Reſpondeo, rationem eſſe, eò, quòd nubes nive prægnantes coarctent aërem terræ vicinum, & halitus è terra erumpentes repercutiant; vel quia dum vapores in ſecunda regione aëris congelantur, ſpiritus calidiores extrudunt, qui relapſi noſtrum aërem calefaciunt. Hinc quantò intenſiùs regnat frigus, tantò minores cadunt nives, quia magis exſiccatæ majori frigore, minùs ſibi cohærent, & licèt in ſe invicem impingant, frangunt ſe potiùs, quàm coaleſcant. Si quem tamen ſenſère calorem, continuò ſibi tenaciter adhærent; unde fit, ut pila nivea pugno minor è montis vertice volvi

cœpta in grandem prius molem concreſcat, donec radicem montis attingat. Talis è Dolfriniorum montibus lapſu urbem integram obtriviſſe legitur apud Olaum lib. 19. c. 15. In Cambizena ſæpè ſpontè ſe ita nix è montibus decidua ſenſim agglomerat, ut integras hominum catervas obruat. Strabo lib. 11.

Quæres tertiò. Cur in Norvegia, & aliis Regionibus ſeptentrionalibus, quæ penè ſemper veſtiuntur nivibus, lepores, urſi, cervi, & vulpes ſæpè ſint albi? Reſpondeo: Rationem eſſe, non quia paſcuntur nivibus, ut quidam volunt, ſed quia, cùm penè perpetuo videant nives, ex earum imaginatione concipiunt fœtus albos, eo pacto, quo oves Jacob ex aſpectu virgarum verſicolorum concipiebant fœtus verſicolores, ſicut & pavones dicuntur albi fieri, ſi locus, ubi mater incubat, albo totus inducatur.

Quæres quarto. Num nivium candor obſit oculis? Reſpondeo affirmativè, quia nimis intenſus candor perſtringit oculos. Unde, qui in mediis nivibus habitant, plerumque debilioris viſus eſſe ſolent. Ita Galenus lib. 10. de uſu part. c. 3. ſcribit. Xenophontis milites, è Perſide redeuntes, dum per multam nivem iter fecerunt, oculis plurimùm læſos fuiſſe. Idcircò etiam in Regno *Tibet* incolæ montani perſpicillis cancellatis, ac reticulatis, ubi continuæ nives in oculos cadunt, uti ſolent, ut radiorum nimiùm candentium affluxum nonnihil caſtigent.

Quæres quinto. Cur nix, ut obſervatum eſt in alpibus, etiam quandòque rubeſcat? Reſpondeo, fieri hoc ex eo poteſt, quod aëreæ partes (quas candoris etiam cauſam eſſe diximus) cum tempore avolent, & materiam nivis deſerentes, eam mixturam relinquant, quæ rubori plus accedat. Euſtathius verò, dum refert, in Armenia nives rubicundas inveniri, docet, hoc contingere ideò, quod exhalationes ibi frequentes ex locis minio abundantibus aſcendant. Eandem cauſam affert Alexander ab Alexandro lib. 4. Genial. dier. c. 9. de rubicundis nivibus in Scythiæ montibus. Cœruleæ etiam nives videri juxta fretum Magalianum affirmat Cardanus lib. 1. de variet. c. 4. fierique hoc non tantùm ob vetuſtatem ipſam, ſed quod ad glaciem atram accedat, & proſpectus è longinquo ſit, quemadmodum & in aëre cœruleum oſtendat,

Quæres ſexto. Cur, dum ningit, ſonus vocum & campanarum difficilius percipiatur? Reſpondeo, rationem eſſe, quia nix aëris agilitatem aufert, & in flocculos nivis ſonus toties impingit, ut tandem diſſipetur, nec per eorum intervalla integer permanare poſſit.

Quæres ſeptimo. An animalia in nive naſci, & vivere poſſint? Reſpondeo, licèt in glacie nullum oriri, aut vivere poſſe videatur animal, quod ea congelata, adeoque frigidiſſima, omni deſtituatur calore, quo tamen opus habent animalia, ut oriri & vivere queant, ſicut docet Ariſtoteles; nix tamen, quia mixtum quid, licet imperfectum & humidum, utpote ex vaporibus concretum quoddam eſt; nullum autem humidum ſine calore eſſe poteſt, ut idem Philoſophus docet lib. 5 de generat. animal. idcircò etiam animalia quædam in nive oriri & vivere poſſe negari non debet. Unde Helmontius tradit, in nivibus vermes naſci. Veriſimiliùs tamen eſt, animalia cum nivibus decidua vel ſub foliorum in arboribus congerie, vel alibi latibulum aliquod hyeme appropinquante quæſiviſſe atque cum magno ventorum impetu al io diſperſa, nivisque flocculis concluſa denuo dejecta eſſe. Quæ inſecta, cùm deinde vivificis Solis radiis feriuntur, aut alio proficuo calore foventur, facilè in iis torpidi ſpiritus animantur, & ſic ipſa hujusmodi inſecta quaſi in vitam revocantur.

Quæres ultimo. Utrum nix aliquando lapideſcat in cryſtallum? affirmat hoc Plinius lib. 37. nat. Hiſt. c. 2. Ideo nec eam reperiri teſtatur, niſi ubi maximè hybernæ nives rigent, ut in cautibus Alpium. Unde ipſam plerúmque à locis inviis fune pendentes extrahunt. Itaque ait, cryſtallum eſſe glaciem unde & nomen Græci dedêre. Dicitur enim κρυμός, id eſt, glacies, & σέλλω, id eſt, contraho; quod ex glacie frigoris vehementia obdureſcat in lapidem. Gigni vero ita Cryſtallum confirmat præſens experientia; cùm hoc etiam tempore è præaltis & frigidiſſimis rupibus, ut è Perſinianis, quæ in extremis Noricis ſunt, evellatur. Verùm & intra terram in venis tam metallicis, quàm propriis, ut alios pretioſos lapides, cryſtallum inveniri conſtat.

## *APPENDIX.*

PRimò. Nivis artificialis productio ſequenti modo, ut tradit Kircherus in arte luc. lib. 3. c. 2. confici poteſt: fiat è laminis ferreis Tholus, ſive hæmiſphærium, duplicatis ita laminis, ut inter utrámque nix glacies nitro, vel vitriolo mixta poni poſſit; aptentur infra tholum folles, qui flatu continuo aërem ad tholum refrigerent; ita fiet: ut ſi ſub tholo in cubiculo vas aquæ ferveat, è qua vapores ad tholum ſublimentur, hi à nivibus frigefacti in tenuiſſimas guttulas reſolventur, quia vero à ventò, follium ope excitato, impetuntur

tur, in nivem gelabunt, & decidentibus floccis omnia contegent. Alio modo ſic fieri poteſt; Includatur aqua tubo vitreo; hæc diu multum agitetur, innumeræ hinc emergent bullæ, quæ gelido aëri expoſitæ in veram nivem abibunt. Sic etiam pruina produci poteſt, ſi nempe hyberno tempore intra vas ferventis aquæ plenum frigido aëri expoſitum capilli aut folia roris marini ſuſpendantur, vapores congelati concreſcunt in pruinam ei ſimilem, quæ hyemis tempore crinibus adhæreſcit, ſive quæ ex hominum vel equorum halitibus prodit.

Secundò. Anno 1510. Regina *Maria* filium edidit *Emanueli* Regi Luſitaniæ Patri ſpecie & forma ſimillimum, qui *Henricus* appellatus eſt; eodem die, quò Princeps hic in lucem editus fuit, *Olyſippo* ( in qua quidem urbe propter ſummam cœli temperiem monſtro ſimile eſt, partem aliquam nivis intueri) plurima nive conſperſa fuit, quod multi ſic interpretati ſunt, ut ea nive mentis candorem, vitæ puritatem, & continentiam, virtutis eximiæ fæcunditatem, quæ in hoc Principe mirabiliter eluxit, præmonſtratam fuiſſe dicerent. ita Oroſius lib. 8. rerum Emanuel.

Tertiò. Narrat Olaus M. lib. 19. c. 15. in partibus ſeptentrionalibus, nivem tantâ copiâ dejici, ut arborum rami, ipſæque arbores ita ramis, & arboribus innectantur, invicèmque fornicario quaſi opere cohæreant, ſicque in longiſſima ambulacra, etiam multorum milliarium ſub nive mire congelata protendantur.

# QUÆSTIO VII.

## *De Grandine.*

Concluſio prima. Grando eſt congelatio aquæ, quæ cùm à vento detinetur, & agitatur, commiſcetur multis exhalationibus ſiccis & ſalnitralibus, quarum vi, accedente etiam frigore, congelaſcit. Diſtinguitur à nive, quia nix eſt nubis ſtillicidium in aëre congelatum; grando autem eſt imber, qui grandioribus, vel nimbus, qui maximis guttis decidit, in aëre congelatus, Si accidit tempore æſtivo: ejus materia remota eſt ſpiratio, magni caloris efficientiâ in ſublime evecta, & in nubem paulò denſiorem & calidiorem concreta. Materia proxima eſt imber. In quem nubes ſolvitur. Proxima cauſa efficiens eſt etiam calor circumfuſi aëris; aquam per antiperiſtaſim refrigerans, totùmque ab ea calorem exprimens, & extinguens. Quo fit, ut grando horridior ac durior ſit cœteris impreſſionibus humidis, quæ in aëre fiunt. Si autem grando exiſtat, cùm omnia circumquaque algent, ejus remota materia eſt exſpiratio, non tanto calore, nec in tam denſam calidamque nubem coacta. Proxima verò efficiens cauſa eſt frigus aëris ambientis, congelantíſque. Cauſa formalis eſt ſpecie globulorum conglaciatus humor. Numerus autem tantus eſt globulorum, quantus guttarum; nam ſingulæ guttæ frigore concreſcunt & fiunt grandines.

Concluſio ſecunda. Grando fit & generatur tum in media, tum in infima aëris regione; Ratio eſt, quia dum omnia circumquaque rigeſcunt, poteſt aër in utráque regione idoneam obtinere frigoris vehementiam ad conglaciandam aquam. Dum autem viget æſtus, poteſt in ejusdem locis per antiperiſtaſim tantum frigoris, quantum ad eundem effectum opus ſit, intra aquam coaleſcere. Sanè gelari nonnunquam grandinem propè terram, illud argumento eſt, quòd interdum grando decidit interceptis paleis, quas aqua concreſcens in ſe incluſerat. Unde negandum eſt, ſemper geminationem radiorum in infima regione aëris tantam eſſe, ut frigus ad conglaciandam aquam neceſſariò expugnet & interimat. Accedit, quod prædicta conglaciatio non ad frigus duntaxat circumjecti corporis, ſed interdum ad ejus calorem, & ad antiperiſtaſim, ut ſuperiùs diximus, referenda fit.

Dices: Grando non rotunda, ſed angulata eſt, ſed hoc eſt evidens ſignum, quod non ex alto, nempe ex media aëris regione cadat, aliter aëris attritu rotundaretur, ergo. Reſpondetur primo negando, grandinem aliquando non eſſe rotundam. Secundo, illa grando, quæ rotunditate caret, aut generatur in infima aëris regione, aut in ea frangitur, quod ſtare poteſt cum eo, quod in media aëris regione fuerit genita.

Concluſio tertia. Dividitur grando ex quantitate & figura. Ratione quantitatis eſt vel maxima, vel minima, Maxima eſt grando in orbiculos ſolidos & duros inſtar lapidum compacta. Minor, quæ vulgò granula dicitur, ex humore leviter & molliter compacto conſtat, cúmque ex altiori loco deſcendat, globuli ipſi paulatim ex illa mora liqueſcunt, & atteruntur. Octonarum circiter librarum grandinem *Majolus*, non minorem humano capite *Iſidorus*. 12. pedum longitudine Bontinius, 12. pedes longam, ſeptem latam, & duos altam Sigebertus 1636. in territorio Rodingenſi 30. libris graviorem viſam alii memorant. Digna

memoratu grando illa eſt, quâ DEus percuſſit Pharaonem, fueritque haud dubie maxima cùm in tota terra Ægypti ab homine uſque ad jumenta, cunctamque herbam & lignum confregerit, ut conſtat ex lib. Exodi c. 9. pariter & illa grando inſolitæ fuerit magnitudinis, quam Dominus in exercitum quinque Regnum urbem Gabaon obſidentium immiſit, dum teſtatur ſacer textus lib. Joſuæ cap. 10. *Et mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerunt filii Iſrael.* Inter prodigia, quæ Hieroſolymitani Regni Chriſtianorum excidium anno 1187. à Saladino Ægyptio illatum præceſſere, Tyrio memorante, præter inſuetos terræ motus, ventos atroces, ſolis defectus, mare ſolito æſtu majore redundans etiam grando frequens inſtar ovi anſerini cœlo decidit. Ratio vero naturalis hujus magnitudinis inter cœteras ſuperiùs annotatas non poſtrema eſt pugna ventorum rigidiorum, quæ materiam grandinis, dum adhuc mollior eſt, & ceu nivis colliqueſcentis inter ſe varié collidit, & in grandiorem molem confœderat. Quod ad figuram ordinariam grandinis attinet, ea interdum eſt rotunda, interdum angularis vel ovalis. Rotunda eſt, quando à terra generatur remotiùs, altiùs enim delapſa aëris contactu atteritur atque rotundatur. Angularis eſt, quando generatur prope terram, ſic enim non atteruntur latera ejus. Ovalis vero cadit ex inſufficienti adhuc attritu & inæquali contactu aëris; aut comitantis grandinis. Quod ſi interdum in globulis grandinum ligna, pili, paleæ, arenulæ, ſimiléſque quisquiliæ reperiantur, non hæc continuo præſtigiis adſcribenda, nam hæc calor cœleſtis auxilio ventorum una cum vapore surſum evehere, & vis deinde frigoris congelando vaporem agglutinare, & inſerere potuit.

Cur autem grandini interdum imagines mirificæ variorum animalium aliarùmque rerum ſint impreſſæ, explicatu eſt difficile. Albertus quidem Magnus à virtute & nimia calliditate, vel ſingulari aliquâ conſtellatione cœleſtium corporum has imagines ita conformari cenſet. Ego hæc & ſimilia inter portenta numero. Tales grandinum ſpecies memorabiles Nauclerus deſcribit, quarum ea, quæ anno 1240. *Cremonæ* decidit, nucum magnitudine impreſſam crucis figuram faciémque Chriſti adſcriptis verbis: JESUS NAZARENUS continuit. Altera vero in Regionibus ſeptentrionalibus anno 1395. menſe Auguſto decidens, humanas facies exhibuit, cujus mentionem quoque facit Crantzius lib. 9. Vandal. cap. 42. dum memorato anno circa Aſſumptæ D. Virginis feſtum in Saxonia cecidiſſe ſcribit grandinem, quæ humanæ faciei imaginem prætulerit. Barbata inquit virorum, fæminarum verò criſpantibus involuta peplis imago in grandine cernebatur. Ludovicus Clavitellius meminit grandinis ſanguine mixtæ, quæ in agro Bononienſi ad Annum Chriſti 1537. menſe Auguſto cecidit, in ea inventa ſunt grana, quæ pondere libras 78. exceſſerunt. Hoc ex eadem ratione naturaliter contingere potuit, qua pluviam ſanguinem fieri ſuperiùs annotavimus.

Concluſio quarta. Frequentius vere & autumno grandines decidunt, teſte Ariſt. 1. Met. 12. minùs frequenter in æſtate, nunquam, aut rariſſimè in hyeme. Ratio eſt, quia in vere & autumno calor ſufficiens adeſt, qui excitare poſſit vapores, qui deinde à frigiditate per antiperiſtaſin aucti, facilè conſtringi poſſunt. Autumno autem ſæpiùs quàm vere fit grando; quia cùm autumnus ſuccedat calido æſtatis tempori, vapor magìs eſt idoneus ad celeriter & duriſſimè congelandum. In æſtate minùs frequenter contingit, eò quod Sol materiam pænè omnem grandinis conſumit. In hyeme autem propter frigiditatem poros terræ conſtringentem, atque vapores exhalare prohibentem, raro, aut nunquam generatur. Eadem ratio eſt, cur plerúmque grando circa meridiem, raro circa ortum & occaſum Solis, rariſſimè noctu decidere ſoleat, quia nempè ad elevandam copiam ſufficientem exhalationum coagulantium requiritur tempeſtas & hora calida. Deinde, quia coagulatio grandinis ſolet procedere ex antiperiſtaſi, ſeu circumobſiſtentia contrarii. Sicut enim aquæ puteales, quæ hyeme ſunt tepidæ, æſtate evadunt frigidiſſimæ, eo quod frigus propter obſidionem caloris, recipiat ſe in profundo terræ; ita cum magna copia aquarum à vento detinetur, & obſidetur á calore meridiano, valde frigeſit, & congelaſcit; & quia noctu, mane & veſpere aquæ non obſidentur ab intenſo calore, non ſolet fieri grando. Si tamen ex alia cauſa infrigidentur vehementer, quod raro contingit, tum præter morem grando generatur etiam iſtis temporibus.

Quæres primo. Cur aqua, è qua fit grando, celeriùs congeletur. Reſpondeo, rationem eſſe, quia retinet in ſe aliquid caloris, quem ad conglaciationem multúm conferre conſtat experientiâ; ſiquidem aqua præcalefacta frigido cœlo expoſita, impenſiùs celeriùsque refrigeratur; nimirum, quia calor aquam attenuat, & rarefacit; rarefacta hoſti magis patet, ejusque vim incunctanter recipit, quemadmodum & denſa ob materiæ multitudinem pertinaciùs reſiſtit; ita fit, ut aqua pluvia ob incluſum calorem faciliùs in gelu coëat, quia rarior eſt, proindéque inſinuanti ſe frigido aëri faciliorem præbet aditum.

Quæres ſecundo. Cur nunquam ſoleat generari grando, quin vehemens ventus præceſſerit? Reſpondeo, rationem eſſe, quia ſi aër tenuis eſt, non eſt frigidus, quare gelaſcere non

non poteſt; vapor ſi craſſus absque ventis cogi non poteſt, unde ut aqua congelaſcat, debet diutiùs in aëre detineri, & agitari à vento, ut commiſceatur cum exhalationibus ſiccis, quæ ſunt aquæ coagulum.

Quæres tertio. Quæ cauſa ſit, quod interdum ante exortum grandinis magnus quidam ſonitus audiatur. Reſpondeo, fieri hoc vel ideò, quia pugna eſt acerrima exhalationum in nubibus, quæ erumpere nitentes varia agitatione, motu atque attritu murmur cum fragore edunt, ſicut ex olla ferveſcente liquore ſtridores excitantur. Vel etiam, quia colliduntur jam congelatæ guttulæ, dum aliæ in alias incurrunt & impingunt.

Quæres quarto. Cur grandinem in æſtate ſæpè magnæ guttæ pluviales præcedere ſoleant? Reſpondeo, hoc contingere, quod priores quædam guttæ ob aërem non dum ſatìs infrigidatum congelari nequeant, quocirca ita præmiſſæ liberè cum gravitate ſua delabuntur.

Quæres quinto. Cur grando, cùm ſit nive durior, celeriùs tamen liqueſcat nive? ſtatim enim, ut terram attingit, liqueſcit grando. Reſpondeo, varias hujus rei ab Authoribus rationes adferri. Primò, quia grando aquæ eſt propinquior; eſt enim aqua concreta; nix autem non fit immediatè ab aqua, ſed ex vapore. Cum ergo nix longius abſit ab aquæ natura, quam grando, nihil mirum eſt, eandem durabiliorem eſſe, quàm grandinem. Secundo, quia calidior eſt aër, cum grandinat, quam cum ningit. Tertio, quia plures ſunt ſpiritus frigidi in nive, quam in grandine, ſicque ipſi impediunt, ut ſtatim nix ad ſtatum aquæ redeat. Quarto, D. Hamel in Meteor. l. 1. c. 3. id propter ipſam denſitatem grandinis fors evenire exiſtimat, quemadmodum enim, inquit, libra plumbi citius, quam butyri liqueſcit, quod ubi pars una calorem concepit, ſtatim eum proximæ communicat, & ita quaſi per manus citiſſimè calor per omnes partes diffunditur.

Quæres ſexto. Quid ſibi velit, quod grandinis globuli obſerventur in medio habere nucleum ſubalbum ac veluti niveum. Reſpondeo: Ex hoc inferri, quod ante generationem grandinis generetur nix, quæ eſt veluti ſemen grandinis; tum vero multa aqua circumfuſa adhæreſcit, & congelatur, ac grandinem perficit. Nec mirum eſt, media æſtate generari nivem in nubibus, cùm illam videamus aliquando cadere in montibus in ſummis caloribus, & credendum eſt, quod deſcenderet etiam in loca humilia, niſi à calore aëris in ipſo deſcenſu reſolveretur in aquam.

Colliges primo, cum exhalationes ſiccæ, quibus etiam conſtat grando, habent virtutem aduſtivam, non ſolum grandinem flagellare, & proſternere ſegetes, ſed & adurere, quodcunque tangit, ita ut poſt paucos dies marceſcat. Quod ſi vero grando admiſta ſit aquæ, licet non minus flagellet ſegetes, minus tamen adurit & damnificat. Ratio eſt, quia aqua abluit, ac detergit exhalationes ſegetibus noxias. Hinc etiam procedit, quod ſi paulo poſt grandinem ſuccedat pluvia, grando reddatur minus noxia, cum pluvia abluit exhalationes ſegetibus peſtiferas.

Colliges ſecundo ex Kirchero, modum conficiendi grandinem artificioſam, nempe ſi in tholo ferreo, ut de modo pluviæ faciendæ retulimus, vapor in pluviam reſolvitur, & tunc infra tholum folle frigidior ventus excitetur, pluviam denſabit in grandinem.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Inconcuſſum eſſe decet ad grandinem malorum.

FAbulam in factum converte, Politice. Nulla Minervæ adverſitas erat adverſa, nulla calamitas calamitoſa. Nam ſcuto tegebatur immortali, ex fuſo auro, quod nec Martis furores infregerant, nec triſulca Jovis fulmina penetraverant. Scuto ſat tectus eſt bono, cui animus non vacillat. Proſtratæ virtutis eſt, cui ad omnem caſum ſpiritus jaceat. Ferreus ſit Politicus, & ad meſſem grandinis inconcuſſus. Segetem facilè legit grando, & ante meſſem demetit, quia tremulo culmo ſubſiſtit; at Martius animus ictum reverberat, nec demeti ſibi caput patitur, quia impenetrabili ſcuto fortitudinis latera induit. Lignea cohærent baſe vitium gemmæ, facili grandinis caſu in terram decidunt baccæ; quia laureato ſtipite non ſuſtentantur. at animo Gigas tot ſibi ex glaciatis lapillis colligit gemmas, quot caſibus premitur: Laureatus ex conflictu recedit, quia nulli falci pervium lacertum gerit. *Non poteſtate mutatur, non extollitur proſperis, non triſtibus mergitur.* Meſſis grandinea illi gloriæ ſementis eſt, in imbre glaciali ſpiritibus calet, quibus ferreos etiam bolos digerat. Inquilinum corpore geſtat Herculem, ſat tectus eſt, qui hoc incola gaudet. Carioſum tectum grandine

*Ariſtid. Hymn. in Minerv. Homer. 2 Iliad.*

*Cic. l. 1. de offic.*


frangitur: in probatam ſi laminam *inſilit, & reſilit.* Nubifragium ſaxorum, ut plumæ, excipitur, cùm in benè compaginatum animum incidit. *Ut grando, tectis magno ſtrepitu illiſa, ipſa tamen diſſilit: ſic clades in firmum animum ſi incidant, franguntur, non frangunt.* Juſt. Lipſ. M.

*Lipſ. l. 2. de Conſt. c. 19.*

*Q. Capitol Quicciar.*

44.

N. 44.




*Wolffg. Joseph. Kadoriza del. Lincy.*

Antonius re & cogonomine Philoſophus mœrore vel gaudio mutari nunquam viſus eſt, quia in ferreum incidit animum, quod nulla varietate alteratur. Media inter lacrymantis cœli profluvia pulchrior ridet Thaumantias. Turbidis non turbatur mente ſerenus, in ipſa rerum perturbatione ſtat animi ſudus. Nunquam virtutis molle documentum eſt, ejus magnitudo calamitatibus approbatur. Ariſtæ vento fluctuant, & grandini ſuccumbunt; qui adamantem mente gerit, incudes fatigabit; ipſi grandinis globuli adamantes fient. *Adverſa fortunæ tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more diſſultant; quæ incuſſa tectis, ſine ullo habitatoris incommodo crepitat ac ſolvitur.* Infelicem dicebat Bias Prienæus eum, qui ferre nequiret infelicitatem: feliciſſimum ego affirmo, qui non modo ferre non poſſit, ſed in ipſa infelicitate ſe dicit felicem. Exegon legatus à Conſulibus Romæ in dolium ſerpentum miſſus, circum mulgentibus veneno turgentibus linguis, adverſi paſſus eſt nihil. Pſyllis Marſisque viperæ non nocent, Ophiogenes Inſulæ Cypri incolæ corporis umbra angues terrent. Animi robore qui præſtant, contrariis obvïant: malis non cedunt, ſed contrà audentius eunt. *Tanta cujúsque ſunt mala vel bonæ, quantus eſt animus, qui ea ſuſtinet.* Telo omni præſtantior animus, Forti grandinum ſaxa cera ſunt. Timido & ignavo plumæ & flores globi bellici apparent, cum folio tenui ſibilo tremit. Generoſo ſanguine qui imbuitur tam ad Africos, quàm Favonios ridet. Qualis ille orbis bellique miraculum Carolus V. Auſtriæ Gloria, Hiſpaniarum Decus, res lætas ſeu acerbas vultu ſemper eodem accepit: tanta oris, oculorum, totiúsque hominis conſtantiâ, & quaſi perenni ſerenitate, ut in media grandine ei Sol luxerit.

*Sen. ep. 45*

*Diog. Laert. l. 1. de vita Philoſoph.*

*Plinius l. 28. c. 3.*

*Cicero 2. Tuſc.*

*Zenocar. l. 5. Caroli.*

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

## *De rore & pruina.*

COonclusio prima. Ros dicitur, ut Iſidoro placet, quaſi rarus, quod non adeo denſis & plenis guttis deſcendat. Pertenui enim conſtat aſperſione, quæ vix manu percipitur. Unde definiri poteſt, quod ſit reſolutio in aquam vaporis parùm elevati à terra propter debilitatem caloris Solis occidentis, qui vapor ſuperveniente frigore veſpertino & matutino concreſcit ac reſolvitur. Materia igitur roris eſt vapor ſubtilis & humidus, qui inter omnes vapores eſt tenuiſſimus; forma eſt guttarum tenuiſſimarum aſperſio. Cauſa efficiens eſt frigus nocturnum, vel veſpertinum, & matutinum temperatum, quod cogit, & denſat illum vaporem in aqueum liquorem, non autem congelat. Cauſa vaporis elevativa eſt Sol ſub veſperam, cùm enim ſit parùm efficax propter caloris debilitatem, parum elevat. Ad rorem etiam juvant aſtra nocturna, præſertim Luna, maximè in plenilunio, in quo majores ſunt rores; ideoque Luna dicitur roris mater, quia ſcilicet tempore molli vapores illos etiam noctu educit, qui noctu terris incubantes ſub crepuſculi initium ſolvuntur in aquas.

Concluſio ſecunda. Ros diſtinguitur à pluvia, tum, quia pluvia eſt nubes in aquam ſoluta, ros vero eſt tantùm vapor evolare incipiens ad nubem efformandam; tum quia pluvia decidit guttatim, ros vero lenius, & ſenſim ſine ſenſu herbis ac floribus adhæreſcit.

Concluſio tertia. Locus, ubi generatur, eſt infimus aër, non autem ſuprema pars mediæ regionis, ſicut Albertus Magnus exiſtimavit. Nam non offertur hic vapor tenuis ad medium aërem, ut ibi fiat ros, quia teſte Ariſt. 1. Meteor. 10. in altioribus montibus neque ros, neque pruina reperitur. Cauſa autem hujus rei eſt imbecillitas caloris, qui in vapore ineſt, teſte eodem Ariſt. loc. cit. Quare humiliori in loco fieri rorem probabile eſt; quod vel hinc etiam conſtat, quoniam eis, qui iter noctu faciunt, pedes & calcei rore ſunt conſperſi ſine aliqua ſuperiorum partium humectatione. Copioſior tamen, & frequentior in locis humidis & paluſtribus reperitur quàm aridis. Idcircò fluminum ripæ paſſim rore teguntur, cum agri & ſicca alia loca nullo externo humore perfundantur.

Concluſio quarta. Tempus rori generando commodiſſimum eſt ver & autumnus, quia tunc vapores ſunt plurimi, nimio enim ardore in æſtate humor abſumitur; hyeme vero parum humoris ob terræ conſtrictionem evehitur. Attamen cœlo pluvio, aut nubilo, ſicut neque flante vento, non ſunt rores, quia nubilo cœlo pluit, non rorat; & ventus roriſluos humores diſpergit. Præcipuè etiam noctu & diluculo decidit, quòd terra à Sole averſa tunc maxime refrigeretur. Ubi notandum, etſi totâ nocte deſcendant vapores ad rorem generandum, & quidem ſublimiores tardiùs, tum quia altiores ſunt, tum quia ſingulæ guttæ minores; hic tamen, qui ultimo cadit præſertim in Majo ſicut & æſtivus à Chymiſtis probatur melior.

Quæres; quinam ſint effectus roris? Reſpondeo: hos eſſe varios & admirandos, quorum primus eſt. Gratam quandam & levem humectationem terræ affundit, quâ herbæ & fruges recreantur, ne areſcant; peculiariter confert ad admirandam & valde pretioſam radicem Sinenſem *Sinſen* volgo dictam. Teſtatur id litteris Rumphius ad Menzelium 1684. ſcriptis in hunc modum: quærunt illam in frigidis & nudis Regni Sinici montibus. Inque ſerena nocte fulgentibus aſtris ſtato tempore, quando radix illa paululum ſupra terram extuberat, ut rorem bibat; Ros autem radici huic illapſus facit illam non nihil ſplendere luce quâdam aſtrali, quòd ſignum quærentes ſecuti dilutam calcem in eum finem ſecum illatam loco, ubi lucem advertunt, illinunt, dièmque exſpectant. Poſtquam dies illuxit, montana repetunt, & quæcunque loca calce illita inveniunt, effoſſâ humo perſcrutantur, radices inventas ſecum aſportant, & in umbra, aëre tamen ſereno & pervio, ſiccant. De Arabia, quæ contermina eſt Ægypto, ſcribit *Andreas Corſalius* apud Majolum, quod in quodam diſtrictu prope civitatem *Aden* nec pluviæ, nec fontes, nec flumina terram humectent, nihilominus à decidente ibidem rore mirificè ad uberrimos fructus fœcundetur. Adverte tamen, rorem illum rebus naſcentibus adhærentem noxium eſſe, qui in magna cœli varietate, etiam cùm Sol ſplendet, minutiſſimis guttis facilè & ſine ſtrepitu delabitur; vocatur germanicè Miltḥau.

Secundus

Secundus effectus eſt. Aptam materiam generandis apibus ſuppeditat, hæ enim non ex concubitu, neque ex putre factione ſicuti muſcæ & pulices, ſed ex rore generantur, quem important in ſuas cellulas. vide Plinium lib. 5. c. 16. Pariter & margaritis gignendis eodem docente lib. 9. c. 36. materiam idoneam præbet. Sic & adjuvat multùm ros inſectorum procreationem. Ovibus vero nocet, nam ros copioſo mixtus ſalnitro teneris pecudibus periculum creat, ne ventris profluvio intereant. Unde mos apud Paſtores gregum obtinuit, ut dum herbas rore madentes viderint, oves non prius paſcuis immittant, quam Sol rorem abſumpſerit.

Tertius eſt, ut ſcribit Schröderus, Pharmacop. l. 3. c. 3. quod aqua roris omnes alias ſubtilitate & penetratione antecellat, conſtetque liquore volatiliori, ſaleque acriori. Unde etiam, ut Palingeneſia, ſive regeneratio plantarum ex cujúsque plantæ ſemine in phiala vitrea hermeticè occluſa artificioſe inſtituatur, & mira cum oblectatione exhibeatur, roris beneficio procuratur; de quo artificio conſule Harſtorfferum tom. 2. delic. mathem. part 9. qu. 26. Schottum in Mechan. hydropneu. part. 2. claſſ. 1. c. 6. & in Jocoſeriis, cent. 2. prop. 47. Rorem tamen Braſilianum inſignis Medicus Piſo virtute ſubtilioris penetrationis Europæo longè prævalere ſcribit; imo hanc ei virtutem attribuit, quod laſſa membra tam in hominibus, quàm pecoribus mirificè conſortet; cùm nativum calorem colligat, vi inſuper diureticâ polleat.

Quartus eſt, quod in venenoſis animalibus effluvia veneni conſtringat, unde minus noctu, quàm interdiu toxici diffundunt. Ob quam cauſam ſerpentes quamdiu flores & gramina rore madent, haud tranſeuntes infeſtare ſolent.

Quintus eſt, Cùm inſit rori vis laxativa, facilè in animalibus ſolvit ventrem, unde uvæ rore madefactæ & comeſtæ ventris profluvium cauſant, ex eo, quod ros ſubtilitate ſuâ & raritate inteſtina penetret; reddendoque fæces lubricas inde dejiciat. Addit Plutarchus obeſas mulieres rore pannis aut mollibus velleribus collecto & excepto pinguedinem minuere & conſumere ob ſalnitrum nempe, quo ros abundat.

His addi poteſt experimentum mirabile D. Danielis Ludovici in artificialiter diſtillato rore majali: hic enim, dum aliquando argenteum cochleare ejusmodi diſtillato rori immiſiſſet, mox aureo colore imbutum reperit; dum & altera rurſum vice immerſiſſet grato purpuræ colore tinctum advertit.

Concluſio quinta. Pruina eſt vapor tenuis, à terra in proximum aërem evectus, & à frigore in ſalis quaſi formam conſtrictus. Ita Ariſt. 1. Met. 10. dicta eſt pruina, quaſi perurina, quod urat arbores, & flores; vehementer enim ſuo frigore nocet arboribus verno tempore germinantibus. Conveniunt pruina & ros in materia, cauſa efficiente, loco, & tempore; differunt autem primo formâ, quia vapor roris non congelatur, ſed convertitur in aquam; vapor autem pruinæ congelatur, & inſtar ſalis conſtringitur. Secundo qualitatibus; ros enim eſt temperatè calidus, & humidus, & ideo lætas & uberes facit ſegetes; pruina omnino eſt frigida, & propterea inimica vitæ rerum omnium. Tertio ros generatur tempore tranquillo & temperato; pruina autem frigidioribus & imprimis in aurora, ubi abundat frigus congelativum. Quarto ros fit temperate flante vento Auſtrali, & Orientali; pruina vero flante utplurimùm vento Boreali; nam ſicut Auſter facit temperiem, ita Boreas rigorem.

Concluſio ſexta. Nix & pruina etſi hoc habeant commune, quod utrumque fiat concretione & album ſit, his tamen quatuor potiſſimùm inter ſe differunt. Primo materiæ qualitate quoniam nix é craſſiore, pruina vero ex ſubtiliore fit vapore. Secundo forma, quoniam nix eſt craſſior, pruina ſubtilior. Tertio loco, nix enim in media, pruina vero in infima fit aëris regione. Quarto nivem præcedunt nubes, pruinam non præcedunt.

Quæres primo. Cur pruina plerumque fæteat? Reſpondeo, rationem eſſe, quia fit è materia impura fœtida, hoc eſt, ex commixtione exhalationis calidæ cum vapore humido, ex ſordidis paluſtribus, & cænoſis locis elevato, vel verò ob terreſtre admixtum & frigore impediente non conſumptum. Hinc illud *Poriſma: aquam ex pruina ſolutam eſſe inſaluberrimam.*

Quæres Secundo. Unde ſit alba. Reſpondeo, pruinam albeſcere ex nimia frigiditate, minùs tamen candeſcit quàm nix, quia habet admixtum aliquid de aëre ſicut nix; ſed non ita de puro aëre, quia propiùs ad terram generatur. Unde etiam non ita rara eſt ſicut nix; quo enim aër eſt craſſior, eo tenacius cum vaporibus coagulatur.

Quæ-

Quæres tertio, unde crinita & hiſpida illa pruina, quæ hyemali tempore per agros & ſepes ſparſa pendet, generetur: Reſpondeo, fieri illam ex vaporibus tenuibus & viſcoſis, proinde mutuò cohærentibus, & in filum extenſis, qui vapores à circumſiſtente frigore congelantur, priusquàm in aquam diffluant. Ex eadem cauſa in viatoribus hyberno tempore longæ ſtriæ circà mentum barbatum oriuntur, qui nempe halitus in barbam impingens ei adhæret, & ab aëris frigore obſeſſus in tenuiorem glaciem conſtringitur.

Quæres 4. Cur pruina herbas, veluti caules, tenuiores faciat. Reſpondeo rationem eſſe, quia frigus per immediatum contactum in caules agens, illos maximè condenſat, efficitque ut multæ humoris partes concreſcant; quo fit, ut calore poſtea ſuperveniente facile ſolvantur fibræ priùs imminutæ, & tandem omnino pæne diſſolvantur. Ita quoque prodeſt uvas ex vineis poſt duas, aut tres pruinas colligere, quando nempe pellicula nonnihil emollita eſt.

Colliges. Cùm humida tellure cœlum per noctem menſibus & temporibus frigidioribus ſerenatur, pruina timenda eſt, quia ros tunc cœlo decidens, à frigore congelatur.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Digniores promoveantur.

45.

N. 45.




Aures regiæ, ac Imperatoris oculi inter Perſas miniſtri vocabantur. At oculus unus altero meliùs videt, auris una altera meliùs audit. Luſca Reſpublica eſt, quæ malè videt, & tantùm non cœcutit. Et non differt ab informi ſtatua, ſi non benè audit: in hoc tantum pejor, quod hæc errare non poſſit, cùm ſine anima ſit; hæc autem peſſimè *Apulejus lib. de Mundo.*

U in-

incedat cum malam animam habeat, per quam malè videt, & peſſimè audit. Nihil æque neceſſarium, nihil magis proficuum, nihil ita honorificum Reipub. quod illuſtriús eam exornet, & in amplitudinem efferat, quam juſta officiorum diſtributio, officialium delectio. Per hos Princeps agit, communis ſtatus vivit. Sit pius Princeps, juxta omnem numerum à Diis formatus; atſi malis ſuſtentetur Miniſtris Politica: corpus eſt pulchrum capite, membris deforme. *Non eſt aureum ſceptrum, quod Regnum tuetur, ſed amici fidi Regibus ſunt tutiſſimum, maximúmque ſceptrum,* Inepti Conſiliarii, improbi Magiſtratus, indigni Miniſtri lappæ ſunt regii paludamenti, & probra probo Principi inuſta. Solem agit Princeps, ſunt ſydera aulici, & à conſiliis poſiti: chimericus eſt & abortivus Siderum ſenatus ſub bono Sole, ſi Scorpius Planetam agat, ſi Mercurius bello præſidet, ſi Mars navigia regit. Sua cuique ſedes competit, quo aptus eſt loco reſideat. Qui vacum cerebro regit, non ditabit Rempublicam: neque legibus inviolatè ſervandis opem conſiliùmque adjiciet, qui ipſe Legum violator peſtem moribus alit. Non per hoc venenum ſcorpius exuit, quod inter ſidera translatus Senatorem in duodenario Zodiaci agit. Nec in Mercurium evaſit malè inſtructus truncus, qui ſcalprum non admiſit unquam, licèt in Honoris templo collocetur. Munus Reip. in indignum translatum, robur addit malitiæ, Legibus perniciem. Inſpice, quam præſens icon objicit, meteori faciem. Ex pluribus unum à Sole attrahitur ovum, & quaſi per gradus aſcendit; aut ſi mavis ſceptro principali affine eſt ac peramicum. *Unum præ reliquis* charum, quia unum præ reliquis dignum, nam rore plenum. Non, ubi datur vacuum, Solis radius deliciatur: inanis teſta eſt, non trahitur. Qui rore repletur, hic dignus eſt ſcandere, quia Pullus Regis dignus amore. Juvat hic audire, quod in Themiſtii adoptione Conſtantius Cæſar effatus eſt. *Cùm exiſtimatio de viro longè latèque diſperſa Themiſtium Philoſophum ad noſtras aures adduxiſſet, Imperatorij judicii, atque etiam veſtri exiſtimavi, illum ſplendidiſſimo Patrum Conſilio adſcribendo, virtutem ejus congruo honore remunerari, ſimúlque unum per alterum decorare.* Animatæ leges ſunt & viva ſimulacra, qui dignitatibus præſunt. Ita officium viro, vir officio reſpondeat; ut homogenei ſibi ſint, & à natura ſociati. Sinat ſe officium à viro tractari, & nôrit vir officium tractare. Gladius Scanderbegi ſine Caſtriotæ lacerto aciem perdit. Optima artium inſtrumenta nullum per ſe dabunt opus eximium, niſi artifex adſit, qui gubernare didicit. Helenæ artificium Apellem exigit, linea minima penicillo ducta Parrhaſij manum expectat. Illi ad Conſiliarii atque Magiſtratus officium aſcendant, qui ſunt ipſo Magiſtratu meliores & in arte Magiſtri. Pietate fulgeant, conſilio polleant, experientiâ & juſtitiâ ſint celebres, ſint ad labores indefeſſi, Boni publici amantes, non ſui Studioſi, ſcientiarum fautores, ad ardua imperterriti, veritatis & taciturnitatis laude conſpicui, modeſtia & æquitate probati: Ex his qui Atlas eſt & apicem tenet, unus præ reliquis eſto. Non qui vi aut dolo dignitates ambiunt: hos enim *Canes & voratores Curiarum* Legislator Bartolus nominavit. Non qui auro aut ſanguinis titulo honores aucupantur: hos enim Togatos vultures Apulejus vocavit. Juſtiſſimè cenſoria virga in eos Theodoſius Imp. piiſſimus animadvertit: *Si quis ad illuſtrem palatii noſtri ambierit dignitatem, atque ad eos honores aſcendere ambitione cogitaverit, qui nonniſi probatis viris noſtro judicio deferuntur, cujuslibet ille ſit loci, dignitatis, ordinis; amiſſis bonis, & fiſco noſtro protinus vindicatis, deportationis mulctetur exilio.* Certè Autilius Rom. Conſ. adamante dignam edidit ſententiam, ipſe marmore dignus. Dum enim ab indigno promotionem rogaretur, repoſuit: *Quid mihi tua prodeſt amicitia, quam tui promotione contraherem, ſi me urgere cupis, ut in leges juſtitiæ tua cauſa peccem?*

*Xenophon in Cyrop. l. 8.*

*Bartol L. omnes populi ff. de juſt. & jure.*
*Apul. l. 10.*
*Theod Codic. ad leg. Juliam L. 1*

# QUÆSTIO IX.

## *De Melle.*

CONcluſio prima. Apes non conficiunt mel, ſed tantum è floribus & frugibus colligunt productum à natura. Ita Ariſt. 5. de Hiſt. animal. 22. Ratio eſt, primò, quia ut conſtat experientiâ, mel eſt annona, quâ vivunt, & paſcuntur apes, & conſervatur ab ipſis in ſuis cellulis, ut ſit earum nutrimentum tempore hyemis, ſicut cera deſervit ad conficiendas domos, & parietes ſolidandos. Secundo, quia uno aut altero die cellas melle repletas inveniunt apiarii. Tertio, quia autumno mel ſibi detractum non reparant, cùm tamen illo etiam tempore flores ſuppetant, & ſublato magnâ ex parte cibo, & ad inopiam redactæ repeterent certè, quâ vigent ſolertia ac providentia conficiendi mellis, ſi id conficerent è floribus. Accedit, quod obſervatum ſit, apes ore quidem mella colligere, ſed non dimittere in ventrem, ſed exonerare crura, & coxas, in quibus ſunt inſtar pilorum eminen-

eminentia quædam repagula detinentia mel, ne decidat, onuſtas verò ad alvearia prædam aſportare, ubi inveniunt parvas quasdam apiculas, quarum munus eſt, exonerare portantes mel, & deinde ad prædam remittere. Non nego tamen, mel calore apum, dum ei incubant, aliquomodo alterari & perfici, ſicut gallina fovens perficit ovum, & excludit pullum. Hinc viceſimâ die mel concreſcit, moxque obducitur tenui membrana fervoris ipſius ſpuma.

Concluſio ſecunda. Veroſimile videtur eſſe, mel non eſſe humorem roridum e cœlo deciduum, ſed potiùs ſuccum florum. Ratio eſt primo, quia apes colligunt mella ex floribus non ſolùm ſummo mane, cùm humor roſcidus decidit, ſed etiam fervente jam die, cùm Sol, ejúsque calor penitus rorem exſiccavit. Secundo Apes plerumque attrahunt mella ex floribus terram reſpicientibus, neque ex patulis hiantibùsque ſidera verſus; ſed roſcidus hic humor cœleſtis ab his, & non ab illis excipitur, ergo. Tertio ex qualitate florum & herbarum qualificatur, mel enim ex thymo dicitur optimum, ex abſinthio amarum, è ſpico odoriferum, ergo ſignum eſt, mel eſſe ſuccum florum & herbarum. Accedit cœleſtem illum humorem non ſolùm ſuper flores, ſed etiam ſuper frondes cadere. Et tamen apes non niſi ex floribus, & neque iis omnibus mella colligunt. Paritas etiam eſt à Saccharo, quòd è certis arundinibus ſugitur, ergo etiam mel è certis floribus, imò conſtat experientia, quod ſi thymum, & alios certos flores leviter quis exſugat, melleam dulcedinem deguſtare.

Concluſio Tertia. Probabilius tamen eſt, mel eſſe humorem roſcidum, & ſuccum prædulcem è cœlo deciduum, herbis, foliis, floribusque adhærentem, Unde nihil aliud eſt, quàm terreſtris exhalatio aqueo permixta vapori, ſimùlque fermentata in infima aëris regione. Ratio eſt, quia quando humidum aqueum non multùm diſſolvitur, prædulcis gignitur ſuccus, ita vero in præſenti contingit, ergo. Hinc hujusmodi liquore ſub prima aurora folia arborum roſcida inveniuntur: eodem perunctas veſtes & concretum capillum ſentiunt aliquando, qui noctu ſub diu fuerunt. Confirmatur Authoritate Ariſtotelis dum libro 5. de hiſt. animal. c. 22. docet, inquiens: itaque apes conſtruere favos è floribus, ceram ex arborum lachryma effingere, mella ex rore aëris colligere. Addit Ælianus, in Media ſtillare mel ex arboribus, & in India, maxime in regione Praſiorum, liquido melle pluere, quod in herbas, ac paluſtrium arundinum comas decidens, pecori mirificè gratum eſt.

Ad argumentum primum in contrarium, reſpondetur, male ſupponi Solem ejusq; calorem totum penitus rorem exſicaſſe, ſolum enim exſiccârunt illum, qui foris apparebat, non autem, qui intus in floribus latet, aliter omnino ſicci, & veluti emortui eſſent flores, ſicque hunc rorem, qui intus latet, ſugunt apes, quando jam ferveſcit dies. Ad ſecundum dicitur, ab omnibus floribus, tum pendulis, tum patulis excipi, & colligi ab apibus hunc roſcidum & cœleſtem humorem; potius tamen illum ex pendulis colligi, quia magis ibi conſervatur, fugiens ab inimico calore. Ad Tertium dicitur, eam mellis diverſitatem non ex diverſitate florum, ſed exhalationum & vaporum, ex quibus fit ros ille cœleſtis, colligi; licet ex diverſitate florum aliquando bonum, & aliquando amarum ſit, id enim evenit ob aliquas florum qualitates rori admixtas, à quibus etiam poteſt illa mellis diverſitas provenire. Ad quartum negatur, quod apes nonniſi ex floribus mella colligant, licet verum ſit ea potiſſimum inde ſugi; cùm magis ibi conſervetur cœleſtis humor, utpote quod flores ſint magis ſpongioſi, quàm frondes; & ſi magis in unis, quàm in aliis floribus mella colligunt, eſt, quia aliqui flores ob aliquas ſuas qualitates rorem ipſum magis inſipidũ reddunt, ab ipſisque magis avertuntur apes. Paritas deſumpta à Saccharo nihil concludit, quia non eſt ejusdem naturæ cum melle, nec eædem rationes militant pro illo. Ad illud, quod additur, reſpondetur, ex hoc ſolùm probari in Thymo & ſimilibus floribus contineri mel, non tamen, quod illud ex ſe habeant, & non aliunde ſuſcipiant; cùm tamen poſſint illud continere aliunde ſuſceptum ſive è cœlo ipſo elapſum, & ſic ſuſcipere dicimus rorem illum cœleſtem, quem continent.

Ex his colliges, materiam mellis eſſe partim terreſtrem exhalationem & vaporem in rorem concretum; partim puriſſimas florum exhalationes, è quibus præcipua eſt dulcedo, ideò enim apes herbas eligunt, quia non omnes æqualem melli dotem affundunt, ſicque è floribus, quibus ſunt jucundi ſpiritus, cujúsmodi eſt thymus, mel laudatiſſimum prodit, quibus ſunt ſpiritus injuncundi, amarum exit mel, ſicut in Sardinia amarum dicitur eſſe, quia ex abſynthio legitur; & in Heraclea venenatum, quia legitur ex aconito.

Concluſio quarta. Dividitur mel in tres ſpecies: aliud dicitur anthinum, ſeu vernum, quòd è primis floribus colligitur; aliud horæum, ſeu æſtivum, quod ardente Sirio legitur, & aliud ericæum, ſeu autumnale, floreſcente ſcilicet erica, & eſt omnium peſſimum. Mel præterea aliud eſt nativum, aliud factitium. Nativum aliud domeſticum, aliud ſylveſtre. Mel laudatius communiter in regionibus magis calidis colligitur, quia meliùs excoquitur; ſed dicitur tamen illud in Ruſſia naſci optimum. Copiam præcipuè Lithuania & Moſcovia habent. In Troglodytiæ parte, quæ dicitur Belgada, mel candidum adeò, ut ne nivibus qui-

dem cedat; durum verò quaſi lapis. Scalig. Exerc. 191. ſ. 1. ſolidum etiam in Calicut, ita ut in Sportis contineatur.

Concluſio quinta. Effectus mellis varii ſunt: Imprimis enim corpus melle illitum, etſi exanime, per multos annos ſervari à pudredine incolume, Columella tradit. Ideò apud quosdam, ut author eſt Xenophon, mos fuit, ſepeliendi mortuos in melle; naturæ enim terreæ cùm ſit, partes habet ſicciores, quæ humorem ſuperfluum, & adſcititium exſiccant; aliunde lentore ſuo corporũ poros ita ſtringit & occupat, ut humido innato vis exhalandi præcludatur. Quæ ratio facit, quòd botri, pruna, cæterique fructus melli aut etiam ceræ liquatæ intincti plurium etiam annorum ſpatio innoxii & recentes ſerventur. Ob eandam vim calefaciendi & exſiccandi pituitoſis mel optimum eſt; à bilioſis autem in bilem vertitur. Utiliſſimum dicitur contrà ſerpentis morſum. Coctum conſtringit ventrem; crudum ſolvit. Præ vetuſtate amareſcit, dulcia enim aceſcunt poſt partium reſolutionem. Panis mica melli injecta illud corrumpit, non autem farina. Zenon pane, ac melle; Pythagoras ſolo melle vixit, ut dicitur; Democritum autem ſolo mellis odore vixiſſe fabuloſum creditur; ſicut ſuperſtitioſum, quod placentâ mellitâ mortuis miniſtraretur ad placandum Cerberum, ut narrat Suidas; ſemper tamen initio, & in medio menſæ olim mel miniſtrabatur.

Quæres primo. Unde aureus melli color, dulcedo & viſcata tenacitas proveniat. Reſpondeo, quòd color ignem, ſapor materiam benè excoctam, & tenacitas eandem percolatam probet. Hinc cùm igne multo conſtet, nil mirum, quòd flammam alat.

Quæres ſecundò. Cur mellis infima pars laudetur, cum olei commendetur ſumma, vini media? Reſpondetur, cauſam eſſe, quia optimum id mel habetur, quod minus fluit, & quaſi ſaccharum concreſcit, præcipuam etiam habet dulcedinem, tale verò ſuo pondere ad ima labitur. At oleum id excellit, quod nitidius eſt, & defecatius, magisque aëreum; hoc autem, quia leviùs innatat. Denique vini vis in calore conſiſtit, qui ut noxam fugiat maximè colligitur circa medium; inferior autem pars fæci vicina ſordeſcit, & ſaporem amittit, ſumma ab aëre proximo læditur, nam aërem infeſtum eſſe vino, vel id ſatis arguit, quod dolio pleno vinum minus vapeſcit, quam ſemipleno; tum, quod munitum operculis extrinſecus illitis, vel ſubtus terram defoſſum, quo aër non pertingit, diutiſſime conſervetur.

Quæres tertiò. Qualenam fuerit illud mel ſylveſtre, quo D. Joannes veſcebatur in deſerto? Reſpondetur, diverſiſſimam in hoc eſſe Interpretum ſententiam. Rabanus putat, eſſe arborum folia candida, quæ trita manibus ſaporem quaſi mellitum exhibent. Alii volunt, eſſe humorem ex arborum foliis collectum. Faber credit, eſſe illud, quod apes deficientibus aliis floribus colligunt ex erica, qui frutex autumni tempore flores emittit, cùm reliquæ omnes herbæ & virgulta deflorueront, eſtque id mel, ut ſuperius annotavimus, injucundi ſaporis. Ad quam ſententiam aliquantulum accedit Iſidorus. Non eſt herba, inquit, mel ſylveſtre, ſed mel montanum, quod ab agreſtibus apibus conficitur, ſummeq; amarum eſt. Ex his opinionibus quænam veriſimilior ſit, Lectorum arbitrio relinquimus

# CONCLUSIO POLITICA.
## Per adverſa venitur ad ſecunda.

Nucleum quæris? corticem frange; neque enim otioſo datur corona, neque mel delibare dignus eſt, qui fel ſumere recuſat. Dulcia non meruit, qui non guſtavit amara. *Utile eſt, ad uſum ſecundorum per adverſa veniſſe*, ſcripſit C. Plinius ſecundus. Apes ex amariſſimo thymo mellificium colligunt, atque intra viſcera ſua ex amarore dulciſſimum favum conficiunt, ait Plutarchus. Quia de induſtria, dum mella colligunt, acerbioris ſucci ſtudioſæ ſunt, quaſi rationalis naturæ ſcholares. De illis enim Plinius ſcribit: *Ante omnia* Plin. l. 11. c. 6. *alvearia non intus modò, ſed circumquaq; ſuccis amarioribus illinere, iisdem quoq; fores latiores circumſtruere. Apum cibus, dum operantur, & ipſe amari ſaporis.* Ex amaro ſucco dulcem liquorem extrahunt; neque ſuavitatem colligerent, niſi inamœnis priùs paſcerentur. Ille Plin. l. 11. c. 12. cœli ſudor, illa ſyderum ſaliva (ſic citato Plinio libuit dulce mel indigitari) ille purgantis aëris ſuccus, eſt amara dulcedo; delibare dignus non eſt mellis favum, cui non amaritudo labia caſtigârit, dulcedo ſequitur. Miſerrimus es, ſi nunquam miſer fuiſti. Transegiſti ſine adverſario vitam? nemo ſcit quid poſſis; ne tu ipſe quidem. Non ſcit æſtimare ſanitatem, qui nunquam fuit infirmus; quàm nobilis ſit favus mellis, neſcit, qui non è contrario fel deguſtavit. Non eſt dignus prœmio, qui nunquam certavit: ſtatim arma ſubmittit, & ad levem jacet impulſum, quem arena nunquam exercuit: Sine merito aſcendere, molles Adoni-

Adonides quærunt. Non eſt tua gloria, quam ipſe non peperiſti, ac proprio plantâſti ſudore. Alteraberis afflante Boreâ, quia adverſis ventis non aſſueviſti. Dejiciuntur acerbioris ſortis aurâ, qui ſemper in croceis enutriti nunquam cum profligatâ fortuna manus conſeruêre. Quos velut in lento mari tranquillitas iners fovet, quidquid illis acciderit, novum

46.

N. 46.




veniet. Glaucum melle ſuffocatum ſcribit Æneas Gazzæus. Dulcia movent bilem, & ſua-
vem potum ſequitur amaritudo. Qui vero ab inamœno hauſtu inchoavit, *dulcedo ſequetur.* *Gaz. in*
*Plerumq; amara hauſtu ad ſalutem valent, & ſuccis triſtibus affecta refoventur*, ait Symmachus. In- *Theophr.*
Indis regio quædam adeò amica eſt, ut decidente pluvià madidus ſimul & mellitus ros afflu- *Symmach.*
at, cujus illapſu amariſſimum quodvis germen pro innato amarore dulcorem induit. Sit li- *in epiſt.*
cèt arduus ad virtutem niſus, omnèsque arteriæ pro lauro intendantur: amara portio dulce- *Ælianus.*
dine prœmii conſpergitur. Pro dulci otio, aut laboris mercede ita jucundum eſt, quidquid *Cicero in*
amarum videtur, *ut* (dicente Cicerone) *& vos, & majores veſtri, & fortiſſimus quisq; vir maxi-* *Rullum.*
*mos labores ſuſcipiendos eſſe putet.* Ingentia pericula, navigationis incommoda non fregerunt Jaſonis animum, ipſum ad venenata monſtra arduum iter lactea ei via erat, quam velleris aurei ſpes dulcoravit, Athletam populis palma deſignat eſſe victorem. Sudores bellicos civica corona teſtatur. Exprobrata militia creditur, quæ irremunerata tranſitur. Velle honoris apicem per roſarum ſtrata ſine ſpinis conſcendere, effœminatorum eſt: nec Hercules pro corona iners decertavit, *& virtutem poſuêre Dii ſudore parandam.* Vidit Roma in Vatinium nauci hominem Prætoris munus collatum, neglecto M. Porcio Catone, viro virtutum conſpicuita-
te incomparabili: heu in quæ lamenta Plutarchus & Seneca cum Val. Maximo prorupêre, *Val. Max*
quod qui croceos vixit dies, & non guſtavit amara, dulcia obtinuit. Hoc eſt coronare cucur- *l. 7. c. 5.*
bitam, & in ſtipitem ſceptrum conferre. Currentibus, & navigantibus, certantibus & vincenti- *Caſſiod. l.*
bus, non ſtertentibus corona dabatur, quando ſana judicia Romani ferebant, & Romanum in- *2. var. ep.*
genium ſequebatur Theodoricus Rex æquiſſimus: *Studii noſtri eſt, remunerationem recto conferre pro-* *Epiſt. 6.*

*poſito, & bonæ indolis viros fructu impenſæ benignitatis ad inſtituta meliora accendere.* Spes prœmii ſummarum eſt operationum parens; & licet pulcherrimum ſit ſui prœmium virtus, pœnitet tamen multos gratis bonos fuiſſe. Virtutis appendix prœmium eſt. Faſces Imperii non dantur, niſi manibus fatigatis, nec competit corona, niſi capiti, quod ſudavit & alſit. Græci & Aſſyrii, Perſæ & Romani, Celtæ & Germani ad tot gloriæ trophæa non è molli ſtrato, ſed è ſanguinea ſunt ſemita eluctati.

*Qui cupit optatam curſu contingere metam,*
*Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit.* Horat.

# QUÆSTIO X.

## *De Manna, & Sacharo.*

Concluſio prima. Manna eſt ros temperatiſſimi tum cœli, tum loci ex puriſſimo & præpingui terræ vapore, in infima regione aëris convenienter admodum percocto, & frigore temperatæ noctis denſato genitus. Ejus igitur materia eſt vapor pinguis & purus, qui non eſt inquinatus ullis putridis, aut corruptis exhalationibus. Cauſa efficiens eſt calor Solis in diuturna ſerenitate hunc evocans in aërem, eum percoquens, depurans, & ad optimam formam præparans. Forma eſt ſuaviſſima melligo, penidii inſtar, lubrica & viſcoſa.

Ex quo patet, vix manna differre à melle niſi corpulentia & concretione, eſt enim eadem materia roris, quæ ſi concreſcat per ſeipſam, priusquam ab apibus illa colligatur, eſt manna. Dicitur à quibusdam cœli ſudor, ab aliis mel aëreum, à nonnullis ros Syriacus, quod copioſè illud colligatur in monte Libano, Invenitur etiam laudatiſſimum in Calabria. Obſervat tamen Cabeus, duplicis generis eſſe manna. Primum eſt roſcidum, quod defluit, & concreſcit ad modum pruinæ, & colligitur ex frondibus, floribus, ſtipulis, lapidibus, & de hoc hactenus dicta. Alterum eſt, quod exſudat ad modum gummi ex duplici genere arborum, hoc eſt, ex orno & fraxino in ſummis caloribus æſtatis, hoc eſt, à 15. Julii usque ad 30. Auguſti. Hujusmodi fortaſſe fuit illud mel, quod Galenus lib. 3. de alimento facult. cap. 19. ait in plantis naſci. Ejusdémque generis eſſe cum rore, illúdque in monte expanſis coriis legi, ac fictilia eo repleri; & illud, de quò Dioſcorides ait l. 2. can. 75. narrare Curtium in ſuis hortis in Hircania eſſe arbores, quarum folia multo melle irrigantur, quod ante Solis exortum colligi neceſſario debet. Addit P. Maurus, cùm plerúmque ſolum in illis locis fluat manna roridum, generari ex halitibus, vi caloris extractis á manna terreſtri, & commiſtis humido vaporum. Ideo manna roridum habet naturam affinem mannæ terreſtri, & ſimiles effectus producit.

Quæri hic ſolet, num manna Hebræorum ejusdem fuerit ſpeciei, cum vulgari manna? huic quæſito, ut reſpondeam ſit

Concluſio Secunda. Manna Hebraicum idem fuiſſe, ac noſtrum quoad ſubſtantiam; quamvis quoad modum diverſificabatur, nimirum, quia prius cernebatur in modum pruinæ, abundantius cadebat, ſtatim in grumos coaleſcebat; adulto ſole corrumpebatur excepto Sabbatho; deſerto cadebat, ubi alioquin generari non poterat, &c. Unde circumſtantiis miraculoſis exornabatur illius generatio, dum ſupra uſitatum naturæ modum perficeretur, applicantibus videlicet ad id Angelis naturalia activa paſſivis. Tametſi non negandum ſit, manna illud accidentariis quibusdam excellentiis multò fuiſſe perfectius V. Conimbr. tr. 7. c. 9.

Concluſio Tertia. Saccharum eſt ſuccus quidam dulcis, & candidus, qui exprimitur ex Indicis arundinibus; ideò non eſt meteorum hujus diſſertationis, nec ejusdem cum melle naturæ, cum in arundinibus contineatur, è quibus ſuccum hunc extrahi notant Scaliger, & Matthiolus; vel enim exprimitur ex illis & decoquitur uſque ad candorem & ſpiſſitudinem; vel ſponte prodit ex arundine, ſicut cæterarum arborum lachrymæ; Unde dum Plinius Saccharum nucis avellanæ magnitudine creviſſe ſcripſit, non intelligendum eſt, quaſi Saccharum fructuum inſtar in arbore germinaret; ſed quia ſudantium præ ubertate arundinum Lachrymæ, niſi maturè ſcindantur, exuberant; & in gemmam durantur, non ſecus ac in arboribus reſina naſcitur.

Quæres 1. Quæ ſint Sacchari qualitates, & affectiones, & cur ſit candidum? Reſpondeo, Candorem illius communem cauſam habere: eſt enim ad inſtar ſolidioris ſpumæ concretum, omnis autem ſpuma candet, cujus cauſa alibi inſinuata. Liquatur deinde etiam Saccharum, & coquitur, quia præter igneos ſpiritus etiam humore conſtat. Calore ſuo cruditatem fructuum temperat, & caſtigat, unde ſingularis ejus uſus in condiendis fructibus iisque conſervandis, Saccharo enim conditi longè diutiùs à corruptione intacti perdurant, & conſervantur, nam omnes illorum poros & meatus ſic obſtruit, ut nihil avolare de requiſitis eorũ accidentibus patiatur. Unde mirum ſane molliſſimũ ceraſum, quod ſibi relictũ paucos poſt dies in corruptionem degene-

degeneraret, ſaccharo ubi conditum per plures annos conſervari illæſum. Cæteras cum melle qualitates communes habet, ſalubriùs tamen illo tum in condiendis cibis, tum in medicinis temperandis. Memoratur etiam, quod cannis, è quibus ſaccharum decoquitur, adeò tenereſcant porci, ut caponibus teneriores reddantur, quod haud dubio vi calefactivæ, & melliflux relictæ in illis humiditati ac pinguedini attribuendum.

Quæres ſecundò Utrum antiquis notum fuerit ſaccharum? Reſpondeo affirmativè, quoad notitiam hujus ſubſtantiæ; Plinius enim lib. 12. c. 8. ſic loquitur: Saccharum & Arabia fert, ſed India laudatiùs; eſt autem mel in arundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus frangibile. Et Seneca ep. 81. ajunt, inquit, apud Indos mel inveniri in arundinum foliis, quod aut ros illius cœli, aut ipſius arundinis humor dulcis & pinguis eſt. Megaſtenes etiam Indiam aſſerit, ferre in arundinibus mel ſine apibus. Ex quibus ſatis conſtat, inaudiſſe veteres multa de ſaccharo.

Quæres tertiò, an etiam illis fuerit notum artificium exprimendi ſaccharum ex arundinibus in molendino, in quo teruntur cannæ, cujusmodi eſt apud nos. Reſpondeo probabiliter negativè. Unde habebant ſolùm aliquas & pauciores hujusmodi cannas, quibus ad ſola ferè medicamenta utebantur. Meminit tamen Sacchari noſtri per torcular expreſſi Varro Narbonenſis, qui vixit imperante Julio.

*Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,*
*Dulcia cui nequeant ſucco contendere mella.*

Colliges ex Scaligero, qui alterum adhuc ſacchari genus reperiri ait, quod non ex arundinibus trahitur, ſed ex Arabica radice Tigala; dicit enim, erodi herbam á vermiculo quodam, unde ſaccharum exturgeſcit in minutas grandines.

# CONCLUSIO POLITICA.
## De manè conſilium.

Diffluit ad Solem manna, & ab exiguo radio calefactum tabeſit. Auroræ ſoboles eſt, antequam diſcit, ſapor emanat. Ceſſat manere manna, ſi manet ad Solem. Optima Reipubl. portio, & velut politici corporis fruſtum, conſilium eſt. Verùm: De manè conſilium. Aurora conſiliorum obſtetrix eſt, matutinâ vigiliâ acriores ſpiritus colliguntur. Depuratur cerebrum antelucano ſtudio, deſœcatum conſilium eſt, ad quod aerora manuducit. *Præcipua Politici pars eſt, ut vigil ſemper excubet, utilitati & commodo publico.* Unde admotis ſemper ſtimulis ſe excitabat, ſi quo caſu ad pauculas horas quietem expeteret, qui publicas habenas novæ Hiſpaniæ ſuſcepit; author eſt Joannes Boterus. *Jo. Boter. l. 1. dictor. memor. viror. illuſt.* Non eſt conſilium callidum, quod calet à lectiſternio, nec illuminatum, quod alto Sole illuſtratur. Electio indiget matutina meditatione & exporrectâ induſtria: ubi negligentia eſt nulla, ibi fortunæ non eſt pigritia: at *ubi te ſocordiæ & ignaviæ tradideris, nequaquam Deos implores: irati enim, infenſiq; ſunt.* Salluſtius. Nota eſt Perſarum vigilantia; ſummo enim mane aures Regis vellicabat vigiliarum internuncius: *Conſurge Rex, & obi negotia, quæ te obire voluit Meſoromasdes.* Id laudis Ageſilao adſcribit Xenophon, ſomno illum non ut Domino, ſed ut mancipio uſum fuiſſe. Sidus Reipul. Politicus eſt, ante lucem luceat; Phosphorus ſit, Solem excitet. *Non Atridem Agamemnonem, paſtorem populorum, ſomnus tenebat dulcis, multa animo volventem.* Homerus. *Hom. Iliad. 2.* Ex naturæ rudimentis antelucanæ ſolicitudinis fructum percipe. Leo princeps ferarum, etiam dum cubat, excubat, apertis ſopitus oculis, dum dormit vigil; Delphinus æquoris Rex, nec in requiete ſiſtit, importuno agitatus motu; imagine quoque attendentis ſomnum expergiſcendo libat, nunquam cognoſcit dormire; aquila, quæ dominatur ætheri, pertinaci valet obtutu, & genus ſuum obſervantiâ pericitatur luminis. Etiam venenatorum princeps, Regiô propterea nomine decorus, viſu pollet, & virus per oculos ſpargit. Rex elementorum Ignis perſpicuus & lucidiſſimus eſt, ipſius lucis focus & fax: qui ut perpetuò vigilet, vigilantia verſabilium ſervatur. Siderum quoque Monarcha Sol, oculus mundi dicitur, ſomno & quiete caret, nunquam non ſuum regnum luſtrat. Politicus itaque mundi oculus eſt, mens communit, lumen Reipublicæ, intellectus civilis corporis, cuſtos omnium, caput populi; privilegiarios habeat oculos, Argus ſit, ſciátque, non poſſe fieri ſimul, ut otio indulgeatur, & ſana conſilia capiantur. Ita ſomni portio conſervet publici boni promotorem, ut pars vigiliarum promoveat bonum publicum.

Octavia-

*Sen. conſol. ad Polybium c. 26.*

Octavianum Seneca commendat. *Omnium domos illius vigilia defendit. Ex quo ſe Cæſar orbi terrarum conſecravit, ſibi eripuit, & ſiderum modo, quæ irrequieta ſemper curſus ſuos explicant, nunquam illi licet vel ſubſiſtere.* Paſtoris munus qui ſubis, incommoda ſuſcipis, aliis cubanti-

47.

*N. 47.*




*Plut. libel. adv. Ducem imperitū. Laert. l. 1. Ælian. l. 2 c. 31. Plinius in præf ad Veſpaſ. Maurit. l 8. ſtrateg. Liv. l. 1. dec. 1. Sineſius lib. de regno.*

bus, in cubili vigiles, tuorumque ſomno proſpiciens Epaminondam agas: *Ille enim dormientibus civibus luſtrabat urbem, & muros vigil obambulans agebat excubias. Petenti, cur id faceret, reſpondit: ut cæteri in utramque aurem dormirent.* Deriſit antiquitas Epimenidem, qui quinquageſimam Solis orbitam fertur dormiviſſe. at Deorum numero digni cenſebantur ab Indis, Celtis, Ægyptiis, qui inſomnes pro grege vigilant, maturè conſulunt. *Profectò vita vigilia eſt*: celebris ſententia eſt C. Plinii ſecundi. Vivere eſt agere; qui ergo ſomno indulget, vivere deſinit, nam ceſſat agere. Aurea mala Heſperidum Draco vigilans cuſtodit; ubi excitati Conſiliarii excubant, aurea tempora redeunt. Unde Imperator Mauritius in ſtratego ſuo requirit: *Modicè vivere & de nocte conſilium capere; de nocte enim & certiùs ſolet provenire conſilium, quieſcente mente à tumultibus externis.* Non caret aculeo Tarquinii factum. Sextus Tarquinius ad Patrem Tarquinium nuntium mittit, quid factu opus, ut Gabios in officio contineret? Nihil loquendo, multa reſpondit Tarquinius. *Rex velut deliberabundus in hortum ædium tranſit, ſequente nuntio filij; ibi ambulans tacitus ſumma papaveris capita dicitur baculo decuſſiſſe.* Somni conciliatrix papaver eſt: non ſunt apta Reipubl. inſtrumenta, quibus ſomno caput eſt grave. *Qui vigilare, & in maximo ſolicitudinum curſu verſari ſuſtinet, hic in genere quidem ovium Paſtor, in hominum vero genere Rex eſt.*

QUÆ-

# DISSERTATIO VIII.

## De Meteoris Aqueis in terra, & primò in ſpecie de Mari.

AQuea meteora in aëre genita hucusque ſat diu & fuſè ſunt expoſita; tempus monet, ut & ad ea, quæ intra terram generantur, deſcendamus, cujusmodi ex ſententia Ariſtotelis eſt tum mare, tum flumina, tum fontes, lacus, Thermæ, & ſimilia aquarum prodigia. Et in hac quidem diſſertatione dicendum ſolùm eſt de mari, pro quo ſit igitur

## QUÆSTIO I.

### *De quidditate Maris, ejusque diviſione & nominibus.*

COncluſio prima. Mare non eſt lachryma Saturni, ut docuerunt Pythagorici, nec terræ ſudor, ut voluit Anaxagoras & Empedocles, nec eſt animal ab ignibus æſtuans ſubterraneis, & magno ſudore diffuſum, ut finxit Keplerus, nec placet opinio Diogenis arbitrantis omnem locum, qui terram ambit, principio humidum fuiſſe, & aquâ repletum, tum Solis ardore exſiccatum, plurimam ejus partem in vaporem abiiſſe; eam verò, quæ remanſit, mare conſtituere, itaque marinam aquam primæ humiditatis reliquias eſſe. Ratio concluſionis eſt, quia ex terminis ipſis patet hæc figmenta eſſe.

Concluſio ſecunda. Mare eſt elementum ipſum aquæ, ab initio in unum terræ latus ſeparatum. Explicatur mare in ipſo mundi naſcentis exordio fuiſſe à Deo productum; ità tamen ut primò totam terræ molem undique complexum fuerit; deinde tertiò creationis rerum die divino imperio in eum locum, quem nunc habet, ſeceſſerit. Ex quo patet, cauſam materialem maris eſſe aquas conditas à Deo ab initio mundi, quibus etiam accedunt fluvii, fontes & flumina, nam omnia flumina exeunt è mari; & licèt alii amnes ab aliis excipiantur, omnes tamen tandem in mare influunt, quod ipſum Eccleſiaſtes 1. c. affirmat, dicens: *omnia flumina in mare intrant: & mare non redundat.* Cauſa efficiens, quæ illud in unum collegit locum, eſt Deus. Hic enim, ut Gen. 1. dicitur, *juſſit omnem aquam, quæ erat ſub firmamento, colligi in unum locum, & appellavit eam aquarum congregationem maria.* Forma ejus nulla eſt alia, quàm hæc aquarum congregatio, perpetuâ æſtûs alteratione, & fluctuum agitatione terram pulſans nec tamen eam obruens, ſed inter præfinitos terminos ſe continens.

Oppones illud Gen. 2. cap. *Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram, ſed fons aſcendebat è terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ.* Ex quo infe-res, ergo mare ex aliquo ſubterraneo terræ fonte erumpit. Verum reſpondetur, hunc textum ſic intelligendum eſſe, antequam cœleſtes pluviæ terram humectarent, earum vice fontes è terræ ſinu diverſis tractibus venisque diſtributos, ac ſuis locis exſilientes omnem terræ ſuperficiem, prout cuique parti conveniebat, irrigâſſe. Ità interpretatur hunc locum D. Auguſt. Raban. & Hugon.

Concluſio tertia. Etſi propriè unum tantum eſt mare, cùm Deus, ut dictum eſt, aquas in unum coëgerit locum, & hanc aquarum collectionem appellaverit maria; attamen ſicut unus & idem ſanguis totius corporibus variè per venas & arterias deductus alibi alias ſortitur apellationes, ità etiam aquæ maris communis eſt natura, quæ cùm per occultos terræ meatus atque canales in omnes totius terræ partes decurrit, peculiaria conſtituit maria. Dividitur celeberrimâ diviſione in Oceanum, mare Mediterraneum, Rubrum, Perſicum & Caſpium.

Oceanus dicitur à celeritate motus, eo, quod vehementi, celeriq; motu huc illucve agite-

tur, ὠκὺς enim celer eſt. Hic totam per circuitum terram inſtar magni & latiſſimi circuli ambit, efficitque ut terra ſupra & infra ſit aquis tecta, idque ex Dei juſſu, tum ad perfectionem & ornatum univerſi, tum in plantarum, tum in animantium uſum. Hic prout poſtea varias mundi plagas & Regiones oberrat, varia inde nomina ſortitus eſt. Ac primo quatuor appellationes, ex quatuor mundi Regionibus accepit. Ab oriente Eous dicitur, ab occidente Occiduus, á Meridie Notius, ſive Noricus, à Septentrione Septentrionalis. Secundo prout deinde quamque regionem perfundit, diverſa à littoribus ſuis traxit vocabula. Hinc Æthiopicus Atlanticus, Scythicus, Britannicus, Germanicus, Gallicus dictus.

Mare Mediterraneum illud vocatur, quod ex oceano erumpens, per medias terras diffunditur, & Europam ab Africa diſterminat, diſtribuitúrque in multa maria, Ibericum, Balearicum, Liguſticum, Gallicum & Adriaticum. Sequitur mox Siculum obliquè porrectum; inde Creticum, cui unâ ex parte conjuncta ſunt Ægyptium, Pamphilium, Syriacum; ex alia Ægeum, & Myrtoum, quibus objicitur ex adverſo Pontus diviſus in multas partes; pars enim illius intima Mæotis appellatur, altera in fauces contracta Propontis, quæ Aſiam, Europámque diſcriminant.

Mare rubrum, quod appellatur etiam Arabicus ſinus, incipit ab Inſula Socotora, terminaturque ad ſeptentrionem oppido Sues. Habet longitudinis leucas trecentas ſexaginta. De ejus vero appellatione varia ab Authoribus prodita ſunt. Plinius lib. 6. c. 23. Mare, inquit, rubrum dixère noſtri Græci Erythræum à Rege Erythra, aut ut alii, Solis repercuſſu tale reddi colore exiſtimantes; alii ab arena, terraque, alii ab ipſius aquæ natura. Philoſtratus lib. 3. vitæ Apollonii: Rubrum mare, ait, vehementer cæruleum eſſe tradunt. Solinus c. 46. rubrum mare, quod Erythræum ab Erythra Rege, Perſei, & Andromedes filio, non ſolum à colore appellatum Varro dicit, qui affirmat, in littore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oves biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant, quod fuerint uſque ad hauſtum. Arrianus 8. geſtorum Alexandri libro ſcribit, in mari rubro inſulam eſſe, cui, qui primus imperavit Rubro nomen fuit, ab ejúsque nomine mare illud rubrum nuncupatum. Verùm controverſiam hanc totam diremiſſe videtur navigatio Luſitanorum, qui, ut tradit Joannes Barrius hiſt. Ind. Decad. 2. lib. 8. cap. 1. dum mare illud pervagati ſunt, obſervarunt, aquas eſſe limpidas & omnis ruboris expertes, colorem vero hunc repræſentari ſolum ex rubris arenis, quibus maris illius fundus ſcatet. Ab hoc igitur colore mare rubrum appellatum eſt.

Mare Perſicum (quod etiam ſinus Perſicus à Perſidis populis vocatur, nunc Meſendum) qua parte mare accipit, utrimque magnis lateribus grande oſtium quaſi cervice complectitur, deinde terris vaſtæ aquæ portioni cedentibus magno littorum orbe reddit quaſi formam capitis humani. habet longitudinis circiter 280. Leucas.

Mare Caſpium, ſeu Hyrcanum dicitur à Caſpiis & Hyrcanis montibus, inter quos jacet. Videtur non tam eſſe mare, quam palus multorum fluminum concurſu ſtagnans, quia cum reliquo mari non eſt conjunctum, ſed undique cingitur terra, neque ulla ex parte patenter communicat cum reliquo mari. Exiſtimant tamen graviſſimi Authores, Oceanum Indicum per canalem ſubterraneum in ipſum infundi. Imò Kircherus in Mund. ſubterr. lib. 2. c. 13. & lib. 4. cap. 10. oſtendit, cum ſinu Perſico & cum mari Euxino per occultas ſemitas ultro citroque negotiari. Evidens autem argumentum eſt communicationis cum aliis maribus, dum innumeros recipit fluvios, nullum tamen emittit neque amnium in ſe deponentium multitudine augeri videtur, quod per occultos quoſdam meatus in alia vicina maria ſub ea proportione, ſub qua aquarum multitudinem recipit, exonerare ſeſe debeat. Herodotus in Clio ait, latum eſſe octo, longum dierum quindecim navigatione; ſed qui ipſum quotidie transmittunt, mercatores teſtantur, non amplius duodecim diebus univerſum ejus ambitum explere.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Affectus moderandi.

*Sen. ad Lucil. ep. 105. Horat. Turſell. l. 9. epiſt.*

UT *quibusdam animantibus ferum dedit, quibusdam ſubdolum, quibusdam pavidum; Ità nobis glorioſum & excelſum ſpiritum dedit natura. Magnanimos nos produxit*, ait Seneca, Turpe eſt homini jacere, turpius ſubjacere, turpiſſimum ſeipſum ſubjicere feris & belluis. Ad excelſa nati ſumus, ſublimioris ſphæræ, quam animantia. Quid paſſiones ſunt niſi belluæ? quid affectus indomiti, niſi effera animalia? Infra nos ſint, pedibusque ſubjaceant. Execrandum Tamberlani facinus, quia belluinum; conſcenſurus equum terga Bajazetis Turcarum Regis calcavit. Pari paſſu Diogenes Græcorum Imperator Ottomanniæ Sulta-

Sultano equum ſeſſuro ſcabellum fuit. At ſanctus hic faſtus & laudabilis ſuperbia eſt; infra ſe belluinos motus habere, & indomitis dominari affectibus, fræna ponere paſſionibus; ipſa vitia calcare. Vides maris Deum oceano leges dictare, fluctibus limites ponere, calcare pro- *Tyrius Antiſtes l. 1. belli Sacri.*

48.




cellas, marinis belluis habenas injicere; Quid mirum? Deus eſt, æquora frænat. At quid homo? Platonicum effatum erat: *Cognoſcendum eſt homini, ſe eſſe ex genere Deorum.* Dictator ergo belluarum ſit, feras cicuret. Antiqua hominis laus eſt à Triſmegiſto enunciata: *Terrenus quidem homo eſt Deus quidam mortalis: cæleſtis vero Deus eſt homo immortalis*: At Deorum annon eſt dominari? annon leges ponere, dictare jura, ſceptra rotare? ergo quantum Deo ſimilior es quantumque brutis præſtas, tantum brutalibus præſis affectionibus, dominare. Terrenus Deaſter cœli progenies; proles cœlo ſata excelſa pete, & per belluarum vertices faſtigia conſcende; noli ferinis motibus ſubjacere. Hercules & Achilles, Æneas, Romulus, Alexander Diis nati credebantur, quia fulgor quidam divinitatis ex ſubactis tot hoſtibus illis accrevit. Noſce teipſum homo. *Nec enim parvum eſt donum, ſeipſum agnoſcere, de cælis homo proceſſiſſe legitur.* Seneca. Unde monſtra paſſionum, feros fluctus vitiorum edomes, domeſticos hoſtes ſubigas, teipſum prudentiæ habenis in poteſtatem redigas, proximum Deo colloces. Quod ſi verbo uno comprehenſum velis: vince teipſum. *Vincere ſe ipſum omnium victoriarum prima eſt, & optima: vinci autem à ſeipſo & turpiſſimum & peſſimum.* Plato. *Cæl. Rhodig. l. 11, c. 17.* *Plato l. de legib.*

*Ardua res viciſſe alios, victoria major*
*Eſt, fluctus animi compoſuiſſe ſuos.* Mantuanus.

Teſtis adeſt Plutarchus, Alexandrum ſeipſum vincere, quam hoſtes, magis regium eſſe, exiſtimaſſe. Unde bis vincit, qui ſe vincit, in proverbio habebat Seneca. Habet Politicus tot pugnandi arenas, tot campos vincendi, quot feros motus, & belluinos affectus: Ita Muræna eſt amor, Siren eſt, timor Phoca eſt, odium Balæna eſt, triſtitia Delphinus eſt, voluptas Hippo-

potamus eſt, vindicta cephalus eſt; animi procellas excitant, naufragia minantur. Hæc qui paſſionum monſtra domat hoſtem vincit maximum. Adeo verum dixit facundiſſimus Romanorum: *Animum vincere, iracundiam cohibere fortiſſimi eſt. Hæc qui facit, non modo eum ego ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.* Præſtantiſſimus videri poſſet Seſoſtris Regis Ægypti triumphus, qui Reges quatuor à ſe ſubactos jumentorum in morem currum ſuum protrahere coëgit: At ipſe paſſionum mancipium, ſibi ipſi dominari neſciebat. *Eum demum optimum & laude digniſſimum dixerim, qui propriis affectibus imperaret.* Stare in faſtigio & è veſtigio jacere ſub vitio: ſedere in throno, & volutari in cœno, non hoc fortium, non ſummorum eſt. Turpe eſt Herculi Hydræ caput demetere, & vinci affectu; virum exuere fœminæ amore, & ſedere ad colum, pendere à collo, qui pectore immoto in ſinu jacuit victoriæ. Illud profecto primarium ac ſumme regium eſt, ſuiipſius Regem eſſe, mentemque domeſticæ belluæ quaſi moderatricem præficere: neque cum infinitis propemodùm hominibus dominari velis, ipſum turpiſſimum dominis, ſervire voluptati, dolori, & quæcunque his affines belluæ, ſuum in animali domicilium habent. Aurea hæc Syneſii verba ſunt Politici animo imprimenda, ut ne fluctibus paſſionum abreptus ipſæ præda ſit belluarum, ſed bellum belluis inferat, affectus gubernet.

*Cicero pro Marcello.*

*Sen. ep. 37.*

*Tunc omnia jure tenebis,*
*Cùm poteris Rex eſſe tui.* Claudianus.

# QUÆSTIO II.

## *De proprietatibus maris, & primo de ſalſedine.*

Concluſio prima. Inter maris proprietates primum ſibi locum vindicat Salſedo, quia ut experientia conſtat, mare ſaporem ex ſalſo & amaro permixtum habet, ideoque mare dicitur ab amaritudine; à ſalſedine ſalſum appellatur. Adverte tamen, non æqualem ubique ſalſedinem maris eſſe. Pontus enim Euxinus non ita ſalſus eſt, ut eo animalia non poſſint adaquari, ideoq; congelatur, adeo, ut ſub Copronymo centum milliarium glacies plauſtra tulerit altitudine triginta cubitorum. Oceani autem ultimi ſeptentrionalis glaciem æſtate etiam ſolſtitiali, ſex pedum altitudine nuper Hollandi repererunt. Frigidarum zonarum Oceanus minus habet ſalſedinis, creſcitque ſenſim amaritudo, quò torridam propius acceditur. Sic etiam mare autumno & æſtate ſalſiùs eſt, quam hyeme. Ex quo univerſaliter deducitur, maria quo calidiora ſunt & Solis ardori magis oppoſita, eo majori ſalſugine infecta comperiuntur. Ratio eſt, nam Sol majorem dulcis aquæ copiam attollit, & in vapores convertit, qui ſæpè verſus polos recidunt. Præterea ubi longior imber mare de cœlo perpluit, aut ubi major aquæ dulcis copia corrivata mare influit, minus ſalſum exiſtit. Ità in littore Malabrico menſibus præſertim pluvialibus propter magnam aquæ copiam, quæ ex montium jugis delabitur, aquam oceani pene dulcem experiuntur. Cumque in locis Borealibus per totum ferè annum pluat, fit inde, ut oceanus etiam ſeptentrionalis minus habeat ſalſedinis. Ingentes quoque fluvii qui magna aquarum dulcium copia in mare ſe ſe exonerant, ſalſedinem maris haud mediocriter attemperant. Ita fluvius ille magnus in Braſilia, vulgò *Rio della plata* dictus, oceanum influens ejuſdem aquas ultra 15. milliaria ità attemperat ut in grato dulcedinis ſapore perſeveret. Idem fere contingit in Africa, ubi Zaire fluvius in Oceanum infunditur.

Concluſio ſecunda. Hæc maris ſalſedo non provenit tanquam ex unica cauſa ex multitudine exhalationum aduſtarum, quas è terra Sol educit, ventiſque delatæ in mare decidunt, & cum aqua miſcentur. Ratio eſt primo: quia exhalationes, quas è terra Sol educit & adurit, non videntur ſufficere ad totum mare ſaliendum, præſertim incurrente tanta fluminum copia. Secundo, quia etiam flumina, fontes, lacus & paludes habent hujuſmodi exhalationes aut admiſcentur illis & tamen non contrahunt ſalſedinem. Tertio, quia cum ex aliquo corpore vi caloris aut ignis elevantur exhalationes, quod elevatur non eſt ita ſalſum, ſed pars potius fixa, quæ remanet, eſt ſalſa, patet hoc inductione, nam ſi aqua ſalſa diſtilletur, quod elevatur eſt inſipidum, ſal remanet in fundo; in cibo excrementa, quæ ſubſidunt & remanent, ſunt ſalſa e. g. urina eſt ſalſa & generaliter cum aliquid comburitur, cinis remanens eſt ſalſus, ideoque ſi aqua per cinerem coletur, fit lixivium, quod eſt ſalſum. Quarto, quia ſi hujuſmodi exhalationes aquæ admixtæ, eam ſalſam efficerent, etiam pluvia & nix, quibus immixtæ ſunt tales exhalationes, deberent eſſe ſalſæ, quod tamen eſt contra experientiam.

Quod tamen prædictæ exhalationes aduſtæ aliquid conferant, non omnino improbabile eſt. Nam ſapor ſalſus provenit etiam à permixtione humidi & ſicci aduſti à calore, non tamen ex toto decocti, ut patet in ſudore, lixivio, talis autem aduſtio eſt in terrenis exhalationibus mari permixtis. Analogia eſt etiam ab humano corpore, in quo calor nativus dulces etiam cibos in ſalſum humorem reſolvere conſuevit.

Con-

Concluſio tertia. Credibile eſt, quod Author naturæ Deus ab ipſo mundi exordio, quando tertio die congregavit aquas in locum unum, toti aquæ ſal liquidum admiſcuerit ad piſcium vitam, & contra putredinem aquæ. Ratio eſt, quia ex admiſtione illius corporis aqua fit ſalſa, quòd cúm ſeparatur, evadit inſipida. Deinde quia ex aqua maris verus ſal extrahitur, dum in quibusdam littoribus æſtivo tempore maris aqua in planitiem aliquam latè funditur, & retinetur, tunc enim Solis calore evaporatur aqua, & magna relinquitur ſalis copia, idem fieri poteſt per alembicum, quo ſi moderatum ignem adhibeas, excipitur aqua omnino pura, & in fundo vaſis relinquitur Sal.

Quæras tamen adhuc, unde hic ipſe liquor ſalſus ortus ſit? Reſp. credibile eſt liquorem hunc ortum eſſe vel oriri potuiſſe ex copia exhalationum, quas Deus ex aqua ſubito elicuit. Deinde cauſa eſſe poteſt, quia ignes nitro, alumine, bitumine ardent ſub mari efficiúntque ſaporem hunc ſalſum & amarulentum, accedente præterea torrida vi Solis, quæ ſalſedinem intendit coquendo & congregando bituminoſos ſpiritus, unde major ſalſedo eſt ſub zona torrida. Addit P. Maurus, quod ſicut in terra plures ingentes ſalis mineræ reperiuntur, ſic in eo maximo ſpatio terrarum, quod tegitur mari, ſunt plurimæ mineræ ſalis, quod cum ab aqua liquefit reddit illam ſalſam: unde etiam ex eo, quod quædam maria abundent pluribus, aut paucioribus mineris ſalis, fieri poteſt, ut ſint magis aut minus ſalſa. Confirmatur hoc ex relatione Inſulæ *Ormus* dictæ, quæ nihil pene eſt aliud, præterquam durus & candidus ſal, ex quo ædes ipſæ conficiuntur, uti neque ullus etiam in prædicta Inſula puteus aquæ dulcis reperitur. Unde ſalis copiam marinis aquis ſubeſſe videtur certum.

Quæres primo. Cur ex puteis circa mare effoſſis dulces hauriantur latices, etſi à mari plerumque derivati. Reſpondeo, rationem eſſe, quia per arenas trajecti & percolati terream illam concretionem exuunt. Ideo ut ait Plinius lib. 31. c. 6. demiſſæ in mare pilæ concavæ è cera, ſive vaſa cerea undique denſa ſine orificio, dulcem intra ſe colligent humorem, quia meatum anguſtiis partes duntaxat tenuiores aquæ & à terrena mixtione diſcæcatas recipient, unde excluſus remanebit Sal, utpote craſſior humore dulci. Sic etiam è lana appenſa lateribus navigiorum dulcis liquor exprimitur, quia ſuccus ille halitusvè marinus ut eſt valde ſubtilis, ita terrenæ aduſtionis nihil propè habet, ſicut nec pluviæ è vaporibus marinis ortæ, ſal enim aqua gravior in vapores non aſſurgit. Sunt tamen etiam multi fontes & lacus ſalſi, quando nempe ita è mari derivantur, ut non ſatis colentur; vel vero quia per venas ſalitas tranſeunt.

Quæres ſecundo. Cur loca marina ſint minus frigida. Reſpondeo cauſam eſſe, quod mare exhalationibus ſiccis & calidis conſperſum ſit. Hinc etiam marina aqua calefacit, & exſiccat, ut docent medici.

Quæres tertio. Utrum mare ſit magis ſalſum in ſuperficie, quàm in fundo. Reſpondeo, vulgò quidem dici, mare in ſuperficie majori præditum ſalſedine ob Solis calorem, qui partes humorum marinorum leviſſimas & ideo dulces aſſiduo extrahit, relictis gravioribus, in quibus ſalſedo conſiſtit, ex quo fit, ut aqua, quæ relinquitur, evadat magis ſalſa. Vero ſimilius tamen eſt, cœteris paribus, aquam maris in fundo ſalſiorem eſſe, quam in ſuperficie, quòd aqua ſalſa ſit dulci gravior; omne autem grave deſcendat. Deinde cum ex ſalis fodinis mari ſubditis ſalſedo potiùs, quam à ſolis exuſtione ſuam ducat originem, etiam aquæ his fodinis propriores majori ſalis copia imbui debent. Idem dicendum de littoribus maris; nam ubi vicinam ſalis mineram, mare continuis fluctibus alluerit, id ſalſugine in littote intenſiùs, quam in medio imbui neceſſe eſt; ut etiam ſalinæ, quæ ad ripam maris magno mortalium commodo inſtruuntur, ſatis teſtantur.

Quæres quarto. Cur marina aqua potui inepta ſit? Reſpondeo, cauſam eſſe, quia ſal linguam pungit, cùm conſtet ſpiritibus non facile à materia molli flexibilibus, qui in cuſpides erecti telorum inſtar linguæ poros ingrediuntur, atque ità penetrando pungunt, cùm econtrà partes aquæ dulces molliter fluidæ, ob facilitatem, quâ flectuntur, ſuaviter guſtum afficiant.

Quæres quinto. Cur aqua ſalſa calefacta ſalſior reddatur? Reſpondeo, quia cum multæ partes aquæ per calorem attenuatæ avolent, eadem ſalis quantitas minorem aquæ materiam ſuperſtitem magis conſequenter ſalſam efficit; ſal quippe, nec Sole, nec igne in vapores reſolvitur, nec bullienti aquæ injectus evaporat, alias nullus cibus coqueretur ſalſus; non quia natura gravior, multa enim gravia levioribus faciliùs attenuantur, ſic mercurius, aqua &c. oleo gravior eſt, cum tamen aqua præ oleo, & præ aqua mercurius citius abeat in vapores; ſed quia ſpiritus ſalis maximè fixi adeò tenaciter ſe materiæ intorquent, ut expelli non facilè poſſint.

Quæres ſexto. Cur piſces marini non afficiantur maris ſalſedine. Reſpondeo, cauſam eſſe, illorum calorem naturalem ſeparantem dulce à ſalſo. Hinc aqua duntaxat dulci nutriuntur, unde & ipſi minimè ſalſi ſunt. Occaſione hujus quæſiti, nota præter dicta de ſale tollibili

à marina aqua ſequentia : primo, ſunt qui ſpongiam ſalitam marinæ immergi volunt, quæ ubi ſemel cocta fuerit, omnem á ſpongia ſalem attrahendum ſpondent, quæ & coquorum obſervatio eſt, qui piſci ſalem exempturi, illum in aqua piſce plus ſalita coquunt, à copioſiori ſale minorem attrahendum exiſtimantes; Alii linteo triticeam farinam illigant, quæ marinæ immerſæ ſalem attrahit. Sunt & alia, quæ ſalem conſtringunt, ut ad fundum ſubſidat, ſic alumen lixivio injectum ſalem ad imum trahit.

Quæres ſeptimo. Cur ſalſa ſitim excitent? Reſpondeo, fieri hoc ex eo, quia ſalſedo fundum ventriculi petit, ubi ſubſidens concreſcit, ad quam diluendam appetitum humidi natura excitat, & niſi humidum affundatur, omnes naturæ humiditates ad ſalem diſſolvendum attrahit, ideò guttur & fauces ſiti exſiccantur.

Colliges primo. Veriſimile eſſe, maris ſalſuginem non ab una ſalis ſpecie promanare, ſed plures ſæpè concurrere adeo ut vitriolum, nitrum, alumen, & bitumen multum conferant ad majorem in uno, quam alio maritimo tractu ſalſedinem inducendam. Ita propter bituminis copiam in mari Aſphaltico ſive mortuo aquæ ſalſiſſimæ comperiuntur.

Colliges ſecundo, aquam marinam tum ob ſalſedinem, tum ob craſſam & viſcidam ſuam inde natam denſitatem, quibus imbuta eſt, ineptam plane eſſe lavandis linteis, & extinguendis ignibus. Sic mare ipſum aliquando arſiſſe teſtatur Livius decad. 3. lib. 31. & Theophane teſte apud Baren. tom. 9. anno Chriſti 726. æſtivo tempore vapor, ut ex camino ignis viſus eſt ebullire inter Theram & Theraſiam Inſulas ex profundo maris per aliquot dies, qui paulatim incraſſato & dilatato igniti æſtus incendio totus fumus igneus monſtrabatur.

## CONCLUSIO POLITICA.
## Prudentiæ ſal actionum eſt condimentum.

49.




Tul-

TUllium loquor: prudentia optima vitæ magiſtra eſt, conſiliorum præceptrix, actionum gubernatrix, felicitatis procreatrix, omnium denique virtutum Dux & moderatrix. Platonem loquor: Prudentia ſola præit, & ducit ad rectè faciendum. Ariſtotelem loquor: Fieri non poteſt, ut quiſquam vere probus ſine prudentia audiat. Satyricum loquor: Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia. Hæc eſt maxime regia, divináque virtus, in qua ſola Jovis excellentia ſumma poni poſſit, & quæ comites habet omnes virtutes; verba Plutarchi ſunt. Quo fit, ut neque Rex, neque Princeps, neque omnino Magiſtratus, quiſquam idoneus ſine prudentia eſſe poſſit, Pythagorico quodam Philoſopho Judice. Ut ſine oculo in prærupta declinatur; ita prudentia duce nihil non rectum geritur. *Quod enim acies videndi eſt in oculo, hoc prudentia eſt in animo*, ait Sophocles. Quomodo & Ariſtoteles prudentiam oculum animæ nominat. Unde Sceptro regio oculum junxerunt Ægyptii: neque enim ſine prudentia rectè gubernatur reſpublica, cùm ſine intellectu & delectu rerum nec privata ne● publica ſtare poſſint emolumenta. Eſt autem prudentia recta ratio, lumen quoddam afferens animo, quid fugiendum, aut ſequendum ſit ſine errore. Opus mentis à Tyrio Maximo dicta: Minerva de Jovis vertice nata, à Poëtis: & vis, & telum, & murus à Pythagora: vivendi ars à Cicerone: optima regni cuſtodia ab Iſocrate. Hæc ergo actiones Politici condiat, & guſtum det, & vitam. Qualis eſt aureus ille cœli oculus Sol, in terræ gremio ſalem excoquens, quo condimenta parat. Unde Timotheus Cononis filius, eum exoptavit Athenienſibus Ducem, qui velut Argus Panoptes à fronte pariter atque à tergo eſſet oculatus. Peccat, non ſibi ſolum, ſed toti multitudini, qui dum viribus etiam & potentiâ pollet, prudentiâ deficit. Quare non inſcitè Rudolphus I. hujus nominis Imperator, ut virtute, ſic nomine maximus, frequenter Symboli loco uſurpabat:

*Cicero. Plato in Menone. Ariſt. l. 6. Eth.*

*Regni prudentia cuſtos.*

Neque enim cujusvis eſt Rempublicam, ut & navim, gubernare; præſertim ſi fluctibus & procellis agitetur. Tranquillo mari etiam cœcus ad clavum ſedere poteſt; perturbato ſtatu ſumme intereſt, quis gubernacula teneat, an in polarem ſimul oculos norit conjicere, & maris naturam agnoſcere. Huic prudentia virtus neceſſaria eſt præſentium, futurorúmque intuitu oculata. *Hanc ipſam ob Cauſam*, Macrobio teſte, *Janus, qui optimi Gubernatoris typus eſt, geminam faciem prætuliſſe legitur, ut quæ ante, quæque poſt tergum eſſent, intueretur.* Divinitatis comites Romanis fuere, Antevorta, & Poſtvorta: Binis oculis in antecedentia & ſubſequentia collimandum eſt, prudentiæ adminiculo. *Melior eſt viribus ſapientia, & vir prudens forti præſtantior*: Philo Parum ſunt arma foris, ſi domi non eſt conſilium; multoque magis, expetenda eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo. Temerè in acie verſari, improvidè cum hoſte digladiari, belluarum eſt ſimile, quæ unguibus, non rationibus, cornu, non intellectu bella gerunt. Poteſtas ſine prudentia, quid aliud eſt, quam gladius in manu furentis? Ex quo recte Agamemnon, ille Græcorum Coryphæus decem Neſtoris, quam Ajacis ſimiles maluit. Scanderbegi gladius, Herculis clava, ut feciliter dimicent, prudentiæ oculo indigent. Chreunti Tireſias, Minoi Polieuctus, Ulyſſi Palamedes, Jovi Prometheus jungatur, potentia prudentiæ ductu armetur. Æneæ humeris ſenex Anchiſes incubet, fortes lacertos ſenile judicium comitetur. Sphyngis effigiem tibi opto Politice, *quæ qua parte beſtia eſt robur: qua vero parte homo eſt, prudentiam ſignificat.* Ex tot anfractibus & labyrinthis ut exeas, Ariadnæ filum neceſſe eſt; ex tot Mæandris & ſyrtibus cynoſura prudentiæ ſola educit. *Mihi plus mentem, quam manus valere, plus induſtriam, quam opes*, certum eſt, Juſti Lipſii ſermo eſt. Argumento prudentiæ omnes ſuas actiones formavit Ferdinandus II. prudentiſſimus æquæ ac Sanctiſſimus Auſtriacorum Imp. In rebus gravioribus conſtituendis hac Methodo deliberavit: primo mentem quavis perturbatione exemit: tum Deum ſtudioſe conſuluit, exinde alienum conſilium prolixe & patienter exquiſivit, plerumque quod plures cenſuerant, conſtituit, dicens: ſecurius eſſe Conſiliariis adhærere, etiamſi aliquando eventus fallat, quam ſuo unius judicio Regi.

*Syneſius orat. de Rege. Lipſ. Cent. miſc. ep. 94.*

# QUÆSTIO III.

## *De denſitate, & gravitate & colore maris.*

COncluſio prima. Aqua maris eſt denſior aquis dulcibus. Cauſa hujus eſt admiſtio ſalis. Hinc onera navium majora facilius ſuſtentantur ab aqua maris nec tam alte demerguntur. Ex hoc aliquando oritur, ut naves, quæ commode feruntur in mari, flumina ingreſſæ penè demergantur, ex cujus rei inadvertentia aliqui naufragium fecerunt, ut notat Ariſtoteles. Ratio eſt, quia in tantum naves & alia quæcunque ſupernatant aquæ, in

in quantum tota moles navis levior eſt, quàm moles æqualis aquæ, poteſt vero contingere, ut moles navis, quæ levior eſt aquâ marinâ ejusdem molis, non ſit levior aqua fluviali, ergò tunc ſubmergetur. Maris verò hæc gravitas oritur ex denſitate, cùm gravitas major ex majori denſitate ſequatur. Ex quo habes unam & alteram maris proprietatem de gravitate explanatam.

Concluſio ſecunda. Mare licèt denſius & gravius ſit aquâ dulci, perſpicua tamen eſt, quod inde patet, quia interdum ad magnam profunditatem fundus maris videtur, quod haud dubio magnam perſpicuitatem indicat. Hinc marmor appellatur, marmor vitreum ob denſitatem ſcilicet & perſpicuitatem, adeò enim illius aquæ quibusdam in locis claræ ſunt & limpidæ, ut fontanas quasvis limpiditate ſuperare ſoleant. Circa Inſulam *Ternate*, quæ una eſt ex Moluccis, Davitus de mundo, tom. 1. tradit, omnium aliarum aquarum marinarum clariſſimam reperiri, ut ad ſummam illic profunditatem injectæ ad fundum anchoræ, uti & minuta illic arena optimè diſcerni poſſit, ubi tamen valde profundum eſt mare, radii ſolares ad fundum usque colluſtrare haud valent, ſicut teſtatur Kircherus in arte magn. Lum. & umb. lib. 1. p. 1. c. 3. ſe ab eximiis urinatoribus, mancipiis Turcicis audiviſſe, qui in mari Erythræo unionibus corallísque inveniendis multis annis operam impenderunt, quod ad certam tantum profunditatem Solaris lux mare penetrare ſoleat, ubi verò altiſſimum ſit fretum, fundum ſine ullo lucis veſtigio in perpetuis tenebris relinqui; quarum rationem aliam non eſſe cenſet idem Kircherus, quàm multiplicium ſuperficierum conſtipationem.

Concluſio tertia. Diverſis mare coloribus tingitur non tamen veris, & è miſtura primarum qualitatum genitis, ſed apparentibus tantùm; viriditas enim ejus oritur ex diverſa reflexione lucis in opaco & perſpicuo, ſubruffus color naſcitur ex bitumine, nitro, & alumine, quia vel mari ſubſunt, vel ei ſunt admixta, aut etiam ex arena rubra, ut in prima quæſtione annotavimus. Similiter diſcurrendum de colore albo & nigro, qui etiam è profunditate magna maris oriri poteſt. Audiamus hàc de re pulchrè philoſophantem Cardanum lib. 10. de Subtil. Adeò, inquit, magnum eſt aquarum diſcrimen in mari, ut juxta Indiam in Æthiopiæ *directo* paſſum millibus ferè trecentis albeſcat, ut lac; alibi cœruleum ſit, alibi nigrum, alibi viride. Album eſt, cum arena alba ſubeſt mari minimè profundo; viride cùm mediocris fuerit profunditatis, cœruleúmque cúm magnæ, movetúrque; ſed ſi quieſcat, color ſit argenteus, ità Cardanus. Obſervatum etiam eſt à peritiſſimis rerum Philoſophis, ut ait Au. Gellius Noct. Attic. l. 2. c. 30. Auſtris ſpirantibus mare fieri glaucum & cœruleum, Aquilonibus obſcurum atriúsque, tempore Caniculæ turbidum. Unde colliges, ad apparentem colorum marinorum diverſitatem multúm etiam conferre ventorum magis vel minus ſævientium diverſitatem. Multum etiam ad hanc conducunt Solis radii, qui maris penetrant interiora, craſſioréſque partes commovent, non abſumunt. Qui marinis tempeſtaribus frequenter ſunt jactati, teſtantur mare per tempeſtatem commotam apparere velut metallum ignitum & fuſum; ſimiliter manus eodem tinctas videri ignitas, quod haud dubio bituminoſis & nitroſis exhalationibus, quæ tunc copioſiùs aſcendunt, adſcribendum. Ex his rationem pro ſequentibus deduces:

Primo ad Americanam quandam Provinciam Chiribichi mare ſingulis annis ſanguinis inſtar rubere ſolet; quocirca & mare ſanguineum appellari conſuevit, ut memorat Nieremb. l. 1. Hiſt. Nat. c. 27. volunt autem incolæ ab innumeris piſcium ovis, ibi generatis, hanc rubedinem ortum trahere. Idem accidit in Inſula Cabaqua, quod oſtreis adſcribitur, oſtreæ enim paſſim fundunt ſanguinem.

Secundò, mare mortuum à lentore & Aſphalticum à bitumine ſic dictum, Joſepho teſte, ter de die colorem ſuum mutare dicitur: mané equidem atro, ad meridiem cœruleo, veſperi rubeo infectum colore conſpicitur.

Tertio. Mare, quod *Bandinas Inſulas* 30. milliaribus verſus ortum diſſitas circumfluit, quotannis bis, Julio nempe & Auguſto noctu adeò candeſcit, ut nivis inſtar ſplendeſcat: interdiu verò conſuetum cum aliis aquis marinis colorem habet. Mare tunc noxio aliquo humore infici creditur. Vide Ephemer. Natur. Curioſ. Germ. Decur. 2. Anni 1. obſerv. 22.

## CONCLUSIO POLITICA.
## Gaudet oneribus Politicus.

LAtos humeros mare habet, portantem portat. Oneribus gravatur navigium, orientis merces in occidentem transfert; onus eſt leve, gaudet gravari, oneratum felicius pergit, neque oneri ſuccumbit; Par eſt ferendo. Et mare tot claſſibus oneratum, perpetuo com-

commeantium navium ponderi expoſitum, terga præbet, diurnis nocturnisque oneribus ſe ſubmittit: Par eſt ferendo. *Ita vir generoſus labores putat maximos ſuos Antagoniſtas, ſempérque amat cum his pugnare, tam noctu, quam interdiu: non pro apio, quemadmodum mulieres,*

50.

N. 50.




Joh. Sibylla Krausen fecit

*neque pro Oleaſtro, aut pinu, ſed pro felicitate aut virtute per totam vitam. Non vero tum, quum Elæi prædixerint, aut Corinthii, aut Theſſalorum communitas, quam non reformidat, ſed ultro provocabit omnes ex ordine, & ſimilia nunquam exiſtimabit ſibi gravia, ſed valdè levia.* Verba audiiſti Ethnici ex ſchola virtutis declamata, Dionis Chryſoſtomi. Inſatiabilis eſt humanus *Dion. Chryſ. orat. 8.* animus, qui ſi Alexandri ſit, ſicut unus ei non ſufficit orbis, ſic non deficit ad onus. Laboribus obviat, ad quævis ardua dextram eximit, nec ſiniſtris opprimitur. Plura potes, quam putes: quæ amara & ardua videntur onera, tentata dulceſcent. Quis credidiſſet, Atlantis colla cœlo non opprimi? Quis tantam portandi virtutem liquido elemento innatam putâſſet? Experimentum eſt, quod non tantum obferat, ſed & devorat. Animos aſſume, & quæ grandia videntur, grandiore auſu ſuſcipe. *Eſt fortitudinis proprium, & magnitudinis animi, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil quod homini accidere poſſit, intolerandum putare.* Cicero. Armis animus prævalet, qui reſoluta mente opus aggreditur, jam medium confecit. Supplet virium defectum animi fortitudo, & creſcit robur in ipſa rerum difficultate, *Cic. l. 3. offic.* ut cervis fruſtra ſunt ingentia cornua, cùm deſit animus, & ad fugam ſint proni; ita nec juvant Milonis lacerti, nec Atlantis humeri, ubi mens fatiſcit. Jacent Gigantes, ſi Nani ſunt in pectore. *Tanta cujusque ſunt bona vel mala, quantus eſt animus, qui ea ſuſtinet.* Cic. Telo animus præſtantior omni. Nil proſunt munimenta, ubi deſunt generoſorum ſpirituum fomenta. Fortitudo non in corpore, aut annis, ſed animis locavit ſedem. Magìs in ferendo, quam feriendo poſita eſt. Neque fugit, quæ gravia videntur onera, ſed ultro obviat, quia par eſt ferendo, *Audentes fortuna juvat.* Eratque Scipionis Africani in arena conſilium, cúm dubiâ pugnandum alea foret: *Audendum, atq; agendum.* Nam: *Fortuna virtutem ſequitur.* *Virg. l. 10. Æn. verſ. 284.* Sæpe quod viribus impar videtur, leviſſimum fit audendo. Turpis eſt ſuiipſius diſ-

fidentia, cum quod arteriis & artubus natura negavit, arte & induſtria aſſequimur. *Nihil audentibus eſt inexpugnabile, nihil ſatis munitum adverſus animoſos. Nam fortuna cùm benigna ſemel arriſerit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur.* Senecæ verſu pro ſymbolo uſus eſt C. Junius Poſthumus Imperator. *Fortuna fortes metuit, ignavos premit.* Immanis fera ad latratum canum lenta reſpicit, irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat, ad catelli luſum Leo non movetur, ad decumanos fluctus petra non frangitur. Sic animo generoſo, fortitudinis lorica armato, non nocent vitæ tempeſtates; nulla in eum cadit injuria; invulnerabilis eſt, licèt multa in eum tela conjiciantur; laboribus non premitur, quia appetit; tunc maximus cùm ſe illi fortuna appoſuit; exercitus dolorum & malorum non timet, quia *par eſt ferendo.* Etenim audere is mihi recte videtur, qui nihil temerè præſumit, nec ignave rejicit. Magnanimitatem moderatam eſſe debere, dicebat Alphonſus. Caro Carolo Burgundo ſtetit, Audacem plus æquo fuiſſe, at Carolo V. Fortuna in arma conſpiravit, quia nil temerè aſſumpſit, niſi quando fuit par ſerendo. Id conſilii à me cape: Noli ad quamvis umbram metuere: quæ tuæ ſunt ſphæræ, audenter ſuſcipe; imparem te ſentis? animos ne dejice. *Forti animo, & honeſta petenti, audentiq;, neque Dij, neque homines deſunt.* Nolim hic Miltiades & Themiſtocles, Lucullos & Alexandros Magnos proferre. Id, quod Fulvius Teſti in Auſtriaci Hiſpaniarum Regis laudem convertit, de tota Auguſtiſſima Domo Auſtriaco enunciari poteſt, Atlantis cœlo ſuccollantis ſymbolum: *Excedit robore pondus.*

*Liv. l. 22. Idem. Plutarch. Zenocar. l. 5. Caroli Jovius. Ful. Teſti. Cant. 1. Ind. Conquiſ.*

# QUÆSTIO IV.

## *De ſitu, profunditate, amplitudine & communicatione marium, ac nonnullis aliis quæſitis.*

Concluſio prima. Mare non eſt terra altius, ſed depreſſius. Ratio inde deducitur, quod omnia flumina in mare tandem ſeſe exonerent. Defluunt porto ad humiliora, atque ipſorum alvei ita verſus caput & locum originalem aſcendunt, ut in paucorum milliarium intervallo multis centenis pedibus ſæpe altiores ſint. Nec hoc mirum attenta geometrica proprietate inclinationis, ſecundum quam certum eſt, ut Derkennis in opere 3. diei computat, ſi 100. v. g. pedes inclinationis dent unum digitum depreſſionis in termino plani inclinati, unum milliare Italicum, id eſt 500. pedum dabunt digitos quingentos, ſeu pedes 5. Inclinatio porrò iſta admodum parva eſt, & anguli perexigui, vixque ſenſibilis, ſi viſus conſulatur, in hac tantilla 20. milliaria Italica, id eſt ſeptem circiter leucæ Belgicæ itineris dabunt differentiam altitudinis pedum 100.

Dices: Littora navigantibus longe depreſſiora apparent, ergo ſignum eſt, his mare eſſe altius. Reſpondet P. Adalbertus Tylkovvski Phyſ. part. 3. de Meteor. c. 1. & cauſam in nigredinem conjicit; quod nempe littora nigra ſint, aqua vero maris ſubalbida, aut ſubviridis; huic vero colori compoſita nigredo fingit depreſſionem.

Concluſio 2. Maris profunditas incerta eſt. Baptiſta Benedictus ejus profunditatem extendit ad milliare tantum dimidium Italic. Priſcianus ad 15. ſtadia, quæ nondum conficiunt unum milliare Germanicum, ut accepit à Julii Cæſaris exploratoribus, alii ad 30. ſtadia. Solinus verò vult illud in multis locis imperſcrutabile; quod idem affirmant Plinius & Olaus M. aſſerentes, in Norvvegia non poſſe ſufficere ſunem in explorando fundo, etſi totam navim occuparit. Circa Inſulas quoque maris pacifici nulla bolide aſſequi fundum potuerunt Hollandi. Nautæ noſtræ ætatis teſtantur experimentis edocti, mare communiter extra vortices & abyſſos duo milliaria & dimidium vix ſeſe protendere.

Concluſio 3. Amplitudo maris pariter etiamnum incerta eſt. Julius Scalig. exerc. 38. è totius globi terraquei ſuperficie duas partes tribuit aquæ; Piccolominius plus terræ, quam aquæ adjudicat; Bodinus pares elemento utrique attribuit ſuperficies; ex quibus hoc ipſo patet ejus amplitudinem certam nondum detectam eſſe ex mappis generalibus, quantumvis accuratè delineatis.

Concluſio 4. Fundus maris inæquali conſtat ſuperficie, quemadmodum enim terræ ſpatium & circulus inæqualiter jam exſurgit in montes majores vel minores, jam deprimitur in valles, jam excurrit in prata, jam intumeſcit in ſylvas & ejusmodi ſimilia; itá his affinia etiam in ſubmarina ſuperficie reperiuntur, ut ſunt ſcopuli, ſylvæ, prata, ut ſic fundus illius haud ſecus ac terræ ſcabroſus & inæqualis obſervetur. Ita in mari Siculo prope *Drepanum*, in Gallico propè *Telonem*, in Liguſtici Oceani oris circa Majoricam ſylvæ ſubmarinæ Corallinæ admirandâ Naturæ induſtriâ conſtructæ reperiuntur. Prata pariter ſubmarina variis in tractibus Oceani obſervari docet Kircherus in mundo ſubterraneo. Ubi ex Hiſpania & Luſitania in Americam trajicitur tota maris ſuperficies herba ſubmarina, quam vulgò *Sarguſſo* vocant, velut in prato amœniſſimo multorum dierum ſpatio efflorefcit. Similia prata videntur quoque prope Inſulam Melitam virore miro conſpicuam, in quibus inumeri piſcium greges, ceu in campo pabulantes, deliciantur. Talia etiã floribus referta ad littus novi Regni obſervari idem Kircherus tradit, qui

ab

ab urinatoribus decerpti, mox ac in auram educuntur, cryſtallini lapidis naturam quaſi induunt, unde adornandis altaribus peridonei. Mirabile eſt, quod de mari Pario novum orbem alluente traditur, tot herbis virentibus hoc implicitum eſſe, ut navigari non poſſit obſidentibus retium more longiſſimis herbarum ramuſculis; exſurgunt ab imo, in ſuperficie coaleſcunt, & ſuperant interdum mare palmis quindecim. Refert Plinius lib. 13. c. 25. in mari rubro laurum maxime progigni uti & olivam ferentem baccas, & ſi pluat fungos, qui ſole tacti, mutantur in pumicem. Fruticum ipſarum magnitudo ternorum eſt cubitorum, caniculis referta, ut vix de navi reſpicere tutum ſit, remos plerumque ipſos invadentibus; Polybius etiam narrat, in mari Luſitanico gigni quercus, quarum glande Thynni veſcantur & pingueſcant.

Concluſio quinta. Datur plerumque etiam marium quoad vires & proprietates quasdam communicatio cum illis terrarum tractibus, quas allambunt. Hinc mare mortuum quia littoribus cingitur bituminoſis, & mare rubrum, quod cum eodem per ſubterraneos meatus communicat, etiam fœtura bituminoſa quibusdam in locis referta ſunt.

Quæres primo. Cur mare non deficiat, etſi Sol illud continuo ſiccare laboret? Reſpondeo, rationem eſſe, quia quantum per vapores in ſublime coactos exhauritur mare, tantundem nubibus in pluvias reſolutis refunditur. Unde erronea eſt illorum opinio, qui maris vaporibus Solem, non ſecus ac Lucernam oleo paſci crediderunt, priusquam enim vapores ſoli appropinquent, à frigore ſecundæ Regionis aëreæ denſati ſe in mare refundunt.

Quæres ſecundo. Cur in globo terraqueo, quamvis maxima ſint in eo maria & aquarum ad eadem ingentes plurimum fluminum illapſu fiunt affluxus, nulla tamen unquam contingat redundantia, qua limites ſuos conſtitutos tranſcenderent. Reſpondeo cauſam eſſe primum, quod per occultos meatus ſubterraneos tantundem aquæ denuo ad alia maria, lacus, flumina & fontium ſcaturigines abducatur; vel ut Digbæus obſervat tantum à Sole delibetur in nubes & ventos, quantum à tot fluminibus aggeritur.

Colliges tamen ex doctrina Ariſtot l. 1. hujus operis cap. 14. magnam fieri progreſſu temporum in terra ab aquis mutationem; primum enim ait quasdam terræ partes velut circulo ex aridis humidas reddi, & ex humidis aridas, eſſeque in hac re terram animantibus ſimilem, quod illorum more juveneſcat & vigeat, poſtea ſeneſcat, & in deteriorem ſtatum mutetur; niſi quod totum animal è juventute ad ſenium tranſit, integra vero terra non item, ſed ratione aliarum, atque aliarum partium. Juveneſcit autem terra, dum humore ad fœcunditatem apto irrigatur; ſeneſcit dum humore ita deſtituitur, ut ſterilis fiat: quo pacto aliquot terræ partes, quod alere homines non poſſent, incultæ, inhabitabileſque manſere. Addit ſubinde in eodem capite Philoſophus, interdum continentem fieri mare & contra, nam cum maris agitatio è cœleſtium corporum vi & efficientia manet; ſi contingat ea ſidera inter ſe coire, & conſpirare, quæ ad fluctuum jactationes plurimum valeant; ſævit ultra modum pelagus, ita ut aliquando continentis aliquam partem acceſſu inundet, & in poſterum ſui juris faciat; vel receſſu detegat, & hominum generi attribuat. Sic Delos & Rhodus ex aquis denuo extitiſſe dicuntur. Sic ultra Melon emerſit Anaphe: inter Lemnum & Helleſpontum Nen; inter Lebedum & Teon, Alone, inter Cycladas, Thera, Tneraſia, Hiera. Sic nonnullæ Inſulæ factæ, quæ antea continenti junctæ erant; nam Sicilia ab Italia avulſa dicitur, Cyprus à Syria, Eubœa à Bœotia, Besbycum à Bithynia, & quædam aliæ.

E contrario quasdam Inſulas junxit mare terris, ut Antiſſam Lesbo, Zephyrium Halicarnaſſo, Ethuſam Mindo, Dromiſcon & Pernem Mileto, Narthecuſam Parthenio promontorio. Rurſus idem mare (quaſi paria velit facere, quæ alibi dedit hinc auferendo, & quæ hinc per rapinam abſtulit reddendo) urbes quasdam hauſit, ut Pyrrham & Antiſſam circa Mæotim, Elicem, & Buram in ſinu Corinthio. Nec defuere qui putarint, totum mare Mediterraneum inter columnas Herculis viam ſibi ex Oceano in medias terras aperuiſſe. Imò & ad oras Atlanticas Inſulam quandam, Atlanticam nomine, majorem quondam Africa, Oceani fluctibus abſorptam fuiſſe, ideoque Chriſtophorum Columbum Americæ inventorem, dum maria exploraret, pelagus inibi vadoſum & herbidum offendiſſe. Sed hæc de Atlantica inſula, & irruptione Mediterranei fabuloſa ſunt.

Cæterum cauſa, cur mare aliquando recedat, & novos terræ tractus apertos relinquat, aliquando vero accedat, & alveum ſuum extendat, malè æſtui duntaxat maris adſcribitur; accidit enim ex eo, quod terræ tractus aliquando altiores aſſurgant, tum quia à ſupremis montibus multum materiæ in ſubjectas valles ſenſim deſcendit, tum quia à fluminibus multum limi advehitur, cujus acceſſione terra haud dubie accreſcit; tum quia ingens arenæ cumulus à mari ejectæ congeritur, tum etiam, quia fieri poteſt, ut terræ motus vi integri terræ tractus attollantur, ſicque aqua repellatur. Viciſſim, quia terræ motu aliquando dehiſcit terra, mare in ſubjectum depreſſumque littus excurrit, & ſinum explicat, aliquando prima

repagula disjiciuntur, quæ ſenſim aqua excavat, ſibique viam, qua dilatetur, aperit. Nonnunquam certâ divinæ providentiæ diſpoſitione propter hominum ſcelera, aliasve cauſas fit, ut mare extra fines egreſſum in continentem effundatur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Correſpondentia & communicatio Reipubl. utilis.

51.




Wolfg. Joseph. Kadoriza del. Linc.

UTut mons monti jungi non poteſt, nec diſſitæ Inſulæ conveniunt: Terra enim ſtat, ſuo in axe firmata: Ipſa tamen maria, quantumcunque disjuncta, non ſeipſa ſolum, ſed & terras jungunt; ſibique communicant. Habent oſtia ſua, ſinusque mutuos, quibus mare in mare influit, & quæ fuerunt longè, fiunt propè. Habent, quæ dorſo portant, navigia, quibus Auſtro Boream jungunt, hominem ad hominem transferunt, negotiationes promovent, mores moribus conformant, arcana mentium communicant. Fluunt maria, & mutuo manant epiſtolæ. Illuuntuur emporia, & florent commercia. Volant curſores, & aulæ confœderantur. Mobilia ſunt maria, ſed in hac mobilitate Rerumpublicarum conſiſtit ſtabilitas. Velis remisque dum mutuo per ipſos undarum montes & arma, & merces, & ablegati conferuntur, regna uniuntur, ſic unita non vincuntur. Naves & triremes pontes ſunt marini, quibus regnum ad regnum, animus ad animum accedit. Mari potiſſimum ſuam ſtabilire fortunam, armorum & conſiliorum cum exteris conjunctione ſuaſit Carolus V. Rom. Imp. Quid namque tam eſt validum ac potens, quòd amicorum copias & opes ſimul junctas, velut binas manus ſociatas vincere, colligatas diſſolvere

re poſſit. Mutuis auxiliis conſtant omnia: *manus manum, digitumque digitus abluit.* Nos vero prorſus in nihil ſtatim abiremus, ſi mutuam quis opem auferret. In commune vivimus, nemo ſibi ſufficit unus. Pyladi junctus Oreſtes, Euryalo Niſus adſtans, etiam Herculi terrori ſunt: nam nec Hercules contra duos. Cùm alteri te communicas, illius auxilium emis: hæc enim negotiatio eſt, & commercium animorum. Nihil eſt, quod non alieno egeat auxilio, & auxilium poſſit in alterum diſpenſare. Terra fœcundo rore à cœlo lactatur, ſed & illa huic vapores communicat. Flos terræ decorem tribuit, ſed ab illa vigorem accipit, & nutrimentum. Univerſus orbis mercaturæ ſpeciem habet, eſtque amicitiæ commercium. Quotidie Sol currit per cœli circulum, ut ſe ſideribus communicet, & in terram influat; intendatque, ne ipſa elementa mutuam violent ſocietatem. Et aquila, quantumvis prædatrix, ſpolium tamen cum aliis dividit? ut quas natura ſimiles fecit, communio ſociet. Exterarum mores aularum, idiomatum participatio, pugnandi ars, mercium negotiatio, armorum conjunctio, Pandoram quandam ex republica faciunt; in quam colliguntur, quæ in alias ſunt digeſta. Hoc eſt illud amicitiæ arcanum, & vinculum fœderis, quo diſſepta maribus regna junguntur, veteri novus mundus ſociatur. Nemo ſe ſolo beatus eſt, & dextera ſiniſtræ opem requirit. Neque eoſdem, quos alterum regnum Solis influxus percipit, neque quodvis ubiq; reperitur, quibus altera terra mercibus abundat, non omnis poſſidet; Diviſit natura divitias, ut alterum ab altero regnum mendicare cogat, in beatæ concordiæ argumentum. Ceſſaret amicitia, niſi domeſticam levandi inopiam neceſſitas eſſet poſita, & mutuo commodandi indigentia. Stetere ſemper, & in flore ſtetere Reſpublicæ, quæ manum cum vicinis junxere; imbelles jacuere, quæ mutuam ab exteris opem non expetivere; ut enim plures oculi plura vident, ita plures dextræ dexteriùs operantur. Deſeritur à victoria, quem vicini prius deſeruere: at ubi fœdera ſtant, & animorum commercium; firmantur regna, ſolidatur Bonum commune, vicinia omnis in tuto collocatur. Quis enim firmiſſimum amicitiæ murum ſubruet, dum viva mœnia ex communione bonorum & animorum conſurgunt? *Non exercitus, neque Theſauri præſidia regnorum ſunt, verum amici.* Hi vero conſervantur, dum commercia foventur; dum mores moribus, animis animi correſpondent. Hic murus aheneus eſto.

# QUÆSTIO V.

## *De variis maris Motibus.*

NOn hic quæſtio eſt de motu, quo aqua ob innatam gravitatem deorſum fertur; neque de agitatioae maris, quam venti cauſant, quæ regularis eſſe non poteſt, neque ſemper eadem, ſed de aliis motibus, de quibus ſit

Concluſio prima. Motus maris imprimis generalis directus ſive naturalis eſſe ſolet ab ortu in occaſum; quod exinde patet, quia Hiſpani, qui in novum orbem verſus occidentem Solem euntes menſtruo itinere portum attingunt, redeuntes vero trimeſtri opus habent. Item Luſitani trajecto Bonæ ſpei promontorio proram ad ortum verſus Goam vertentes ſemper progrediuntur tardius, quam quando inde redeunt. Eodem modo qui ex Hiſpaniis in Palæſtinam, eunt, tardius multo appellunt in portum, quam qui inde revertuntur; quod ſi vero mare non moveretur ab oriente in occidentem, navigationes verſus occidentem non deberent eſſe velociores: ergo.

Neque dicas cum Cabeo lib. 2. tex. 36. quæſt. 3. velocitatem navigationum occidentalium poſſe oriri ex alia cauſa, hoc eſt ex eo, quod in oceano venti impellentes mare in occidentem ſint frequentiores, firmiores, & vehementiores, ut teſtantur nautæ; nam ex hoc ipſo arguitur motus maris ob oriente in occidentem; mare enim in eam partem concipit motum, in quam fertur ventus, unde, ut ſolvatur quæſtio, reddi debet ratio propter quam & aër per ventos & mare moveantur ab oriente in occidentem, pro quo ſit

Concluſio ſecunda. Duplex cauſa hujus motus eſſe poteſt: prima, quia cœlum, dum movetur ab oriente in occidentem, rapit etiam ignem, aërem & aquam occultâ quadam vi influentiæ. Et confirmatur, quia venti iſti ab oriente in occidentem, ac motus maris notatur præcipuè ſub zona torridâ, & circa æquatorem, in qua parte motus cœli eſt velocior. Secunda eſſe poteſt, quia Sol ſuo motu ſemper ſubjectam aquam & aërem calefacit, & conſequenter rarefacit, unde ut aër & aqua rarefacta occupent majus ſpatium, debent moveri in eam partem, ubi aër & aqua poteſt condenſari, & locum cedere; quæ eſt occidentalior, quia nondum concepit calorem ex radio Solis, qui ad illam adhuc non pervenit; ergo aër & aqua concipiunt motum verſus occidentem. Et quia ſub Zona torrida calor Solis eſt vehementior, atque adeò major rarefactio, ideò venti orientales, & motus maris ſunt ſenſibiliores

ores ſub zona torrida, ut teſtantur periti. P. Athanaſius Kircherus in ſua arte magnet. lib. 3. p. 3. c. 2. dat tertiam rationem, dum docet, hunc motum provenire à Sole abſumente, & in vapores reſolvente magnam Oceani partem, quæ ſub Zona torrida jacet, qua abſumpta reliquæ aquæ in ſubſidium veniunt partium laborantium, ad impediendum vacuum: Hæc tamen ratio non ita placet, quia creditu difficilè eſt, quod tanta aquarum copia continuo abſumatur ab immenſo Solis calore, & tamen mare non deficiat, neque minuatur.

Obſerva tamen, hunc motum ab ortu in occaſum non ita intelligendum eſſe, quaſi mare continuato ſemper fluxu rectâ planè ſemita feratur ex ortu in oppoſitam continuo plagam: verùm ſubinde obliquo etiam tramite progredi, ac nonnihil deflectere, imò nonnunquam circulari fluxu motum continuare cogitur. Et talem nautæ in Adriatico mari experiuntur, ſentiunt enim, mare illud ad littus quidem Dalmatiæ ab ortu verſus occaſum fluere; ſed in Venetiarum ſinu retorqueri, & ad littus Italiæ verſus ortum recurrere, ideoque moveri quaſi circulariter. Idem dicunt de Mediterraneo, quod juxta Europæ littora, verſus Hiſpaniam in occaſum defluit, in ſinu tamen Hiſpaniæ deflectit ſecus Africæ littora verſus ortum. Et hoc putat P. Rhodes, mirabili quadam DEI providentiâ fieri, nè mare ab ortu in fluens terram obrueret; acſi DEUS, qui mari terminos conſtituit, quos præterie non poterit, hoc quaſi circulari motu indigeret, ut maris impetum cohiberet. Conimbricenſes verò cauſam hujus circularis motus conjiciunt in occurrentium impedimentorum conſtitutionem, nam cúm aquæ inter terras concluſæ, & in littora impingentes perpetuo tenore cieri nequeant ab ortu in occaſum; conſequens eſt, ut propè terras flexuoſo itinere in gyrum volvantur, & circularem motum imitentur.

Concluſio tertia. Secundus motus, qui in utroque etiam mari viſitur, eſt, quo mare à ſeptentrione ad Auſtrum ſive meridiem ſeu à Polis ad æquatorem defluit, ut docet Ariſt. l. 2. hujus operis & ex eo S. Thomas, Albertus Magnus, aliique communiter. Conſtat hoc experientia; in mari mediterraneo enim aquæ à palude Mæotide influunt in Pontum Euxinum, à Ponto in Ægeum, ab Ægeo in Siculum, uſque ad fretum Herculeum. Eundem motum in Oceano notarunt Recentiores, ex quo provenit ut navigationes à ſeptentrione ad meridiem e. g. ex partibus Daniæ & Hollandiæ in Hiſpaniam ſint velociores, quam navigationes à meridie ad ſeptentrionem e. g. ex partibus Hiſpaniæ in Hollandiam & Daniam. Ut reddatur verò ratio talis motus,

Notandum venit, aquas & omnes humores ſe librare. Libratio porrò conſiſtit in hoc, ut ſecundum ſupremam ſuperficiem ſint æque altæ, ſeu æque diſtantes à centro, ideò, ſi una pars ſuperficiei aquæ elevetur ſupra aliam, ſtatim aqua deſcendit in partem depreſſiorem, & movetur motu librationis nec unquam partes aquæ quieſcunt, donec librentur, ita ut omnes partes ſuperficiei æque diſtent à centro. Hoc prænotato

Triplex ratio afferri hujus motus poteſt. Primo, quia terra Borealis altior cenſetur eſſe auſtrali, ideoque neceſſario ab ea aquas dilabi in cava & profundiora. Secundo, quia verſus Septentrionem maximi mare ſubeunt fluvii, ut Mæotidem Tanais, Pontum Euxinum Danubius. Tertio, quia Sol valde imminuit maria meridionalia per vehementiſſimum calorem extrahens ingentem vim vaporum circa Zonam torridam, ad ſeptentrionem vero parum imminuit aquam propter caloris debilitatem, ergo ut aquæ librentur, & non nimis creſcant in altitudine in maribus ſeptentrionalibus, ubi multum augentur à fluminibus, parùm minuuntur à Sole, neceſſe eſt, ut defluant, verſus meridiem, ut ſuppleant defectum aquarum, cauſatum in maribus meridionalibus ex elevatione vaporum.

Obſerva tamen hunc motum explicatum in locis valde latis, eſſe tardum, ut notat Ariſt. ac penè inſenſibilem, in anguſtis vero eſſe valde velocem, & ſenſibilem. Rationem affert idem Philoſophus, quia ut conſervetur libratio aquarum, neceſſe eſt, ut eodem tempore tantundem aquæ egrediatur ex mari anguſto, quantum ex lato, alioquin in maribus anguſtis aqua excreſceret. Ut verò una hora tantum aquæ egrediatur per alveum centuplo majorem, quantum egreditur per alveum centuplo minorem, debet aqua centuplo velocius moveri in alveo centuplo minori; unde neceſſe eſt, ut aquæ dum defluunt per maria lata, moveantur tardiſſime & inſenſibiliter, cum vero diffluunt per maria auguſta, moventur velociter, & ſenſibiliter.

Concluſio quarta. Tertius motus maris eſt ille, quem æſtum uſitata ſignificatione appellamus. Motus hic marinus conſiſtit in eo, quod mare jam ad littus accedat, mox iterum recedat. Non eſt autem toto mari æqualis, nam in quibusdam tractibus aut nullus aut perexiguus exiſtit; ſic Mæotis, Propontis, Euxinus, mare Caſpium & Ægeum nullo ſenſibili æſtu reciprocantur. Mediterraneum vero totum notabili caret æſtu, præſertim in ora Gallica, Italica & Hiſpanica. In fine Adriatici tamen prope Venetias eſt notabilis intumeſcentia, in oppoſita vero parte Adriatici non reſpondet æſtus æqualis. Mare Balthicum, cui ſe inter Daniam & Nortvegiam infundit Oceanus, nullum patitur æſtum. In Oceano vero ad littora

ra Angliæ, Flandriæ, Hollandiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, Africæ, quæ littora reſpiciunt occidentem, eſt maximus æſtus, ita ut in littoribus Angliæ dicatur aqua exſurgere per octoginta cubitos. In littoribus oppoſitis reſpicientibus orientem circa Mexicum & Cubam Inſulam vix eſt ſenſibilis æſtus & intumeſcentia. In Oceano pacifico æſtus eſt ita vehemens, ut in Peruvia aqua progrediatur in continentem per duas leucas. In Oceano Indico fluxus eſt ita magnus, ut in littore Cambajæ, quæ eſt in faucibus Indi fluminis, mare binis horis triginta circiter leucas obtegat. Unde homines ea pernicitate ſæpè undis obruuntur, & neceſſe eſt cymbali ſonitu præmonere viciniam, ut veniente mari, quisque in tempore ſibi conſulat. Nec naves poſſent ibi commorari, niſi haberent lacunas ad eum uſum defoſſas, in quibus mari abeunte conſiſtunt.

Concluſio quinta. Non eodem ubique temporis ſpatio æſtus perficitur. Patet hoc ab inductione, nam Garumnæ fauces in littore Aquitanico ſeptenis horis ſubit Oceanus, quinis refugit. Juxta fluvium nigrum in Guinea mare quatuor horis affluit, octonis refluit. Euripus ſepties die quolibet fluit & refluit, licèt hoc à nonnullis negetur. Ad Indi fluminis fauces, ut dictum eſt, in littore Cambajæ mare binis horis triginta circiter leucas acceſſu obtegit, & binis totidem receſſu detegit. Aliis in locis communis regula eſt, quod mare ſex horis fluat, ſexque aliis horis refluat.

Colligitur hic, æſtum hunc maris triplicem habere periodum, diurnam, menſtruam & annuam. Diurna talis eſt, ut apparente Luna ſupra horizontem mare incipiat intumeſcere, & attollente ſe Luna etiam aqua attollatur, donec hæc perveniat ad meridianum cœli verticem; tunc verò totô ad horizontem occiduum deſcenſu reſidet, ad quem cúm pervenerit, iterum intumeſcit mare, quoadusque Luna punctum mediæ noctis attigerit, ibi enim detumeſcit, quouſque ſidus ad ortum ſe reduxerit. Deinde una ferè hora ſingulis diebus tardiùs incipit æſtus, quia Luna ab occaſu in ortum integra penè hora ſingulis diebus retardatur. Periodus menſtrua conſiſtit in hoc, ut intumeſcentia non ſemper ſit æqualis, ſed in noviluniis, & pleniluniis ſit maxima, deinde incipiat decreſcere, ita ut in quadraturis, cum nimirum Luna diſtat à Sole per quartam partem cœli, ſit minima intumeſcentia ac penè inſenſibilis. Periodus demum annua conſiſtit in hoc, ut duobus æquinoctiis intumeſcentia ſit maxima, deinde incipiat decreſcere, ità ut in ſolſtitiis ſit minima.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Abdicanda ſunt bona, quæ animum perdunt.

Liberi nati ſumus, & vincula amamus. Poſſidemus, & poſſidemur: nam ſervus eſt, qui cupiditatis ſuæ Dominus non eſt. Labem purpuræ aſperſerunt Perſei & Galbæ, Sejani & Ruffini, Eutropii & Pertinaces; quia cúm eſſent orbis Domini, cupiditati ſervierunt. Acceptare pecuniam, & violare juſtitiam: manus implere auro, & virtutem eliminare animo, eſt in ſeipſo raptorem agere. Spolia qui ſuſcipit, ſibi eſt virtutis prædo. Aliter Romanus Dux Scipio: Carthaginem victor invectus, cuncta urbibus Italiæ, Africæ, Siciliæque ſpolia reddidit, quæ olim Carthaginenſes ſuſtulere; nihil ſibi ſervavit, ne ipſe fiat ſpolium. Sic qui vitam amant, merces in mare ejiciunt, ne ipſi abſorbeantur. Merſa mercium pondere navigia, ne in ima deſcendant, aut in ſcopulos acta vectores maris rapinam faciant, exoneranda ſunt; quo levius fluctus premant, ne opprimant. Vectores ne pereant, pereant merces: Divitias ſic perdere, lucrum eſt. Amittuntur bona, ut ſervetur vita. Ut vita ſervetur animi, ne in ſcopulos & prærupta flagitiorum mergatur, perdatur, quod mentem gravat, aut famam nigrat. *Diogenes per medias Macedonum gazas nudus inceſſit calcatis regiis opibus. Eminere viſus eſt, infra quem omnia jacebant. Multo potentior, multo locupletior fuit, omnia tunc poſſidente Alexandro. Plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille poſſet dare.* Expedit aut perdere modica, aut parva elargiri; quam quod maximum eſt, amittere. Nihil melius viro bono, virtute: nihil pretioſiús viro juſto, animo, nihil chariùs viro honeſto, fama. Hæc ne perdas, pereant reliqua: minora hæc ſunt illis. Turpe eſt, exuvias quærere, & animum occidere. Infames ſunt manubiæ, quæ ſpoliant virtute. Centum talenta Alexandri nomine Phocioni oblata ſunt, quia ſolus Athenienſium probus videretur & optimus. Sed quia optimus erat, bona rejecit, ne ceſſet eſſe optimus; cùm ſuſcipiendo divitias, in vitia lapſus virtutem exuiſſet. Quo quis plus habet auri, minus habet virtutis, dicebat Rupellæ Marchio. Gloriabatur de Africana victoria tumidus Sylla, quia magnifica per orbem increbuit fama. At quidam honeſtioris ordinis eum arguit de infamia, quia majorem divitiis perdidit virtutem, accipiendo ſpolia. *Quonam modò vir bonus eſſe potes, qui cúm nihil à Patre tibi relictum ſit, tot ac tanta poſſideas?* Placeat proinde Adolphi Cæſaris familiaris

*Liv. Dec. 3. l. 10.*

*Seneca. l. 5. de benef. c. 4.*

*Plut. in apophth. Reg. & Princ.*


*Jo. Boter. l. 1. dictor. viror. illuſtr.*

*Plut. in Sylla.*

risparœmia: *Præſtat vir ſine pecunia, quam pecunia ſine viro.* *Animus eſt, qui divitias facit.* Quomodo vir eſt, cui animus non eſt? animum perdit, qui munera accipit. Rectè Seneca neminem divitem cenſuit, licèt pecunia opulentum, ſi virtutis egenus eſt. Quis enim

*52.*

*N. 52.*




*Wolfg. Jos. Kadoriza del. Lincij.* *Johann. Sibyll. Krausen fecit*

aureum imbrem æſtimat, ubi avaritiæ pruina virtutem decoquit? *Perſuaſum tibi ſit*, ajebat Pythagoras, *te non poſſe eſſe poſſeſſorem rei, quam non intra mentem habes.* Quæ perdere potes extra te ſunt. Quæ mentem inficiunt, hæc te perdunt, hæc major ruina eſt. Virum ut ſerves, conare; hic in animo eſt. *Malo virum absque pecunia, quam pecuniam absque viro.* Vir ſine pecunia probus eſſe poteſt; cum iniquis opibus non poteſt non eſſe malus. Dives autem ſi malus eſt, an tu eum opulentum dixeris, cum ſit mentis egentiſſimus? ſi volueris te divitem facere, non eſt, quod augeas opes, ſed minuas cupiditates. Mente egente nullus non eſt pauper. Divitiæ enim non à fortuna petendæ ſunt, ſed à ſeipſo. Quantum quis valet animo, tantum ſtat bene. Qui totum poſcit & obtinet orbem, ſi ſeipſo caret, quid habet? at qui perdit, quæ extra ſe ſunt, ſi ſe ſervat, cùm aliud nihil habet, poſſidet omnia, quia animum ſervat, qui intra ſe continet omnia. Præ Callia Athenienſi gloriatus eſt Ariſtides, cum ille opibus fuerit ampliſſimus; quia hic ſeipſo contentus, malletque perdere omnia, ne perdat ſe. Virtutes habuiſſe plurimas Craſſum, Plutarhus eſt teſtis; modico perdidit omnes, quia parvo lucro nimium adhæſit. Qui omnia poſſidet, multum debet. Quantum? omnia. Quia fortunæ eſt obligatus. Qui ſe ſervat, cùm perdidit omnia, perdidit nihil, quia tenet ſeipſum. Tu ne pereas vide; pereant cætera: ſic perdere, lucrum eſt.

*Themiſt. apud Val. Max.*

*Plut. in Craſſo.*

# QUÆSTIO VI.

## *De cauſa reciproci æſtus maris.*

PRæmiſſis iis, quæ dicta ſunt præcedente quæſtione, omnibusque notiſſima ſunt, ſequitur, ut inquiratur ignotiſſima reciprocantis marini æſtùs cauſa, unde nimirum fiat perpetuu,

tuus ille, atque adeo uniformis motus tanti elementi. Res hæc multum & diu ingenia Philoſophorum torſit. De Ariſtotelis opinione non conſtat, cum nullus ipſius de hac re liber indubius exiſtat. Fama eſt, cum Euripi illius, qui intra Aulidem Bœotiæ portum & Eubœam Inſulam interjacet, naturam, ejusque ſeptenas reflexiones, quas ut diximus, quotidie ſubit, non ſatis explicare poſſet, tædio & labore victum diem ibi obiiſſe, imo in eundem ſe præcipitem dediſſe quidam memorant. Atque inde natum in vulgus adagium: *Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Ariſtotelem.* Cæterorum vero Philoſophorum mira fuit in hoc naturæ miraculo explanando varietas; Stoici enim animam mundi hunc motum maribus indere crediderunt; quibus affines ſunt Keplerus lib. 4. c. 7. Harmon. qui terram magnum animal eſſe crediderunt, quod in immanibus pulmonum follibus marinas aquas per intervalla viſceribus inſpiret, reſpiretque. Leſſius condecentius angelos motores aquarum recognovit. Saraceni, quos refert Mirand. Princeps lib. adver. Aſſer. 3. c. 15. ajunt, maria verſus terras fluere, quod aveant ſe aliis conjungere, ut ſaxa ſe copulare terræ. Apollonius Thyaneus ventos ſub mari anhelantes. Plato ingentem ſpecum. Lyndiatus Anglus, ignes ſubterraneos rarefactores maris fingit. Andreas Ceſalpinus, Henricus Ultrajectenſis motum terræ Copernicanum cauſam hujus æſtus conſtituunt. Omnes hæ opiniones rejiciuntur, quia aut fabulis innituntur, aut gratis ſupponunt, quæ probanda ſunt. Et omnes in hoc peccant, quod nec reciprocationem, nec ordinatum, quo mare agitatur, æſtum explicent. Primum enim, quod attinet ad motum Copernicanum, præterquam quod falſa ſit Hypotheſis, ſequeretur inde in omnibus terræ cavitatibus aquas debere eundem pati fluxum & refluxum, & ſemper ſimilem. Item deberent idem & ſimiles motus obſervari tum in Oceano & Mediterraneo, tum in lacubus etiam tam multis, tam vaſtis &c. quæ omnia repugnant experientiæ. Secundo, ſententia de ignibus ſub fundo maris pariter non ſubſiſtit, quia ſentiretur aquæ calor; ſine quo non poſſet aqua rareſcere. Imo aqua rarior effecta non eſſet idonea ſuſtinendis navibus. Tertio, opinio de Angelorum aſſiſtentia non eſt Philoſophica, nam ubi agitur de affectu naturali, debet à Philoſopho aſſignari cauſa illius naturalis, niſi aliunde repugnet. Quare ſit noſtra

Concluſio prima. Probabile omnino eſt, cœlum ac Lunam, prout Solis promovetur, foveturque aſpectu, eſſe cauſam effectivam æſtus marini. Ratio eſt, quia nullus effectus naturalis videtur habere majorem connexionem cum ſua cauſa naturali, quam æſtus ille cum Luna, nec potiori ratione quis judicet lumen Sole præſente à Sole ipſo produci, aut calorem ab igne præſente, aut ferrum ſimiliter proximo attrahi, quam æſtum maris à Luna efficienter prodire. Nam primo ille æſtus nunquam fit, niſi in partibus maris, Lunæ directa oppoſitis ſecundum lineam diametraliter transeuntem per centrum mundi, & centrum ipſius Lunæ. 2. aſcendente luna ſupra horizontem, mare ſemper incipit intumeſcere; & cum eſt in medio cœli vertice, incipit detumeſcere, ut ex omnium nautarum fide conſtat; adeo, ut diebus ſingulis mare quatuor vicibus moveatur, bis fluendo pro ratione aſcenſus & deſcenſus lunæ. Cur enim tanto illud impetu flueret ad littus, cùm ſurgens luna ab horizonte aſcendit ad Zenith & reflueret quando deſcendit à Zenith ad occaſum? & cur rurſus flueret, cùm aſcendit in altero horizonte; effluerer autem, cùm luna attigit. Secundo, ſingulis diebus una circiter hora tardius fervere incipit mare, quod una circiter hora tardius luna in ſuum ortum redeat; quam ob rem hæc fluxuum & refluxuum periodus non abſolvitur, niſi ſpatio fere 25. horarum. Tertio, ſic lunæ curſum conſequitur hic æſtus, ut primo ipſius quadrante, id eſt, tribus primis horis duabus oppoſitis in quartis partibus terræ fiat; ſecundo autem quadrante in duabus aliis quartis partibus, & ſic deinceps. Quarto certum præterea eſt, quod pro diverſis lunæ aſpectibus ad Solem nunc majores, nunc minores fieri ſoleant æſtus; ſiquidem v. g. in plenilunio maximi æſtus ſunt, die ſcilicet 14. lunæ, interlunio autem & aliis temporibus ſemper minores, adeo, ut ab interlunio, id eſt, à conjunctione lunæ cum Sole, ſenſim æſtus minuatur usque ad ſeptimum diem lunæ, in quo æſtus minimus eſt; à ſeptimo autem die lunæ usque ad 14. ſenſim creſcit, & in eo maximus eſt æſtus, mox ad 20. ſenſim relangueſcit; vigeſimo primo ad interlunium denuo creſcit. Denique tam certa eſt habitudo æſtus marini cum lunæ motu, ut ex ejus momentis infallibiliter definias, qua hora ubicunque gentium perficiatur.

Confirmatur noſtra aſſertio ex eo, quod patet experientia, lunam corporibus humidis dominari & quaſi præeſſe. Unde Galenus lib. 3. de diebus criticis huic ſideri morbos pituitoſos adſcribit; receptumque eſt apud Medicos, lunam è quatuor humoribus pituitam, quæ aqueæ naturæ eſt, augere. Præterea cerebrum, duod humiditate abundat, lunæ varietatem, & mutationes ſequitur; ſimiliterque nonnulli morbi à frigida humiditate oriundi, humanum corpus definitis lunæ ſpatiis adeò infeſtant, ut qui iis conflictantur, in ſeipſis coitum lunæ, aliasque ejus conjunctiones vel aſpectus perſentiſcant. Pariter non ſolum plantæ, ſed etiam plura animalia, ut cancri &c. creſcente luna creſcunt, & intumeſcunt ex abundantia humoris;

luna vero decreſcente ex defectu humoris detumeſcunt, atque decreſcunt. Sic quoque obſervatum luna creſcente vel decreſcente medullas in oſſibus animalium, in ovis albumen, cæteraque id genus creſcere aut decreſcere.

Confirmatur ſecundo. Experimento facto à P. Kirchero. Hic pelvim aqua nitroſa repleta, & ſale communi mixta ſerena nocte radiis lunaribus expoſuit, quæ ſtatim fervere incepit, & tunc vel maxime, dum luna in plenilunio verſaretur. Idem experimentum cepit in lupi marini ſeu phocæ corio, quod lunæ radiis expoſitum pilos ad ejus incrementum erigebat, & ad decrementum demittebat. Cum ergo inter corpora humida primum locum teneat mare; neceſſe eſt quoque, lunam ipſi inter cætera dominari, & conſequenter mirum non eſſe, ſi cauſet in mari intumeſcentiam ac detumeſcentiam cooperante Sole.

His poſitis difficultas eſt explicare, qua virtute & quo pacto luna cauſet marinos æſtus; modum hunc, quod id luna efficiat, eſſe nobis prorſus incognitum, & incompertum fatetur P. Rhodes, nec habere quemque aliud, quod reponat, niſi exclamare cum Eccleſ. 11. v. 4. mirabilia opera altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius. Quid tamen alii dicant, & quæ opinio tenenda breviter per ſequentes Concluſiones expediam. Unde ſit

Concluſio ſecunda. Luna non cauſat fluxum & refluxum per calorem & lumen. Probatur, quia dum eſt in puncto mediæ noctis, tunc cauſat magnam intumeſcentiam, & tamen aquam neque calefacit, neque illuminat. Secundo, quia in interlunio, quo tempore luna ſuo lumine deſtituitur; & quando in alio eſt hemisphærio, quin nobis colluceat, aut calefaciat, non ceſſant apud nos maximi æſtus, ergo

Concluſio tertia. Luna neque marinos æſtus cauſat per motum ſuum vel tumorem quendam, quatenus mare ab ipſa luna ſuſpenditur: aut per impulſum mari impreſſum. Ratio primi eſt, quia ſi maris æſtus ſequeretur ad motum lunæ, ſolum moveretur mare ab oriente in occidentem, nullaque daretur ratio, cur aqua ab occidente in orientem reverteretur per refluxum contra impetum, & delationem motus lunæ. Ratio ſecundi eſt, tum quia nautæ ſub torrida navigantes hoc animadverterent; tum quia non eodem tempore in utroque hemisphærio æſtus fieret; tum denique, quia majores deberent eſſe æſtus ſub zona torrida, quam verſus Septentrionem, quod tamen falſum eſt. Ratio tertii eſt, quia quando luna eſt in hemisphærio, vel in horizonte oppoſito, non poteſt in aliis tamen impetum imprimere, in quibus tamen ſunt tales æſtus; tum etiam quia ſatis explicari non poteſt, quomodo aquis imprimat hujusmodi impulſum, quando mare refluit.

Concluſio quarta. Luna cauſat intumeſcentiam maris per qualitatem & influentiam occultam, cujus propagatio non impeditur á craſſitie ac denſitate terræ. Primo enim luna quadam ſua qualitate, & vi occulta influit & alterat humores in corporibus animalium, & in homines lunaticos influit, ergo etiam ſic influet & alterabit in mari ſpiritus ſulphureos & ſalnitrales, qui ſunt veluti maris humóres per ordinem ad lunam, talesque æſtus, prout hic cauſabit: Secundò probatur etiam, quod propagatio talis occultæ influentiæ non impediatur á craſſitie terræ; nam cúm luna eſt in puncto mediæ noctis, influentiæ lunares proveniunt ad mare, etiamſi mediet tota craſſities terræ. Quòd veró propagatio aliquarum influentiarum & qualitatum non impediatur à denſitate ullius corporis probatur, nam podagrici, & plures alii ægroti ſentiunt effectus punctorum lunarium, e. g. quadraturarum etiam luná manente ſub horizonte. Sicut enim dantur quædam corpora etiam valde denſa, quæ non impediunt transmiſſionem lucis, cujusmodi eſt cryſtallus, & hæc vocamus diaphana, alia veró corpora impedientia transmiſſionem lucis, quæ vocamus opaca cujusmodi ſunt lapides, terra &c. ita poſſunt dari corpora, quæ licèt lucem non transmittant, atque adeo ſint opaca, transmittant tamen influentias, ita ut reſpectu illarum poſſint proportionaliter vocari diaphana, ſed de hoc plura in quæſtione ſequenti.

Concluſio quinta. Luna hac ſua qualitate, & occulta influentia non cauſat maris fluxum & refluxum rarefaciendo & condenſando illius aquas, ſed alterando illarum ſpiritus, ita ut alteratis fiat maris acceſſus ad littus, illis veró ſedatis fiat receſſus. Ratio primi eſt, quia ſi luna ita cauſaret æſtus, aqua fieret calidior, verum hoc multo magis efficeret Sol, quam luna, & conſequenter à Sole duntaxat cauſaretur æſtus. Deinde hujusmodi rarefactio ſine dubio ſentiretur, videreturque in navigiis, quæ attenuatâ aquâ maris per fluxum mergerentur magis, & rurſus condenſata per effluxum emergerent; quod tamen nullibi obſervatur. Accedit, quod hinc ſequeretur, aquam minus gravitare in maris acceſſu, utpote rarefacta, quam in receſſu, utpote condenſata, quod rurſus contra experientiam eſt, ut oſtendunt Fromondus & Galilæus. Ratio ſecundi eſt, quia, ut docet Ariſt. l. 3. de generatione animal. cap. ult. mare repletum eſt ſpiritibus ſulphureis, & ſalnitralibus quaſi humoribus, ergo illis alteratis per hanc qualitatem occultam & quaſi magneticam lunæ fiunt æſtus, ſicut alteratis humoribus fit febris in ægrotis.

Con-

Concluſio ſexta. Non improbabile etiam eſt, intumeſcentiam & detumeſcentiam aquarum fieri ex attractione & reſorbitione humiditatis extraneæ ex fundo maris & ex aëre per virtutem communicatam aquæ à Luna & Sole mediante illa occulta influentia, ita ut hanc humiditatem debilitata actione attractiva Lunæ fundus maris atque aër rurſus abſorbeat, & fiat detumeſcentia. Ratio eſt, quia Luna cauſat intumeſcentiam ac detumeſcentiam in mari modò proportionali, ac eandem cauſat in aliis corporibus humidis v. g. plantis & animalibus; ſed probabile eſt, quod intumeſcentiam cauſet in illis per hoc, quod ſuis influentiis roboret illa in ordine ad attrahendam extraneam humiditatem; detumeſcentiam verò per hoc, quod Luna decreſcente debilitetur eorum virtus attractiva; ideoque ambiens reſorbeat, ac quodammodo exſugat humiditatem jam attractam; ergo etiam cauſat intumeſcentiam in mari per hoc, quod aqua deſtituetur robore à Luna accepto, ita ut fundus maris, & aër abſorbeant, & exſugant talem humiditatem. Prior tamen ſententia veriſimilior eſſe videtur & ideo tenenda, pro cujus tamen meliori adhuc intelligentia ſit

# CONCLUSIO POLITICA.

## Politicus quæ à ſubditis haurit, in eorum bonum convertat.

N. 53.




NOn ſibi ſolùm vivit, qui publicus eſt. Miſer, qui in ſuam ſolius utilitatem natus eſt, Anguſtæ eſt ſphæræ, qui propriis ſolum parietinis lucet. Præſunt firmamento ſidera, ut in inferiora influant. Stat in apice Politicus, ut in ſubditos ſit intentus. Ille ex ſubjectis vivit, ſubjecti ex illo. Lunari ſphæræ benè adſcribitur: *Attracta refundit*; quas enim maris undas attrahit, eodem alveo refundit, ut perpetuo fluxu & refluxu oceanus agatur. Et Balænam vides, pleno hiatu aquas haurientem; non ſic eas ſervat, ut non in idem gremium revomat, ex quo hauſit. Quid aliud Politicus agat? Plutarchi verba cape: *Miniſtri ſunt ad curam*



*ac ſalu-*

*Plutarch. de doctr. Princip.* *ac ſalutem hominum, ut bona, quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſervent.* A ſubditis velut ovibus lanam habent: qua ſe tegant; viciſſim illos protegant. Sic ab illis lac hauriant, ut non exhauriant; verum mutuo lactent & nutriant. Crediderim cordi humano eum bene comparari, qui præeſt. Ut enim cor princeps membrorum eſt, ſic princeps cor eſt ſubditorum. Ita verò ex membris ac venis ſanguinis rivos attrahit, ut ſimul fons ſit ac oceanus, ex quo fideli reflexu in venas ac membra refundatur. Memoratu dignus antiquitatis mos Reges ad fontes & arbores coronandi. Non enim bene regit, qui non continuo beneficiorum imbre irrigat, velut fons, quas ex terra hauſit, in terram aquas refundit: neque utilis eſt Reipublicæ vir publicus, qui non arboris ad inſtar ſe ex terræ ſucco nutrientis, fructuum alimenta rependit. Non dono, ſed mutùo data ſunt, quæ à ſubditis offeruntur, ut referantur à Rege in ſubditos. Velut vendens & emens ſe habent, exſolvit iſte, quod illi ſolverunt. Socrates & Alcibiades dando & reddendo colluſerunt; iſte quod miſit, ille remiſit; ut & uni nomen benefici non deeſſet, & alterum titulus gratitudinis ornaret. Correlativa ſunt Dominus & ſervus; iſte pendit obſequium ferendo tributum, ille reſpiciens tributum refert ſubſidium. Subditi ſcintillæ ſunt & faculæ colligendo flammulas, & in Dominum conferendo. Focus & fons luminis Dominus eſt flammas & lucem in ſubditos refundendo. Procurator & tutor populi eſt, qui præeſt, concredita ſunt illi ſubditorum bona, ut his fœneretur. In ipſum confluunt populi facultates, ac velut in maris ſinum glomerantur, ut diviſis alveis in ſingulis canalibus refluant. Non tam illi proprium eſt congregare, quam erogare. Opes in eum ſubditi conferunt, ut opem ferat. Hujus ærarium vectigal eſt ſubditorum. Quod montes ſunt, hoc celſæ mentes habent; ſupra alios exaltantur, ut in ſubjectas valles pluviarum divitias profundant. Secretis ciſtis otioſa deliteſcunt peculia, quæ ſingillatim ſunt, collata ſunt in Domini ærariũ, non ut in arcam, ſed ut in diſpenſationem. Non enim eſt Dominus, ſed cuſtos bonorum, depoſitum eſt, quod eſt datum, non donatum. Binos ei natura oculos dedit, unum quo ſe; alterum, quo ſubditos reſpiciat. Promus ſit, non condus: non enim condere, ſed collocare debet, ut prompte expromat, quæ fidei illius ſunt depoſita. Sementis aurea eſt, quam illi populus concredidit; non ut mortua domi jaceat, ſed ut in Reipublicæ meſſem ſuo tempore jaciat. E mari ſuas fluvius accipit divitias, non ſibi ſervans, ſed in arva refundens: rigat, ut erigat. Nec ſe totum effundit, neque ſe ſibi totum ſervat; juſta menſura partita communicat. Sibi ſinum reſervat, brachia exerit. Cedro & adamante digna Alexandri M. vox: *Nefas eſt, ut Diſpenſator publicus in*
*Lamprid.* *delectationes ſuas, ſuorumve converteret id, quod Provinciales dediſſent.* Oeconomum age, & Tutorem, tuis ſunt alis concrediti, quos ſub ſceptro numeras. Qualis Severus fuit Cæſarum lauda-
*Idem.* tiſſimus, *publicis opibus ideo parce uſus, ut civitatem Romanam longè ditiſſimam, rebusq́ue omnibus refertam reliquerit.* Ut ad Auſtriacos accedam, Maximilianum I. Cæſarem habe; Medium tenendum quam ſapientiſſime judicavit, dicere ſolitus: *Tene menſuram, & reſpice finem.* Sic collige, ut & tibi neceſſaria ſerves, & in alios eroges; nec te miſerum facias elargiendo, nec alios exhaurias colligendo.

# QUÆSTIO VII.

## *Satisfit variis adhuc quæſitis circa æſtum maris.*

QUæres 1. Quomodo fiat hic æſtus maris? Reſp. ſuppoſita veritate Concluſionis quintæ præcedentis Quæſtionis naſcitur ſequenti modo: Exoritur Luna, & ſuo motu per hanc ſuam qualitatem occultam, & quaſi magneticam incipit movere ſpiritus maris, & hi ſecum ſuam aquam erigunt, ita ut accedente Lunâ ad noſtrum Meridianum, accedat iſta magna unda, eaque in circulum extenditur, ſicut projecto lapillo in medio ſtagno, videmus undam circularem generari, atque ita dicimus fieri acceſſum maris ad littus; recedente autem Luna recidit etiam iſta magna unda, & tunc dicimus fieri maris receſſum. Patet hoc, quia in mari, vel in fluvio videmus erigi undam & moveri, non quod aqua fluat, ſed quod pars poſt partem extollatur, & iterum deprimatur, dumque elata concidit, alia paulatim ſurgit, unde quod in unda videmus fieri, hoc in magno æſtu concedere licet.

Nec obſtat, quod Luna fluviales ſpiritus non æque moveat & concitet, Luna enim non ita habet Symphatiam cum aliis aquis, ſicut habet cum aqua marina. Et vero quemadmodum magnes non impellit rem quamlibet, ſed ferrum dùntaxat, aut magnetem alium, ita nec aquæ fluviatiles, & paluſtres vulgò motum à Luna recipiunt, defectu diſpoſitionis idoneæ. Non enim in lacubus, paludibus & fluminibus prout in mari, exiſtunt ſpiritus ſulphurei & ſalnitrales cum craſſitie, mixtura ac temperamento accommodato alterationi per influentias Lunæ.

Quæres ſecundò. Quomodo Luna poſſit in noſtro hemiſphærio cauſare marinos æſtus, quando eſt in horizonte in meridiano oppoſito. Reſpondeo, jam in præcedente Quæſtione oſtenſum eſſe, Lunam ſua virtute magnetica facile terræ globum penetrare ac permeare. Quod confirmari adhuc poteſt aliquot inſtantiis; primo, quemadmodum magnes qualitatem ſuam attra-

attractivam ſeu impulſivam per quælibet ferè corpora trajicit,ita cum proportione terræ moles non eſt im pervia lunari influxui, quo partes maris diametraliter oppoſitæ concitentur ſimul. Secundo: videmus Solem infra noſtrum horizontem terræ diametrum penetrare, & cùm pervenit ad meridianum oppoſitum influere in noſtros gallos gallinaceos. Tertio: pariter obſervamus omne Lupini genus folia exporrigere in Solem ſub horizonte latentem, eodemq; modo ſe habent plantæ Heliotropiæ vocatæ, quæ nocturno tempore munus obeunt horologii. 4. De Loto Ægyptia, quæ in aquis naſcitur, ſcribit Theophraſt lib. 4. de Hiſt. plant. c. 10. Solem ſequi, dum eſt in ſuo horizonte, & illo demerſo, demergi, ſuumque Solem ſub aquis quærere, & poſtea illo renaſcente, renaſci. Quinto: de quodam Heliotropii genere ex Arabia à Mercatoribus allato. refert P. Kircherus in arte Magnet. lib. 3. p. 4. confici horologia cum lingula intra vitrum noctu, diuque Solis horas oſtendente, & ſe noctu, diuque ad Solem convertente, teſtaturque P. Kircherus loco cit. hoc experimentum Romæ coram eminentiſſimis viris aliisque non ſine admiratione exhibuiſſe. Ex quibus omnibus deducitur, etiam Lunam, dum eſt in horizonte influere hic in noſtro in ſpiritus maris, præſertim cùm adeo inſignem Sympathiam cum illis habeat, ſicque poſſit marinos æſtus cauſare.

Quæres tertio. Cur alibi breviori, alibi longiori tempore æſtus fiant, & cur quibusdam in locis citius aquæ defluant, quam refluant, aut è converſo. Reſpondeo, cauſam eſſe locorum ſitum, littorum altitudinem, aut depreſſionem aquarum in omnem partem, planitiem, aut flexuoſos mæandros, aliaque ejusmodi, quæ motum aquæ variè retardant, aut juvant, & fluxui majorem, minoremve, quam refluxui commoditatem præbent. Ad quod etiam multùm conferunt diverſæ Regionum qualitates, occurſus ventorum, Regionum affectus & conſequenter non eſt ubique eadem aptitudo, ad eandem cœli impreſſionem excipiendam aut ad eosdem motus ſubeundos. Sicut licet ſit eadem ubique facultas Solis ad vapores & pluvias excitandas, non ubique tamen illæ generantur. Potiſſima vero cauſa, quod non perinde æſtuent omnia maria, eſt, quod in iis ſit minus de ſpiritibus ſulphureis ac ſalnitralibus cum debita mixtura, ac temperamento accommodato alterationis, unde intumeſcant; hi enim ſpiritus è fundo maris evocati, ſunt veluti fermentum quoddam, quo tota ejus moles dilatetur, reddaturque cœli impreſſionibus excipiendis idonea.

Ex iisdem rationibus reſolvitur, cur in aliquibus partibus, ut in Euripo pluries ſingulis diebus multiplicentur æſtus; ſicut enim, quod in his non vero in aliis ægrotis multiplicetur tertiana, vel quartana, quæ quidem Luna regitur, recurrimus ad mixturam & qualitatem humorum, ita etiam ad hujusmodi alterationes, & æſtus in mari, recurrendum eſt ad Mixturam & qualitatem ſpirituum ſulphureorum ac ſalnitralium, qui in mari in ordine ad Lunam ſunt ad inſtar humorum.

Quæres quarto. Cur quidam putei, qui aliquibus in locis, ut Hiſpali unus, in aliisque regionibus quotidie augeantur & imminuantur, communicato iis per ſubterraneas cryptas acceſſu, & receſſu maris, cur inquam ii, non omnes, eodem tempore, quo mare, moventur, cieantur, ſed quidam eo intumeſcente decrementum, detumeſcente, incrementum accipiant; alii contrario modo ſe habeant, & cum mari congruant? Reſpondeo, hoc refundendum eſſe in figuram, ſitumve locorum, ſi enim cryptæ ſubterraneæ, per quas datur aquarum communicatio, amplæ & rectæ ſunt, uniformiter ad maris motum ſe aqua in puteis movebit, quod ſi ſecus & per cuniculos anguſtos, declives, & tortuoſe inflexos ac procul diſtantes cum mari conjungitur, contrario modo ſe habebit ac mare, quo enim tempore aqua in puteum aſcendere incipiet, jam tunc propter moram, ab aqua in itinerum anguſtiis & impedimentis interpoſitam, mare incipiet recedere.

Ex dictis colliges, rationem periodi diurnæ, per quam mare elevatur vel deprimitur, dum Luna ſupra horizontem elevatur vel deprimitur, quia nempe, quo magis Luna accedit ad circulum meridianum, eo majorem habet activitatem in ordine ad concitandos ſpiritus maris, & quo magis recedit, eò amplius in ſua activitate remittit. Eadem eſt ratio, cur in noviluniis & pleniluniis, ſumma intumeſcentia cauſetur, quia ſcilicet in noviluniis & pleniluniis eodem tempore, Sol & Luna attingunt circulum meridianum, & conſequenter cùm conjungant vires ſuas, majorum ſpirituum marinorum excitabunt commotionem.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Chimæra eſt Politicus voluptuoſus.

Politicus non eſt, qui neſcit diſſimulare. Fingat ſe non audire, quæ audit, ſi noxia ſunt. Audiiſſe, eſt portam aperuiſſe: callide ſubintrat voluptas, ſi vel rimam habet, quia lubrica eſt. Firmiſſimo peſſulo aures obtura, alias periiſti: *Voluptatum enim illecebra mentem à ſua ſede ac ſtatu dimovent, corrumpunt animum, nullaque capitalior peſtis à natura hominibus data eſt. Quas qui ſequitur, miſerandum rationis facit naufragium. Qui declinare cupit, earum*

Z 3 *incan-*

Cic. 1. Paradox. *incantamentis aurem non præbere, ſed occulere debet.* Quod aureum, cùm locutus ſit Romanus Orator, haud dubio vides, quam ſit neceſſe, te eſſe Ulyſſem. Jovem ſanguinis ſui auctorem jactitat Ulyſſes

Ovid. 13. Metamor

*Noſtri quoque ſanguinis auctor*
*Juppiter eſt.*

54.

N. 54.




Ille enim Sirenum lenociniis aures obſtruxit, ad illecebras obſurduit, ad navigii ligatus malum, malo cantui benè ſurdus januam clauſit. *Canitis ſurdo, canitisq; ligato.* Et tunc Jovis filium dixerim, qui ſic obſurdeſcit benè, ne male audiat. *Tantum enim ad virtutem adjicies, quantum ex voluptate abſtraxeris.* Seneca. Athenis ſecuritatem ſpopondit Apollo, ſi pretioſiſſimum Juventutis auribus appenderent. Quid illud? Corallium dixerim, verecundiæ colorem. Non eſt Ulyſſis æmulus, qui ſordibus aures oppleri patitur. Ariſtotelicus color purus eſt & rubicundus: ex Stoa non ſunt, ſed ex hara, quos non pudet ſermones audire impudentes. Purpurâ dignus eſt, cui etiam aures ad lenocinia verecundantur. Januæ mentis faciem animi produnt; hæ ſi Venerem admittunt, Cupidinem intus hoſpitari oſtendunt. Non meretur Patribus Conſcriptis adnumerari, qui etiam auribus proſcriptum habet pudorem. Facilè exulat honeſtas à voluntate, pudicitia ab intellectu, ubi auditus non eſt cuſtoditus, cúm eadem ſede, Capite reſideant. Non poteſt non vulnerari animus; ubi qua data porta per aures ſagittæ Cupidinis ſunt immiſſæ. Rapitur facile honeſtas, ſi prædonibus pudicitiæ limen eſt obvium. *Ut fruſtra clauduntur portæ civitatis, ſi una relinquatur aperta, per quam hoſtes irrumpant: ita non ſatis eſt, in cœteris temperatum eſſe, ſi auditus pateat pernicioſis ſermonibus.* Plutarch. Morata civitas etiam meatus obſtruit, nam & per ſentinas nonnunquam hoſtis, tantò probroſius, quanto turpius ſubintrat. Turpiſſimum eſt, per aurium ſordes animum expugnari. Non pudeat ab Aſpide ſapientiam diſcere. Ut primum ſe incantatoris vocibus faſcinandam advertit, alteram terræ aurem affigit, alteram cauda obturat, ne mentem læderet auris. Habent Syneſ. ep. ad Here. Sirenes id, quod Syneſius docet. *Delinitos, & ſuavitate captos paulò poſt interimunt.* Oculos in Nero-

Neronem intende, in Hannibalem conjice: factus iſte voluptatibus monſtrum, ille cupiditate animo motus. Per aures in animum ſirenum illecebræ deſcenderunt. Eliminandi ſunt è limine aurium effrænes voces, ne animos faciant effrontes; ut per cuniculos in urbem ingreditur hoſtis, aut per miſſititios ignes in favillas obiit Troja: ſic per aurium meatus amoris flammæ ſerpunt ad cordis arcem, queis ipſe animus depaſcitur. Integer non eſt animus, ſi tabe infectus eſt auditus: triumphat ſcelus in cordis præſidio, ſi tympaniſta limen aurium tenet Cupido. *Difficilem habere oportet aurem ad crimina.* Seneca. Verborum cœnum & opus obſcænum nonniſi organo differunt, hoc illius pediſſequum agit. In auribus, qui verecundiam exuit, frontem in animo haud gerit. Securum ſtat cordis caſtellum, ubi modeſtia aurium excubias agit. Candida mens, ubi verecundiæ vexillum eſt auribus pendulum. Cæcus Cupido eſt, utinam & ſurdus neque Xerxem læſiſſet, neque Alexandrum proſtraviſſet. Proſtituta domus eſt, ubi oſtia patent: neque pretium pudoris retinet arca cordis, cui deficit cuſtodia auris. Nullus eſſet ſpurcus, omnes forent ſpurinæ, ſi occluſæ manerent aurium januæ. Levis propudioſi verbi halitus tempeſtates animi ciet: ſubrepens per aurem aura obſcœnior peſtem pudicitiæ machinatur. Deditionem animi cogita, aurium Tympanum ſi pulſat Cupido. Monſtra ingrediuntur, chimæræ vexilla figunt: quid enim aliud voluptas, quam monſtrum & chimæra? nam partim fœmina, partim vipera eſt. *Aut Ithacus fias, aut Palinurus eris.*

*Senec. in proverb.*

# QUÆSTIO VIII.

## *De effectibus Maris & cauſa finali motus ejus, ac de diluviis & exundationibus.*

Concluſio prima. Nauſea, quæ navigantibus contingit, non tam oritur ex exhalationibus aſcendentibus è fundo maris, quam ex motu irregulari maris & interna humorum concuſſione. Ratio primi eſt, quia ſedens in littore, vel ſcopulo non patitur nauſeam, licèt ad ipſum perveniant exhalationes: ſecundo, ſimilem nauſeam ſentiunt multi etiam ex motu currus, aliiſque motibus Ratio ſecundi, nam illa agitatione, dum movetur etiam ventriculus, cibus & humores regurgitant ad os ventriculi, ac nauſeam & vomitum provocant; ideo quò magis eſt irregularis agitatio, eò major eſt regurgitatio & nauſea. Sicut verò aqua in cyatho, cùm movetur regulariter, parùm regurgitat, ſed cùm cyathus quaſſatur irregulariter, aqua valde regurgitat, ſic contingit in caſu noſtro. Præſertim vero bilioſi humores commoti os ventriculi exaſperantes nauſeam creant. Hanc tamen jejuni facilius patiuntur, ſtomachus enim quo inanior, tantò plus agitatione obnoxius eſt, quemadmodum amphora plena minus agitatur, quam ſemiplena. Porro, quòd non omnes ſentiant nauſeam, oritur ex diverſa affectione ſtomachi, ac ventriculi.

Huic effectui annumerari poſſunt ſequentes; primò: in mari edaciores fiunt navigantes propter ſpirituum marinorum calorem & ſiccitatem. Secundo contra morſum rabidi canis fertur præſens remedium eſſe aqua marina, ſicut & ad purganda corpora, bilem & ſanguinem. Tertio, habet vim ſegregandi, quatenus res naufragas, & cadavera eructat ad littus; ſive hoc faciat per vim quandam expultricem; ſive per vim continuæ agitationis, per quam naufraga ad littus deducat, ibíque deſtituat; eò quod majori impetu in littus unda appellat, quam redeat. Quarto: reperiuntur in quibusdam maribus integræ ſylvæ coralinæ, ut refert Kircherus Mund. ſubt. l. 2. c. 14. ſe à Mercatore quodam Arabe intellexiſſe, ſæpè tantam fruticum coralinorum copiam condenſatam, ut non tantùm urinatoribus, ſed & piſcibus aditum negent; audiviſſe porro à piſcatoribus una cum ſtirpibus ſubinde extracta fuiſſe conchilia, lateres, ſaxa, oſſa, tabulas ligneas, ferramenta, omnia coralis, quæ in iis excreverunt, conſerta; quin & Delphinum, ex cujus duro corio planta coralina excreviſſet, extractum aliquando fuiſſe.

Quinto ut in obſcuris nemorum receſſibus, animalia ſylveſtria humanâ formâ prædita reperiuntur, ut ſunt Fauni, Satyri, Centauri aliaque ſimilia monſtra, Ità Oceanus ſua marina habet animalia terreſtribus ſimilia, ut ſunt Tritones, Nereides, Sirenes, de quibus conſule Schott. in Phyſ. cur. lib. 3. & 4. monſtra vero hujusmodi frequentiora dicuntur obſervari in mari Indico propè Inſulas Philippinas, certis tamen temporibus per annum. Sextò de ſpongiis quibusdam Norvagici maris littorum, etiam admiratione quid dignum refert P. Fournier in Geogr. Orb. not. lib. 2. c. 5. eas nativis fibris frequenter ſaxis ibidem adhærere, ac ſenſus apparentiam in iisdem obſervari. Ubi enim avulſorem ſentiunt, compertum eſt, eas ſe ſe contrahere, ac cum difficultate abſtrahi, avulſas vero etiam in petris veluti cruoris quoddam veſtigium relinquere.

Concluſio 2. Jugis maris agitatio ob multiplicem finem à Deo ordinata eſt. Primo enim motus hic putrefactionem impedit, quia putrefactio fit ab externo calore, quem alia atque alia aëris mutatio per motum inducta avertit, quod experimento diſcunt ii, qui verſus Solem progre-

grediuntur, ſiquidem minus calent, quam qui incidentem radium immoti excipiunt, niſi forte tam vehementi niſu ferantur, ut membrorum agitatio præponderet, majoremque vim obtineat ad calefaciendum (eſt enim motus cauſa caloris) quam ad refrigerandum habet alteratio recentis, frigidique aëris, quo ambitur corpus. Secundo, agitatio hæc eſt aquarum purgatio. Ut enim Seneca l. 3. Natur. quæſt. c. 26. ait, in aquis, quibus curſus eſt, non poſſunt vitia conſiſtere, quæ ſua vi defert & deportat. Ideòq; mare, cadavera, ſtramentaq; & ſimilia ex intimo trahit; nec ſolum tempeſtate & fluctu turbidum, ſed tranquillum quoq; placidumque purgari conſuevit; videlicet ne pellucidum elementum, quo undique aquarum ductu fæces confluunt, nimium ſordeſcat. Plinius lib. 2. c. 98. ait, omnia maria purgari plenilunio, quædam ſtatis diebus, intellige potiſſimum; etenim maria quovis anni tempore, tum alia, tum ſuperfluitantia corpora in littus exſpuunt. Hinc quidam dixerunt, mare eſſe animanti ſimile, ſicut enim animantia ſpiritum accipiunt, & retrahunt, multosque hoc modo fuliginoſos halitus ejiciunt, ità quoque mare ſemper in ſe & ex ſe recurrens, multas putridas materias & fœtidos halitus ejicit. Tertio accedit & alius finis hujus motus, quod Deus res multas in profundo mari latitantes, humano uſui tamen ſalutares per maris receſſum quaſi ultro objiciat hominibus, ut in ſinu Codano ſuccinum, conchas & margaritas. Quarto demum æſtus marinus perutilis eſt navigationi, ut experimento liquet, cùm naves ad ſubeundum portum acceſſu maris promoveantur, ejusdemque receſſu in altum evehi conſueſcant.

Concluſio tertia. Diluvium univerſale, quale fuit Noeticum, naturaliter accidere non poteſt. Ratio eſt, quod in mari & aëre non ſit tantum aquæ, ut poſſint tegere etiam ſummos montes Nec etiam congruebat, ut naturæ auctor Deus, ſic cauſas phyſicas componeret, ut univerſi ordinem per ſe invertere, & totam terram, quam homini incolendam dedit, obruere aliquando poſſent. Ideoque Deus ſublunaris mundi diuturnitati conſulens, eum contrariis calido & frigido; ſicco & humido attemperavit, ut unumquodq; alterius ſibi adverſarii licentiam cohiberet.

Quæres: quo ſe abdiderit immenſa illa aquarum vis, quæ diluvii tempore ſupra editiſſimorum montium cacumina quindecim cubitos excrevit. Reſpondeo, credibile eſſe partim ſe in ſubterraneos ſpecus conglobâſſe, partim in vapores & aërem abiiſſe efficaciori divinæ virtutis concurſu.

Concluſio quarta. Diluvia particularia, ſeu unius loci ac provinciæ naturaliter poſſunt accidere & quidem hac de cauſa, quod vapores, qui deberent multis in locis diſpergi à ventis vel aliis cauſis congregentur in unum locum, & ibi reſolvantur in pluvias magnas, & diuturnas, quæ provinciam inundent. Cæterum tamen ſi diluvia & inundationes nimis magnæ ſunt, ea ex intimis terræ viſceribus, atque ab iis aquis, quæ ubertim per ſcaturigines fontium ac fluminum effunduntur, ortum trahere, mihi valde probabile videtur. Unde ad hanc uberrimam effuſionem proliciendam, ingentes plerumque in mari commotiones, ventorum turbines, æſtus & tempeſtates inſolentes plurimum afferre, atque ſemper ferè præcedere ſolent; dum enim aquas marinas violento impetu in ſubteraneos meatus protrudunt, atque ita nimium opplentur, rurſus tandem conceptas aquas per abditas Scaturigines effundere, & inundationes fluminum producere debent.

Quæres: quænam diluviorum & inundationum ſigna ſint prognoſtica? Reſp. primum eſt, areſcentia & ſiccitas humidorum corporum inſueta, ſignificatur enim vapores humidos elevatos eſſe & continuò elevari, donec abſcedente calore condenſentur, & in pluvias tranſeant. Secundum eſt, ſi accedat etiam fontium & fluminum exſiccatio & deperditio, vel ipſius etiam maris vel ex parte, aut ex toto notabilis diminutio; declaravit enim Ariſtoteles, maria nova fieri ex reliquis magnorum diluviorum, areſcere verò per regenerationem novorum diluviorum. Tertium, ſi in æſtate appareant frequenter jacula, trabes, dolia & cometæ, iique majores. Ita poſt ingentem cometam viſum anno exeunte 1680. ineunte 1681. uſq; ad 5. Februarii; ſubſecuta deinde anno ſequenti 1682. in Januario maxima inundatio variis in Regionibus Europæis. Quartum, ſi è cœlo, vel terra inſolitæ percipiantur voces & murmura inſueta, veluti mugitus boum, quæ vaporum copioſius aſcendentium & elevatorum ſigna ſunt. Quintum novorum inſuetorum animalium, quæ alias in ſylvis aut terris, aut in aquis degere ſolent, turmatim egredientium, & victum quærentium inſolita apparitio. Denique ſolent tempeſtates, turbines, & ſpiritus procellarum in mari, inundationes & diluvia præcedere, fit enim ex his vehementibus commotionibus, ut ſubterranea Hydrophylacia tanta aquarum repleantur abundantia, ut è terræ viſceribus in flumina intumeſcentia erumpant.

Et hæc nobis circa conſtitutionem maris dicenda eſſe viſa ſunt, in cujus magna parte tutius fuerit ad occultas naturæ cauſas confugere & comunem Philoſophorum ignorantiam fateri, exclamando cum Eccleſiaſtico: mirabilia opera Altiſſimi, glorioſa & abſconſa.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.
## Juſto bello animus non dejiciendus.

55.

N. 55.




Wolfg. Jos. Kadoriza del. Liney. J. S. K. ſc.

UTi alea, ita cauſa belli ſæpè dubia eſt, & colorata. Ambitio ſubtiliter ingrediens bellandi jura purpurat, & honeſtatis obducit cocco, ſtudia regnandi ſolius regni amore odioſa ſunt & turpia: & Martius *belli* furor ſolum bellandi amore efferus eſt & barbarus. Juſtitiæ fideique propagandæ gratia chalybem acuere, & in Bellonæ arena deſudare oportet. Neque enim ſolius navigationis cauſa fluctus feri maris petimus, ſed littus ut teneamus, & noſtra in exteros portus commercia transvehamus. Quis enim honeſtatis titulus, deliciari in alieno ſanguine & purpura hominis enſem pingere? belluinum hoc eſt, & cum elephantis ex cruore cor bellicoſum aſſumere. Ultionis aut furoris titulus ignobilis eſt belli cauſa. Alienum eſt opus à Politico nulla aut injuſta cauſa belligerare: Sola Pax belli finis eſt. Non pro offendenda aliena republ. ſed pro propria defendenda gladius geritur; & ſolum pugnatur cruente, quia non poteſt vinci incruente. Impius eſt enſis, qui injuriam infert: verum illatam ferro propulſare ferum non eſt, ſi olea non poteſt. Qui enim procellas ſecando altum petit, contemnendus non eſt, ſi malacia uti non datur. Pudendum æque ac periculoſum eſt, temerè ac turpiter bellicas excitare tempeſtates, mare, terramque præliis miſcere, & in hoſtili ſanguine laſcivire. Alieniſſimum ab injuſtis bellis Auguſtum fuiſſe ſcimus, qui & in Martis ultoris æde barbaros Principes jurare coegerit, ſe in pace ac fide manſuros. (Suetòn. c. 21.) *Multi bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem*, ait Cicero (Cic. l. 1. offic.); *propter dominandi libidinem*, inquit Salluſtius (Salluſt. in Jugurt.): at credant, *belli eventum nunquam felicem fore, à quo militat mala, & ambitioſa cauſa.* (Cic. l. 2. de leg.)

At vero ſtante belli cauſa juſta, animus non cadat. Mediis fluctibus triumphabit navis reip. neq; poterit ſiniſtre cadere belli alea, ubi Juſtitia ad dexteram aſſidet. Totis cataractis martiales procellæ conſpirent, & nonnunquam adverſis eventibus bellona perterreat: non

non terreatur ferreus animus, loricâ pectus induat, contra torrentem eat. Tandem bona cauſa triumphat. Innatat altiſſimis fluctibus arca, procella procellam auget, ipſa montium cacumina diluvio involvuntur, univerſo hominum grege maris faucibus abſorpto: Illæſa ſupernatat arca, altum mare dum ſulcat, exaltatur. *Surgit, ſurgentibus undis.* Si pleno diluvio tuas hoſtis terras innundet, animo non diffluas: juſtitia belli ſtabis inconcuſſus. Siniſtri caſus in altum te periculum conjiciant, exercitus partem diripiant, reipubl. navi exterminium minentur: mentem erige, vultum ſerena, lucratus es cauſam, quia tenes jura bellandi: *infirmi ingenii* Egeſip.l.4. c.2. *eſt*, teſte Egeſippo, *ſummæ rei diffidere aliquo lapſu: cum exiguis momentis inclinentur omnia, quæ in bello geruntur.* Sæpè totius Africæ Mauri contra Ferdinandum tertium Caſtelli Regem transfretarunt, at Decumanos hos fluctus victor fregit, ampliſſimumque Principatum Alphonſo decimo Filio ſuo, à mari mediterraneo usque ad Oceanum reliquit. Ut alter Alexander tam *Rodericus Palentinus par.3.c.39.* glorioſus in præliis, ut cum nullo hoſte congreſſus, cujus non victor. Nullam urbem obſederit, quam non expugnarit: nullam gentem oppugnarit, quam non debellaverit. Uno hoc marte campum ingreſſus, ut nunquam, niſi juſtis ex cauſis cuiquam bellum indixerit; illud Auguſti Octavii ſemper commemorans jactantis eſſe animi, & leviſſimi, ardore triumphandi, ob lauream, folia infructuoſa, per incertos eventus civium ſecuritatem præcipitare. Solidatur arbor, & laureas auget, quam frequens ventus incurſat, ſi modo radicem non in ſabulo *Cic. pro leg. Manil.* fixit. Perficitur ad carpendas victoriæ palmas frequenter in arenam provocatus Martialis vir, ſi ſuper juſtitiæ baſim vexilla bellica caſtraque firmarit. Talis Fabius Dictator (Romanæ facundiæ Parens loquitur) inclytæ memoriæ Dux, adverſus Hannibalem tot annis decertans, animo ſemper invicto, infracto, hilari, tametſi ſummis anguſtiis conſtitutus. Juſta belli cauſa hilaritatem vultui, & læta trophæa parturiit. Ipſe & Hannibal talis, à diverſis ſiniſtriſque caſibus, quibus varie conflictatus, & expeditionibus in Romanos, Tarentinos, Allobroges, *Liv.l.10.* & Hiſpanos, non dejectus; quia ſuper belli æquitate fundatus. Extra patriam ne migrem: Ferdinandus II. optimus Cæſar prudentiſſimorum criſin, ardorem belli exprobrantium, hac una devicit machina: juſtam habeo belli cauſam. Natabat in fluctibus navis Reip. minitabatur naufragium, ſurgebat tanto magis ſurgentibus undis.

# DISSERTATIO IX.

## De fontibus & fluminibus, ac reliquis aqueis Meteoris.

E Mari egreſſi fontium, fluminumque originem ac naturam in præſenti Diſertatione inquiremus. Perennem die, nocteque curſum his ſtatuit DEUS volens in re fluxiſſima æternæ vitæ imaginem, ut loquitur apud Euſebium Conſtantinus Magnus, mortalibus objicere. Cæterum quam perſpicuis patent oculis fontes & flumina, tam recondita eorum origo eſt, ut ingens hac in re Authorum ſit diſſenſio, & hac ipſa de cauſa difficile in tanto ſententiarum diſcrimine veritatem diſcernere. Ne tamen refugiamus difficultatem: Sit

## QUÆSTIO I.

### *De quidditate fontium & fluminum, eorumque differentiis & origine.*

Concluſio prima. Fons eſt aqua è terræ ſuperficie jugiter exſiliens. Flumen aqua eſt copioſior perenniter alveo defluens. Amnis eſt flumen, quod aliquid circuit. Rivus aqua eſt tenuior, è fonte in alveum effuſa, & jugiter decurrens. Torrens eſt fluvius ſubitis imbribus concitatus, qui ſiccitatibus exareſcit. Fons igitur à fluvio differt, quia ut hic per alveum non fluit, vel ſi fluit, admodum tenuis eſt, ſi vero eſt major, non differt à fluvio. Cæterum fontes & flumina conſtant aqua, ut materia, & eruptione è vena ſubterranea, ut forma.

Difficultas major eſt circa fontium & fluviorum originem: qua in re improbabilis eſt Fromondi opinio, qui docebat, eſſe abyſſum quandam, veluti jecur hujus magni animalis mundi, & ex ea omnes omnium fontium & fluviorum aquas exire. Contra enim eſt primo, quod talis abyſſus ſine fundamento ullo adſtruatur, niſi nomine abyſſi intelligi velit mare, de quo loquitur Scriptura, nomenclaturâ hujus vocis uſa loco maris juxta illud Pſalm.35. *Judicia tua abyſſus multa.* Contra eſt ſecundo, quia difficilius non eſt, fontes & fluvios exire à mari, quam ex abyſſo hac, ſi daretur; ergo hoc potius dicendum foret. Rejecta igitur hac ſententia ſit

Con-

Concluſio ſecunda. Flumina minora, uti & plurimi fontes, oriuntur ex aquis pluvialibus Ratio eſt, quia montes, utpote qui habent maximam ſuperficiem, ex pluviis ac nivibus ebibunt per aperturas & rimulas multum aquæ, quibus terra madeſcit ſpongiæ inſtar; ſi ergo talis aqua calore interno terræ elevetur in vaporem, & à concameratione montium vapores refrigerati revertantur in aquam, poterunt oriri flumina minora, & fontes etiam perennes, eò quod nunquam conſumatur materia vaporum, antequam à novis pluviis & nivibus nova materia ſubminiſtretur. Secundo: Aquæ pluviæ & nivales delabuntur per rimulas & meatus inter ſaxa, & ubi deinde aditum inveniunt, erumpunt. Hinc eſt, quod multi ſint fontes circa montium latera, quæ hyeme fluunt magis, quam æſtate, & ſi tempeſtas ſit valde ſicca, deficiunt omnino. Eodem pacto fiunt ſæpè lacus in ſummis montibus, dum aquæ ex pluviis & nivibus confluunt in aliquem locum concavum, cujus fundus ſit ex argilla vel bitumine, atque adeo contineat aquam. Denique non tot viſuntur flumina & fontes, ubi rari ſunt imbres, ut in Æthiopiæ ſolitudinibus, & interiore Africa, aliisque in locis, quæ Solis ardore torrentur; contra vero Germania, Gallia & Italia rivis & fluminibus ſcatent, quia humido irrorantur cœlo. Huc referri poteſt illud, quod ſcribit doctiſſimus Gaſſendus de incremento Nili tam admirabili, nempe illius cauſam non aliam eſſe, quàm pluvias, quæ à medio circiter Junio ad Septembrem usque, vigent in Æthiopia. Unde non omnino etiam improbabilis eſt eorum opinio, qui dicunt eſſe in terra cavitates & alveos quosdam, quibus imbres excipiantur, atque dimanare ex illis fontes quidam & flumina minora.

Concluſio tertia. Majora tamen flumina, obeſioresque fontes & ſcaturigines ex pluviarum effuſione duntaxat naſci non poſſunt. Ratio eſt 1. quia nulla ferè pluvia tam magna eſt, ut terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat; ſed ſuperior terræ pars magna ex parte terræ humorem ebibit, & ut piurimum per torrentes effundit in fluvios. 2. Plurimi è duriſſimis ſaxis erumpunt fontes, qui collecti ex imbribus eſſe non poſſunt, cùm aquam ſolida ſaxa non bibant. 3. Quia in locis admodùm ſiccis putei per ducentûm aut trecentûm pedum ſpatia in altum effoſſi, inveniunt aquarum obeſas venas in ea profunditate, ad quam pluviatilis humor non pervenit, ut paulò ante dictum. Denique, ut bene obſervat Ariſtoteles, videtur impoſſibile eſſe, tantam, tamque ingentem quotidie & continenter fluentis aquæ copiam ex imbribus duntaxat generari.

Concluſio quarta. Non improbabile eſt, aliquos fontes etiam perennes, uti & minora flumina, oriri ex aëre vaporibus in aquam converſis, intra ſinus terræ ob frigiditatem nempe iſtius loci addenſatis, quæ deinde aqua in unum aliquem lacum capaciorem & ſubterraneum ſpecum fertur, tam diu in eodem commorans, donec acceſſione continente majore facta loco aliquo opportuno erumpat, ita docet Ariſtoteles 1. met. 3. Ratio eſt 1. quia multæ ſubterraneæ dantur cryptæ, in quibus aër & vapores in aquam converti poſſunt, quando poſſunt aliqui fontes ex iis continuo ſcaturire. Et confirmatur à pari: ſic videmus aërem ad vitreas feneſtras condenſari, & tandem in guttulas aquæ reſolvi, ita ut hinc non rarò in terram defluat, ergo idem fieri poterit in ſpecubus ſubterraneis, qui alembici diſtillatorii naturam habent. 2. Probatur Concluſio ex ipſa aëris naturâ, qui cùm ſit calidus & humidus amiſſo calore humiditatis ſymbolo convenit cum aqua, & ita facilè in eam mutatur. 3. Abſurdum etiam eſt, ut inquit, non ex eadem cauſa in terra oriri poſſe aquam, ex qua ſuper terram & in aëre oritur. 4. demum, quod plerumque ex montibus conſpiciantur, egredi fontes & flumina, ergo ſignum eſt intra ſinus illorum, dari aquarum generationem ex vaporibus collectis. Unde aliqui non inepte montes contendunt, ut paulò ante annotavimus, eſſe inſtar alembici, ubi vapores à ſubterraneis ignibus ſuppoſitis in altum elevati, refrigerantur, tam ab interna forma aquæ, quam à naturali frigore ſaxorum.

Concluſio quinta. De omnibus tamen fontibus & fluminibus majoribus dici non poteſt, ea ex aëre & vapore in aquam ſolutis gigni. Ratio eſt, quia tanta multitudo aquarum in fontes & fluvios abit, ut vix ſufficere illi poſſet maxima pars aëris, præſertim cum aër parum in ſe aquæ & terræ convertat. Hinc ad parvam aquæ quantitatem procreandam multo plures aëris partes ſunt neceſſariæ. 2. In quibusdam regionibus ardore Solis peruſtis, ubi perexigua eſt vaporum copia, flumina, fontesque exoriuntur. 3. Quidam fluvii ampliſſimi ſunt, v. g. fluvius Maragnonius, quem ajunt exonerare ſe in mare per oſtium 70. leucas patens. Nili fluvii vaſtitas conſtat ex magnitudine oſtiorum ejus, quæ ſunt ſeptem aut novem, vel ut ait *Guilielmus Tyrius*, quatuor tantum, ſed ita grandia, ut videantur eſſe maria, teſte *Seneca*, atque adeo totius ferè mundi aër, & vapor ad horum generationem inſufficiens eſſe videatur. Unde ſit.

Concluſio ſexta. Perennium fontium, fluviorumque præſertim majorum originem è mari eſſe. Nititur hæc aſſertio hiſce potiſſimum argumentis. Primo, quia incredibile omnino videtur, ut in priori Concluſione inſinuatum, tantum aquæ ex vaporibus & aëre in terræ ſinu generari, aut ex deciduis imbribus profluere, ut ad tam magnum fontanæ & fluvialis aquæ defluxum, & ad tot ſcaturigines replendas ſufficiat. Secundo, quia alioquin nulla aſſignaretur cauſa ſufficiens, cur ex perpetuo fluviorum acceſſu mare non redundaret. Quomodo v. g. tam multi amnes ex Perſide, ex Tattaria & Moſcovia decurrant in mare Caſpium: ac maxime *Volga* fluvius, qui ut ſcribit P Fornarius in Hydrographia, ſeptuaginta duobus oſtiis in ipſum mare Caſpium devolvitur, nec tamen appareat ullum inde accipere incrementum. Idemque in mediterraneo, & in Oceano per proportionem videmus contingere. Quare neceſſe eſt, per meatus ſubterraneos diffluere vim illam aquarum, quæ pepetua veluti circulatione redeat ad ea loca, in quibus vulgo deprehenduntur fluviorum ac fontium ſcaturigines. Adde, quod quatuor illa paradiſi flumina non potuerint ex vaporibus, aut ex pluviis gigni, quia eruperunt ſubitò ad imperium Dei; neque ulla commodior via ſuppetit ad explicandam fluminum originem, quam ſi dicamus, perfoſſas eſſe à DEO canales in terra die tertià, per quos aqua derivetur à mari ad ora fluminum. Quod ipſum & divinæ litteræ *cap. Eccl. 1.* non obſcure docent illis verbis: *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat; ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.*

Oppones tamen contra primo. Aqua fontium & fluviorum dulcis eſt, cum tamen ex mari non promanet ulla niſi ſalſa, unde ex mari non derivatur. Reſpondeo, ideo aquam fluminis dulcem eſſe, quamvis è mari derivetur, quia per terræ venas & fibras, perque anfractus multiplices verberata & eliquata transcolatur, & amaritudinem deponit. Cui rei non parum etiam confert vis ignium ſubterraneorum, nam horum beneficio attenuantur, exſpirantque ſalis ſpiritus illi admixti. Sicut, ſi in alembico calore moderato diſtilletur aqua maris, evadit dulcis.

Oppones ſecundo, quòd hoc modo non videatur, qua ratione aqua ſuopte ingenio gravis poſſit aſcendere è mari in altiſſimos montes, è quibus tam multa flumina erumpunt. Reſpondeo, cauſam hujus aſcenſus poſſe eſſe primò ignes ſubterraneos, quibus aqua vaporatur ſurſum ad terræ ſuperficiem, per cujus naturale frigus addenſata, iterum in terram redit, ſicut videmus in alembicis. Unde ſæpè aquileges ſupra capita fontium nihil iuveniunt niſi roſcidos lapides, & terram humectatam. Hinc ſignum etiam venæ latentis eſt, ſi mane vaporem tenuem è terra ſublatum videas, ut tradit Vitruvius lib. 8. c. 1. Et hæc etiam poterit eſſe ratio, cur hiberno tempore abundantiores ſint aquæ fontium, quia ſcilicet plures in terræ viſceribus includuntur ſpiritus, à quibus vaporari poſſit aqua. Hanc ob cauſam igitur abundare montes ſolent fontibus, quia ignes plerumque habent ſuppoſitos. Secundo, cauſa eſſe poteſt, quod aqua ex mari in canales ſubterraneos profuſa, tanto pondere incumbentis ipſius maris urgeatur, ut cogatur efferri ſurſum.

Neque dicas, ſuperiorem aquam non premere contra inferiorem, nam dico, verum eſſe illud, ubi inferior eandem habet gravitatem cum ſuperiori. Quia autem ex mari effunditur per tractus ſubterraneos, ob variam illam agitationem & reverberationem, dum ob caloris ſubterranei admixtionem, de quo modo ajebamus, attenuatur, efficiturque levior. Et vero dubium non eſt, quin aqua dulcis levior ſit, quam ſalſa.

Tertia cauſa eſſe poteſt terræ ſiccitas, quæ aquam ſugit inſtar ſpongiæ & eminentioribus locis reddit, ſicut contingere videmus in pannis & pane. Alii demum etiam vi cœleſtium corporum ſurſum attrahi aquam cenſent.

Oppones tertio. Si flumina & fontes ex mari ortum ducunt, nunquam deberent deficere, aut exſiccari, quod tamen ſæpè contingit. Reſpondeo, verum illud eſſe, maximè de iis fontibus qui oriuntur ex aëre vapido, & aquis pluvialibus. Quanquam & fluvii, qui ex mari promanant, poſſint interdum deficere, ſi collabentibus terris, canales eorum obſtruantur. Præterea fieri hoc poteſt ob novam ſylvæ, arborumque procreationem, quia hæ uliginem terræ, & aquam ſibi in alimentum advocant. Pariter nova generatio alicujus lacus ſubterranei cauſa eſſe poteſt, è quo aqua in terræ ſuperficiem derivatur. His addit Ariſtoteles rationem, quod terræ partes interiores, quemadmodum animantium & plantarum corpora ſenectam habeant & ſicciores evadant, ideoque neceſſario fontes evaneſcere. Ita in Arcadia fontes & fluvios aruiſſe, *Theophraſtes* nocavit. Aqua pariter fluxit, ubi nunc Græcia habitatur.


Ex quo & illud colliges, quomodo ſæpe repentè flumina erumpant, ſi enim ſylvæ exſtirpentur, aqua ſylvarum nutrix ablatis arboribus otioſa, in fluvium ſe effundit. Sic fecit aliquando aquarum inops Hæmus, ſed cum Gallorum gens à Caſſandro obſeſſa, in illum ſedes ſuas transtuliſſet, ac ſylvas cecidiſſet, ingens aquarum copia apparuit, quam videlicet in alimentum ſuum prius nemora trahebant.

CON-

# CONCLUSIO POLITICA.

## Obſcuri natales factis illuſtrandi.

56.




FLumina magna vides parvis de fontibus orta. Ovid. Accede nobiliſſimi fluviorum Danubii incunabula, levi pede transvadabis. Tam vaſtis augmentis ab occidente ad orientem decurrit, ut ſexaginta & ampliùs fluminum tributario acceſſu velut mare adauctus, in mare Euxinum ſe præcipitet. Et haud ſecundi ab Iſtro fluminis Rheni principia ſi indages, ad tenuem ortum vel infantes colludunt. In talem fluviorum Gigantem excreſcit, ut volantium navium velis remisque ſe ſubſternat, nonniſi vaſtiſſimo mari cedat, ab Oceano abſorptus. Adeò ut vera ſit eloquentiſſimi virorum ſententia: *Omnium rerum principia parva ſunt, ſed ſuis progreſſionibus uſu augentur.* Maximarum moles arborum exiguo ſemine naſcuntur. Nonne *neglecta ſolent incendia ſumere vires?* Horat. Nonne *Iſta, quantumvis exigua in majus excedunt? Quamvis levia morborum initia ſerpunt? & ægra corpora minima interdum mergit acceſſio?* Seneca. *Me vero non clam eſt, maximorum ſæpè bellorum tenuiſſima principia, contemptiſſimaq; fuiſſe. Perſicum ex Meandri Samii cum Athenienſibus diſſidio fuiſſe ortum perhibent. Peloponneſiacum propter Mergarenſium tabellam.* Ælianus. Ut malorum, ſic bonorum partuum initia tenuia ſunt, ſed progreſſu augentur. Virgula à ſtipite reciſa par fit matri arbori: *umbrasque terris reddit & cœlo nemus.* Seneca. Longiſſimi ſtemmatis genethliacæ arbores tenui radice exurgunt. Non contemnendi ſunt natales tenues: qualis quis eſt: non à qualibus, attendendum. Nemini hactenus viluit aurum, licèt obſcuris natalibus è terræ viſceribus erutum. Et tantò ſunt in pretio magis gemmei partus, quando rarius, quod à rudi ac impolita genitrice educentur. Non te dejiciat, Politice, cunabulorum ignobilitas; te tuo adde, te perfice; nam & Heroum ſtatuæ atque coloſſi abjectos *natales*, Terram ſortiuntur. Vanum eſt præter aviti ſan-

*Ovid. l.1. remed.*
*Cic. l.5. defin.*
*Horat. l.1. ep.19.*
*Sen. ep. 89.*
*Ælian. de var. hiſtor l.22. c.53.*
*Senec. in Troade.*

*Ariſtot. l.* ſanguinis ſyllabum numerare nihil: *Nobiles ii demum videntur eſſe, in quibus majorum virtus ineſt.*
*Polit.5.c 1.* Quod natura negavit, imitando aſſequere: & quem rudi è linea ortum traxiſti, colores no-
bilium adapta, ex eorum factis te pinge. Quæ laus fatuorum ignium, quod ſereniſſimam So-
lis majeſtatem patrem habeant, quando ipſi tenues ſunt ſcintillæ inter tenebras evanidæ?
Glorioſius magis lucem è tenebris eruere: quam luce ortum ſeipſum turpibus tenebris ſepe-
*Stob.ſerm.* lire. *Neque frumentum optimum judicandum*, dicebat Socrates, *quod in pulcherrimo agro natum eſt,*
*84.* *ſed quod commode nutrit: neque vir bonus, qui genere clarus, ſed qui moribus egregiis fuerit.* Sæpè
ex hortorum florilegio ſpinæ & urticæ pullulant: at ad aratrum & ſtivam educati Abdolonimi
& Bambæ ſceptro rotando ſe aptant. Iſte ad Regnum Hiſpaniæ moderandum aſſumptus,
ſua virtute Mauros Hiſpaniæ littora cum ducentis navibus ingreſſos fudit, claſſemque ſuc-
cendit. Ille ex ſuburbani horti cultura ab Alexandro Magno Sydoniis præfectus Rex, tum ju-
*Q. Curt. l.* ſti, tum ſapientis Principis nomen tenuit: dicente cauſam ſuæ promotionis Alexandro: *Ne*
*4.* *quis forte exiſtimet, me non virtuti, ſed generi regnum tribuiſſe.* E Terra, ignobili matre, florum
*Ariſt. l. 1.* regina prodit roſa, originis vilitatem pulchritudine domeſtica compenſans. *Quod in princi-*
*de cœlo.* *pio modicum eſt, in fine fit perquam magnum.* Degenere ſi columba es natus, tu marte proprio
*c. 38.* ad Solem evola. Ut non omnes matre aquila natæ Solem ferunt, ſed multæ rupibus alliſæ
degeneris naturæ pœnas luunt: Itá multi natalium charactere ignobiles aquilam rexerunt, ſu-
pra cæterorum vertices, imperio inſignes. S. P. Q. R. Cajum Marium genere ignobilem belli
Imperatorem contra Jugurtham elegit, adverſariis reponentem: *Contemnunt novitatem meam,*
*Salluſt. in* *ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, aliis probra objectantur. Quanquam ego naturam unam &*
*Jugurt.* *communem omnium exiſtimo eſſe, ſed fortiſſimum quemque generoſiſſimum.* Stagnantes lacunæ O-
lympo depluo, aut maris eluvio natæ confluxerunt in valles. Num ideo glorioſæ ſunt, cum
turpi marceſcentes otio, natalium celſitudinem putredine commaculant? obſcurus qui natus
eſt, in lucem ſi proprio volatu emergat, Solis filius eſt. Aureus ſis, licèt plumbeis parenti-
*Annales* bus natus. Carolus Cæſar Pariſienſes ſcholas ingreſſus, pauperes ſtudio inſignes dignitati-
*Pariſienſ.* bus ornavit, nobilibus deſidibus rejectis. Sigismundus Imp. à Magnatibus reprehenſus, ob-
*Spieg. in* ſcuri generis pullos, ob virtutem & litteras quod elevet: *Quidni amem eos, repoſuit, quos natu-*
*Æn. Sylv.* *ra cœteris antecellere voluit?* Non tu parentibus & patriæ probro es, ſi, cùm illi mali fuerint &
*Tac. l. 1.* ignobiles, tu bonus ſis. Dedecus eſt patris, patriæque, qui ſola gloriatur ſanguinis claritate,
*annal.* ipſe factis obſcurus. Agrippam ignobilem Auguſtus æſtimavit, quia virtutibus nobilem.
*Rict. l. 2.* Tull. Hoſtilium Romanus populus è tugurio evexit ad Thronum, quia meritis bonum. Sic
*rer. Hiſp.* nihil non parvum fieri poteſt magnum. Romanum Imperium, *quod fundit in omnes imperium,*
*Claudian.* *primiq; dedit cunabula juris, diſperſit cum Sole manus:* Quos natales numerat? *Finibus exiguis, par-*
*vaq; à ſede profecta.* Claudianus.

# QUÆSTIO II.

## *De obſervationibus hydrognomicis fontium, eorumque venis & ſcaturigine.*

EGimus de ortu fontium; nunc quædam circa eorum indica, venas & ſcaturigines explicabimus. Primam praxim detegendi ſaturiginem ſequentem ponit, Vitruvius lib. 8. Architect. c. 1. antequam Sol exoriatur, procumbatur in dentes iis in locis, quibus vena inquiritur; & in terra mento collocato & fulto proſpiciantur eæ regiones; ſic enim non errabit excelſius viſus, quam oporteat, cúm erit immotum mentum; ſed ad libratam altitudinem in regionibus certa finitione deſignabit. Tunc in quibus locis videbuntur humores ſe concriſpantes, & in aërem ſurgentes, ibi itaque fodiatur, non enim in ſicco loco hoc ſignum poteſt fieri. Ita ille. Ubi notandum, quod tenuiſſimus hic fumus ſpeciem quaſi columnæ referens, quanta fuerit altitudine ad ſummum porrectus, tantum aquæ in imo lateat.

Aliæ ab eodem præſcriptæ praxes hæ recenſentur: cum de aliquo loco dubium oritur, num in eo vena lateat, præſcribit, foſſam erui latitudine trium pedum, pelvimque aut Scaphium oleo prius inunctum, inverſumque ibidem recondi, & arundinibus, palea, fimo & terra operiri; ſi poſtero die in eo guttæ aquæ apparent, ſignum eſt latentis aquæ. Item ſi in eadem foſſa collocetur vas figulinum crudum, aut cretaceum necdum coctum, quod humidum apparebit; vellusque ſi ibidem collocatum apparuerit poſtero die madidum, ità ut humor exprimi poſſit. Tertio, ſi lucerna oleo plena, & accenſa in eadem foſſa frondibus cooperta ponatur, poſtera vero luce comperiatur exſtincta, nullo olei & vel elychni defectu. Quartò demum ſi ignis accendatur, & terra aduſta nebuloſum exſpiret halitum; latentis aquæ indicium erit.

Præte

Præter enumerata à Vitruvio indicium labentis aquæ etiam eſſe poteſt, primò ſi virentium herbarum & arborum copia locum veſtiat. Quo argumento exſtat epiſtola Theodorici primi Oſtrogothorum Regis apud Caſſiodorum var. lib. 3. c. 53. ex qua iſthæc verba excerpta: *Terris, quibus dulcis humor non longe ſubeſt, ubertas quorundam germinum ſemper arridet, ut eſt juncus aquatilis, canna levis, rubus validus, ſalix lenta, populus virens, & reliqua arborum genera, quæ tamen ultra naturam ſuam felici proceritate luxuriant.*

Secundo. Ubi evagantium ranarum agmen terram obſidet. Imo Plinius etiam ex iiſdem animalculis latentem aquam deprehendere docet, ſi rana ſuper ventrem & pectus diu jacens obſervetur.

Tertio. Colligi ex terræ qualitate & natura; in argilloſa nempe dulcis; in topho frigida reperitur. Glarea incertas, ſed boni odoris aquas ſpondet; ſabulum ex arena carbunculoſa certas, ſtabiles & ſalubres pollicetur; rubea vero ſaxa, optimas. Ubi vero cretaceum occurrit ſolum miſcellâ corruptum, ibi nec copia, nec boni ſaporis aqua ſperanda.

Quarto demum, ubi in ſcaturigine lutum ſubcœruleum invenitur: ipſa ſcaturigo illicò cenſetur præſens. Nam experientiâ compertum, nullam ſcaturiginem ſine tali luto reperiri. Et quamvis nonnullæ ex duriſſimis ſaxis profluant, ſi tamen profundius in eas inquiratur, tale lutum non emanebit, ut docet Becherus.

Huc referri poteſt, quod de virga fontis ſcrutatrice Kircherus exponit in mund. ſubterr. p. 2. qui rami ex alno reciſi inclinatione ſe aquam reperiſſe teſtatur: cujus inclinationis cauſam alii refundunt in actionem in diſtans, alii in virtutem magneticam aquæ latentis, at minus ſundatè, unde melius hujus ratio aſſignatur exhalatio aquæ per radices arboris hauſta, & per omnes ejus frondes diffuſa, unde fit, ut eadem etiam in reſecto ramo maneat, atque hinc accedente novo aquei vaporis augmento virga prægravetur, & ex ea, quâ gravata eſt, parte ſe inclinet. Quam ob cauſam manè ſolùm ad aquas inflectitur, nempe dum vapores aſcendunt, Sole vero vergente ad meridiem non incurvatur, non ex alio capite, quàm quia calor vehementior vapores abſumpſit. Confirmationem hujus deſume ex bilance æquilibrata, quam ita colloca, ut una ejus ſcutella ollæ aqua calidâ ferventi immineat, altera ſtet libera, ocyus illa à vapore aſcendente prægravata inclinabitur, nec niſi vapore conſumpto ad æquilibrium redibit.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Muneribus hoſtis conſilia expiſcanda.

PRofunda abyſſus hoſtilis eſt animus, non niſi lyncea indagine rimandus. Tegit de induſtria, & aliorum oculis ſubtrahit occultos mentis cuniculos. Stratagema militare eſt, ſipario involvere conſilia; perdita ſunt, quæ prodita. Romana Senatûs conſulta tacita dicebantur, Conſiliarios belli Tacitorum de gente eſſe oportet. *Diligentius tuenda ſunt depoſita verborum, quam pecuniarum.* Numen Perſis dabatur, ſilentii nomen quod habebat: ſub Marte, bellantium Numine, qui profitetur, ſciat tacere, vel cum Pompejo invicto Romanorum Duce digitus ad lucernam cremandus, quam arcanum alienæ auri revelandum. Ferdinandus II. Rom. Imp. quæ in deliberationem veniebant, nonniſi à ſingulis ſejunctim conſilia expetiit, nam pluribus tacenda committere, eſt palàm facere. Prædicanda ſanè Conſiſtorii Spirenſis conſtitutio: *In Senatu geſta, dicta, judicata, æterno ſilentio tegunto, nihil injuſſu Cæſaris revelanto.*

*Socrat. ad Demon.*
*Panorm. in vit. Ferd.*
*Ord. p. 1. tit. 13. §. 15.*

At vero de ratione bellandi eſt, hoſtis conſilia, machinationesq; reſcire. *Grandis cautio eſt, adverſarii animum cognoviſſe: etenim hoſtem prius ſenſiſſe, ſuperaſſe eſt.* Anthemii Imperatoris hic ſenſus erat. Qui ſcies, quod hoſtis ciet? Noſti, abditos fontium receſſus ac ſcaturigines divinatoria virga tentari. Inclinat ſe? fontem prodidit. Inclinata revelat. Quid magis lucratur animos, quam lucrum? *Pecuniæ enim cunctæ ſunt difficultates perviæ.* Si donaſti, animum inclinaſti. Aurea clavis peculium eſt, hac ſera oris reſeratur. Eme Conſiliarii animum, hac arte arcana cognoſces. Scrutinia mille peſſulis occluſa, aureis argenteisque clavibus patent. Fortiſſima machina pecunia eſt, hac machinas hoſtium penetrabis. Authorem habes, non defuiſſe Regem, qui ſupra quadraginta aureorum millia in eum congeſſit, qui ab epiſtolis alterius erat, quo conſilium Domini aperiret. Aures & linguam emiſti, ſi crumenam pandiſti. Benignior Solis radius flores é terræ ſinu prolicit; quæ in cordis ſinu ſepulta latent hoſtis conſilia, affulgente auro reſcies. Regula belli eſt, quam Livius tradit: *Tuum & hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam recognoſce.* Hæc ſcire, vincere eſt. At num per te, tuosque hæc ſemper penetrabis? Ab hoſtili documento ſcientiam habe. Scrinium aperi, & hoſtis ſcrutinium tibi pandetur. Difficulter eum vinci, dixit Vegetius, qui de ſuis & adver-

*Anthem. apud Baron tom. 6. annal.*
*Apul. l. 9.*
*Scriban in Polit. l. 1. c. 126.*
*Liv. l. 32.*

ſarii

ſarii viribus, ac copiis, locorum ſitu & ingenio poteſt judicare. Hic Fridericus ille Barbaroſſa excelluit:

57.




*Ardua ſolicito luſtrabat mœnia greſſu,*
*Spectabat muros, ſpectabat robora valli,*
*Quæq; locum vaſto cingebant aggere foſſas,*
*Quæq; viam cæptis facilem fortuna parare,*
Virgil. l. 8. in proœm. *Tuta videbatur, curâ ſtudioq; ſagaci*
*Acriter intendens, oculis & mente notabat.*

Surgant contra te hoſtiles exercitus, machinentur ferreos imbres: tu aureis armis obvia, inimicas inſidias prævola ſcientiâ excipe: validius, certiusque vincunt argenteæ, quam ferreæ haſtæ, magni Macedonis eſt monitum. Auream ſementem ſparge, ut meſſem feras victoriam contra hoſtem, ejus arcana conſilia invertendo. Nihil in Imperatore belli laudabilius, quam hoſtis ſui deliberationes prænoſcere. Ingenii aciem hic totam intendiſſe videtur Julius Cæſarum Parens (& vel maxime Arioviſtus ſenſit) hoſtis intentum indagare, at non ſine numine pecunia. Explora, quid adverſarius concluſerit, arcanis decretis intende: Tacit. l. 15. annal. muneribus tibi viam pandes; nam: *Præmio cuncta ſunt pervia.*

# QUÆSTIO III.

## *Satisfit variis adhuc aliis quæſitis de fontium & fluminum affectionibus.*

Quæres 1. Unde oriatur diverſitas ſaporum, & medica virtus variorum fontium? Reſpondeo, quod primo oriri poſſit ex eo, quod terra, ex qua elevantur vapores, ſit mine-

mineralis, ac proinde cùm vapores elevantur & diſtillantur, elevantur etiam, ac deinde diſtillantur exhalationes minerales, quæ aquis ſuas virtutes communicant. Secundo oriri poteſt ex eo, quod aquæ antequam erumpant, transeant per mineras, & imbibant earum ſapores & virtutes; ſi enim transeunt per ſalem, evadunt ſalſæ, ſi per ſulphur, ſulphureæ; ſi per mineras auri & argenti, concipiunt optimas qualitates auri & argenti, & deferunt etiam aliquas arenas aureas & argenteas. Hinc in Islandia reperiuntur fontes ſapore cereviſiæ. In Meſopotamia Caburæ fons eſt ſuaveolentis aquæ. In Æthiopia quidam violas olet. In Lybia haud longè à fluvio, qui Niger dicitur, fons aquæ dulciſſimæ quaſi ſaccharo imbutæ reperitur.

Quæres ſecundo: Unde varius fontium & fluminum color proveniat? Reſpondeo, hunc pariter provenire vel á metallo vel minera, quam lavant, vel à terra, per quam fluunt, ut de colore maris annotavimus, v. g. quædam aquæ candidæ apparent à ſubjecta creta, ut in multis locis Danubius. Sic Peneus in alveo virorem ſimulat, cum in potu argenteus ſit. Ganges in India eſt niger, Galeſus in Italia, & Allera in Germania ſimilis eſt atramento. Rhenus ſubviridis eſt, Tyberis & Mœnus ab arenis flavi. In Theſſalia duo ſunt amnes, ex quorum uno, dum bibunt oves, lanam acquirunt nigram, ex altero albam; cùm verò ex utroq; ſimul, lanam maculoſam ex nigro & albo colore. In China fluvius eſt magnus, Hoanus dictus, colore croceo aquam turbidam volvit. Infra civitatem Fovinus ex monte Talo effluit rivulus, cujus aqua in autumno cœruleo colore tincta eſt, quæ & ad pannorum tincturam adhibetur. In Provincia Amapaja Regni Guianæ rivi manant ſanguinei, quorum aqua ad meridiem innoxiè potatur, ante verò & poſt meridiem veneno infecta nocet. Lacus in Polonia, Biale dictus, menſibus Aprili & Majo homines, ejus aquâ ad loturam utentes, fuſco colore inficit.

Quæres tertio: Quid de fontium motu & agitatione ſentiendum, num & hic varius ſit? Reſpondeo affirmative, neque horum motuum, præter dicta de motu maris, ratio occurrit, adeo enim varius hic & pæne prodigioſus in quibusdam fontibus obſervatur, ut admirari duntaxat liceat. Quidam tanta vi exſiliunt, ut ſaxa extrudant, veluti Marſyæ fons in Phrygia, & quodvis pondus reſpuunt, ut quidam in Arabia, cujus naturæ etiam fuit unus in Luſitania in agro Catinenſi; quidam injecta abſorbent, ut unus, qui in eodem agro nunc exſtat. Vide de his Plinium l. 2. Natur. Hiſtor. cap. 103. quidam cùm ſemper abundent aqua, nunquam effluunt, ſicut Pyrene in radice Acraborinthi. Alii licet frigidi, ebulliunt tamen more efferveſcentis aquæ ad ignem; nec tamen aquas extra labia evomunt, ſed eas confeſtim reſorbent, ut in Elbogano Acidula, quam inſanam vocant; alii modo intumeſcunt, modo reſident, ut Crater Thuringiæ. Item fons Italis Pluviana dictus in Comenſi agro juxta Larium lacum, qui id ſingulis horis facit, vel ter in die. Alii æſtum maris æmulantur, cùm eoquè pariter incrementa, & decrementa recipiunt, ut unus in Gadibus, alter Burdegalæ in Gallia. Quidam contrario ſe habent modo ac mare; nam eo accedente minuuntur; recedente augeſcunt, quales dicuntur in Hiſpania quidam putei. Alii abſque conſenſu aliquo cum mari nunc augeſcunt ter, nunc deficiunt; ut fons in Tenedo Inſula, quem ferunt à tertia noctis hora in ſextam ab æſtivo ſolſtitio exundare. Alius in Dodone, qui meridie ſemper deficit; mox increſcens ad medium noctis exuberat, & ab eo paulatim rurſus minuitur. In Cantabria quoque tres fontes ſunt octonis pedibus diſtantes, & in unum alveum vaſto amne coëuntes, qui ſingulis diebus ſiccantur duodecies, aliquando vicies. Quidam fontes ſe ſponte ſuâ expurgant, namque poſt magna intervalla temporis, quidquid putre in eis jacuit, lutum, folia, teſtas ex imo egerunt, ut in Cherſoneſo Rhodiorum fons. His adjunge fontem mirabilem in Perſiæ civitate Schiras, qui ad 15. annos ſenſim accreſcit, inde vero de nuò per 15. annos ſenſim rurſus decreſcit usque ad fundum ſcaturiginis; abinde verò rurſum ut antea intumeſcit. Sunt & lacus & fontes, qui ad injecta quævis mirè efferveſcunt & tumultuantur, ut etiam tempeſtates & tonitrua cieant. Talis reperitur in Marchionatu Badenſi, quatuor horis à civitate Badena diſſitus, qui ad quæcunque injecta pluvias & tonitrua adducit. Similis huic lacus eſt in Styriæ montibus, qui vulgò Schwanberger-Alben dicuntur. In Peruvia haud longe ab oppido *Cuzeo* lacus eſſe perhibetur, qui pridie diei Cinerum usque ad Sabbathum ſanctum, adeoque per totam quadrageſimam omnis generis piſcibus abundat; reliquo vero tempore ne unicus quidem piſciculus ibidem reperiri poteſt.

Quæres quarto: num & aliæ adhuc affectiones fontium ſint? Reſpondeo, eſſe quamplurimas & admirabiles, quæ ab auctoribus traduntur. Apud Garamantes perhibent fontem eſſe tam frigidum interdiu, ut non bibatur; tam calidum noctu, ut non tangatur. Et in Epiro alium, in quo faces extinctæ reaccenduntur. Alium in Indiæ terris, cujus aquæ lucernæ ardeant. Item alium olim Jovis Ammonis dictum, qui ſub luce tepentibus aquis manat, meridie frigidus eſt, veſpere calet, media nocte æſtuat, hinc deferveſcere incipit, & ſub diei exortum rurſus tepidior fit; ſicque alternis vicibus nunc calorem ſubit, nunc frigus mira

varietate. Aqua fontium quorundam apud Ligures, & in Paphlagonia, & in agro Caleno vini more inebriat. Fons alius in Arania Arcadiæ parte tantum vini tædium ingerit, ut qui ejus aquam bibunt, nec odorem vini ferre queant, cui ſimilem vim obtinent aquæ Clitorii lacus in Arcadia. De quo ita cecinit Ovid 15. Metamorph.

*Clitorio quicunque ſitim de fonte levari*
*Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius undis.*

In Bœotia juxta flumen Orchomenon duo ſunt fontes; quorum alter, quem Lethen vocant, oblivionem affert, alter memoriam. Eſt & in Cea inſula fons hebetes reddens ſenſus; in Æthiopia alius inſaniam inducens. Quorundam fontium aquæ enecant, ut aqua ſtygis in Arcadia, cujus veneno nulla materia præter mulæ, vel ut alii tradunt, equi ungula, non perroditur. In Sicilia fontes eſſe dicuntur, vocati *Cleon & Gelon*, quorum ille à fletu, quem in bibentibus efficit; hic à riſu, quod potantes in eum diſſolvat, nominatur. In Salenio Achajæ fluvio amores deponi volunt. In Hiberniæ provincia Cannochia fons eſt, qui bibentes efficit canos, cui prope ſcaturit alius, qui canos commutat in nigros. In montibus *Cignien* provinciæ *Honau* in ſpelunca quadam lacus reperitur, cujus aqua aſperſi depilantur & calveſcunt. Denique in Bonica Inſula non procul ab Hiſpaniola, in vertice montis fons ſcaturit, juventutem, ut dicunt, reſtituens.

Quæres quinto: Cur fontes aliqui in hyeme pauciores effundant aquas, quam in æſtate? Reſpondeo cauſam haud improbabilem eſſe, quod hyeme origo, unde oriuntur, magis turbida fiat & lutoſa, ob idque craſſiorem devehat aquam, quæ non facilè terram penetrare poteſt; æſtate vero, quòd minus ſit turbida, faciliusque intra glaream, terræque ac ſaxorum meatus procurrat. Ex harum aquarum genere plerumque videntur eſſe puteales non adeo profundæ & quæ effoſſâ terrâ inveniuntur.

Quæres ſexto: Cur putei hyeme calidiores ſint, quam æſtate? Reſpondeo, hoc fieri ob frigus terræ ſuperficiem obſidens, hinc gelu conſtricta, exhalationes calidas, quæ à ſubteraneis ignibus excitantur, emittere impotens, eos gremio concluſas ſervat, quæ deinde aquam tepefaciunt.


# CONCLUSIO POLITICA.
## Amicos & Clientes conſerva.

VEnto citius mutantur hominum favores: Quid mirum? Favonii ſunt. Sæpè ſub Heſperum factus eſt Vatinius, qui ſub Phosphoro Pylades fuit, aut Epheſtion. Amicitiæ hominum fragiles ſunt, ſunt enim vincula mortalium: moriuntur momento. Proteos agimus, formas ſubito mutamus: quem levavimus heri, hodie deprimimus. Cadit improviſò, qui inopinato ſurrexit. Non mirare: Carnis brachio elatus, ſtetit fictili pede. Ut nunquam lunaris ſphæra eodem, quo prius orbe micat: ità, qui prius pleno vultu amicus aut Patronus arriſit, facilè ſupercilium contrahit. Firmi nihil habet mortalium amicitia, vertumnum indies induit. Omnium locò prodeat Magnus orbis Domitor Alexander: Caliſthenem æſtimavit, Caliſthenem amavit, Caliſthenem promovit, Caliſthenem favoribus cumulavit, Caliſthenem ſupra omnes extulit, Caliſthenem (ô fortunæ volubilis rotam) depreſſit, occidit. Vel nodum Gordium præ amicitiæ vinculo hos inter ſolvendum credidiſſes; momento inimicus eſt factus, qui fuit amicus. Ita nihil tam eſt arctum, quod non rumpitur: & quod catena videbatur, frangitur amicitiæ filum. Quos animorum unio agglutinat, & clientela copulat, facilis aura in partes ſcindit. Ut labor & requies alternant; ut dimidio Imperio noctes diebus ſuccedunt: ſic raro continuat meridies favorum; & quem ſerenum dedit amici oculum oriens, veſper obnubilat. Facilis umbra diem ſuccidit. Vitrei ſunt affectus hominum, quid citiùs frangitur? Patronorum alæ aleæ ſunt, ſecundo dum ludunt oculo, mox nullo illudunt, dum nulla cadit amicitia. Qui totus, & omnia Neronis erat, Magiſter Seneca, factus eſt nullus, eſſe deſiit, è ſinu repentè cecidit, gratiæ venis disruptis, dum venis ſciſſis filum vitæ fuit diſruptum.

Conſilium audi, Politicum agere vis? ſerva monitum Philoſophicum: *Ama, non tanquam oſurus, ſed tanquam amaturus perpetuò.* Aut non erige Clientem, ſi deſerere vis: aut amare ſi incipis, non ceſſa amare. *Non eſt amicus hic, qui ſemper non amat.* Turpe eſt viro, ſibi non conſtare: ſi per te ſtat Cliens aut amicus, noli tibi ipſi eſſe inconſtans. Teipſo excidis, ſi qui tibi carò chariſſimus ſtetit, tua fragilitate rurſus cadit. Fortunæ globo tua ope collocatum ſuſtenta, turpis vertigo eſt, cum deprimere, qui in capite ſtetit. Utut fluidum elemen-

elementum eſt aqua, vides tamen, quem ſinu ſuo excepit globum, atque levavit, gremio ſuſtinet. Nimium pectore diffluis, & hydropicis ageris paroxyſmis, ſi quem hodie cordi impreſſiſti, facili litura excludis. Tuam prodis inconſtantiam, ſi, qui ſemel ſtetit, tua levitate

58.




excuſſus jacet. Debilis fis, ſuſtentando ſi non ſis, qui fuiſti erigendo. Id potius age, prius eligas, quam erigas; antequam diligas, deligas. *Jam probatos amicos ama, non amatos proba. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit; cùm placuerit tibi toto pectore admitte.* Binis *Sen. ep. 3.*
baſibus inſiſte, uno pede ingredere, altero immobilis perſevera. Prudentiâ amicitiam inchoa, conſtantiâ proſequere. Ut non expedit *cuivis dextram porrigere*, ita virtutis non eſt *Pythag. in ſymb.*
facile rejicere, ut ſic *pudeat elegiſſe.* Delectos dilectos habeas; veteres probatos mutare, novos aſſumere, turpis eſt libellus repudii. Mutare fœminarum eſt, Lunaticus genius; ſe- *Bias Philoſ.*
cundum temporis motum moveri, & mox odiſſe, quod amaveris. *Tarde contrahendæ ſunt amicitiæ, at contractæ perpetuo conſervandæ.* Lydio lapide aurum probatur: *non eſt amicus absque* *Socrat. in Nicomachicis l. 8.*
*temporis mora*: cautionem adhibe priusquam eligas. Nam *ut Zeuxis lente pingebat, quod diu duraret: ita diu explorandus amicus, qui ſit perpetuus futurus. Inimicitias mortales, amicitias immortales eſſe oportere*, dicebat Livius. Lœlius vero: *ad extremam vitæ diem amicitias permanere debere.* Hoc *Plinius.*
ſit ſtudium Politici, Alberti II. Cæſaris mutuatum ex Solone proverbium, tritum habere: *Lælius ap. Cic.*
*Amicos ne citò para, quos autem paras, ne repudia. Amicos ne temere aſciveris, aſcitos ne leviter rejeceris.* *Solon apud Diog. Laërt.*

# QUÆSTIO IV.

## *De magis peculiaribus fluminum affectionibus.*

Concluſio prima. Omnis aqua & humor qualiscunque libere fluens tendit naturaliter ad loca decliviora. Ratio eſt, quia loca decliviora centro gravium propinquiora ſunt. Hinc ut ſtet aqua vel fluat, loci ſitus & aquæ poſitio facit; in devexo enim fluit, in plano

continetur, & ſtagnat, & ſi aliquando in contrariam partem ventis propellitur, cogitur tunc, non fluit. Unde fluvii omnes in plano declivi fluunt, niſi enim alveus declivis foret, non eſſet major ratio, cur aqua in hanc potius, quam illam partem difflueret: ut igitur aqua fluat, requirit ſemper aliquam declivitatem ſpatii, ſive, ut ſcholæ loquuntur, terminus *à quo* neceſſario altior eſſe debet, quam terminus *ad quem.*

Deduces hinc primo. Ut fiat motus phyſicus ac ſenſibilis aquarum ab uno loco ad alterum, pro ratione ſpatii etiam certa requiritur declivitas ſaltem ſufficiens, ut motus ille perficiatur. Ita ſi aqua ſtagnans fieri debeat fluens, vel ſi fieri debeat aquæductus in ſpatio unius milliaris; ita debet hic diſponi, ut ſaltem quatuor unciis, quarum duodecim exæquant pedem, ſit inferior, ac centro terræ vicinior *terminus ad quem*, quam *terminus à quo.* Sic & in altero milliari ſubducendæ ſunt ex libellatione quatuor unciæ.

Deduces ſecundo. Aquam fluentem, ut experientiâ etiam conſtat, naturaliter non aſcendere ad locum altiorem ſua origine ſive liberè fluat, ſive meatibus conſtricta ſit. Hinc etiam maris ſuperficies humilior eſt, quam ſit fluviorum.

Adverte tamen, non omnem per decurſum alveum neceſſariò debere eſſe ubique declivem, nihil enim vetat, quo minus tum propter impetum in primo deſcenſu acquiſitum, tum quia nova ſemper aqua ſuccedens priorem trudit, nihil inquam vetat, quò minus in horizontali plano fluere pergant.

Concluſio ſecunda. Aquæ fluentes moventur velocius in ſuperficie, quàm in imo, unde & leviores ſunt. Conſtat hoc experimento eorum, quæ transferuntur, niſi contrarius ventus obſiſtat. Id autem contingit, quod aqua levior ſit in ſuprema parte, adeoque ſupernatet, & quod ibi nullo prematur pondere velut ea, quæ fluit in fundo, quæ à ſuperiori premitur. Media autem medio fluit & commovetur motu. Contra quæ in imo, majori vi movetur, & ob id rapit ſecum lapides & arenam, quoniam majori pondere premitur: & ideò etiam quo profundior eſt, eò & validior, & ob id onerata lentius movetur, ſed majori niſu objecta evertit.

Quæres: Cur fluviis profundioribus celerius innatent naves? Reſpondeo, totam rationem velocioris motus eſſe elevationem ſupremæ ſuperficiei aquæ ad terminum decurrentis, profundiore autem alveo altior fit ſuperficies: ergo. Pariter dulci aqua promptiùs feruntur naves, quia minus craſſa facilem navi ſcindenti viam aperit. Sic etiam aqua fluminis propè ripas tardius movetur, quàm in medio, quia ripæ utplurimum exeſæ, ac ſinuoſæ curſum morantur.

Concluſio tertia, levior eſt omnis aqua, Ariſtotele teſte, non ſolum in fluminibus, ſed & in fontibus ac puteis, quæ ſupernatat; ſicut graviſſima, quæ in imo. Eadem enim eſt ratio partium quæ totius; deſcendunt enim quæcunq; gravia, quæ autem levia ſupernatant. Cum itaque inter flumina cernitur unum alteri ſupernatare, ut Titareſus Peneo, & Boriſthenes Hypani, ratio eſt in gravitate unius & levitate alterius, vel etiam aliis de cauſis, ut ſi alterum ſit oleoſius.

Quæres primo. Cur flumina ſe in mare effundant. Reſpondeo, quosdam hunc effluxum aſtrorum ductui adſcribere, alios, mundum magnum quoddam corpus ratos, qui in eo tot venas, quot fluvios ea lege meare crediderunt, ut quemadmodum ſanguis, qui eſt naturâ ſua humidus, adeoque gravis, tamen in bonum corporis aſcendit, & continuo in circulum abit, reditque. Quosdam tamen fluvios ebibunt lacus, ut Jordanem Asphaltites, ubi peramœnus amnis & Chriſti baptismate longe feliciſſimus laudatas perdit aquas peſtilentium admixtione

Quæres ſecundò. Cur flumina plerumque matutino tempore nonnihil excreſcere ſoleant? Reſondeo, rationem eſſe, quod nocte multum roris in æſtate, in hyeme vero multum nebulæ decidat, quo fit, ut ſequenti Solis ortu creſcere incipiant, & quidem maximè temporibus mediis in Autumno ſcilicet, aut vere.

Quæres tertio. Quis ſit ortus fluminis Nili, qui unus eſt? ex præcipuis totius orbis fluminibus longo tractu medios ſecans Æthiopas & Ægyptum irrigans, magna hac in re inter ſcriptores diſceptatio eſt, ut benè cecinerit Lucanus:

> *Arcanum natura caput non prodidit ulli:*
> *Nec licuit populis parvum te*, Nile, *videre*,
> *Amovitque ſinus*, & *gentes maluit ortus*
> *Mirari, quàm noſſe tuos.*

Quidam, ut refert Pauſanias in Corinthiacis, ſunt, qui ex Euphrate terrâ condito ac poſtea ſupra Æthiopiam prodeunte, Nilum effici exiſtiment. Ariſtoteles lib. 1. Meteor. cap. 13. aſſeriteum oriri è monte Argyro. Ptolomæus credit, fluere è paludibus inferioris Africæ, quæ aquam è Lunæ montibus nivibus eliquatis recipiunt. *Juba* inter alia, quæ de Libycis rebus ſcripſit, memoriæ prodidit, Nilum ad montem interioris Mauritaniæ è lacu, quem Nilidem appellant,

pellant, exoriri, id ſibi eo argumento perſuadens, quod Crocodili, Alabatæ, Coracini, & alii quidam piſces herbæque Nilo peculiares, in eo cernerentur. Verior & certior ſententia eſt, quæ Nili ſcaturiginem, in paradiſum transfert, ibi enim ortus, dein ſubterraneis cuniculis abſconditur, rurſus in Africa erumpit. Ratio hujus peti poteſt ex eo, quia videtur Nilus è quatuor fluminibus eſſe, quæ è Paradiſo, ut divinæ litteræ Gen. 2. teſtantur, originem ducunt, ſiquidem is, qui inibi Geon vocatur, idem eſt, ac Nilus, ut plures SS. PP. interpretantur, colligiturque illud ex verbis ſacræ paginæ, aſſerentis fluvium Geon circumire terram Æthiopiæ, quod nulli præterquam Nilo convenit.

Circa eundem hunc fluvium maxime mirabile ejus incrementum obſervatur, ſingulis enim annis ad diem 27. Junii hoc eſt paucis poſt ſolſtititium æſtivum diebus, intumeſcere Nilus incipit, duratque incrementum dies 40. totidemque decrementum, ſolo 10. & 11. anno Regni Cleopatræ annotatur, nullam fuiſſe inundationem. Hunc amnem, ait Seneca lib. 4. natur. quæſt cap. 2. naturam extuliſſe ante humani generis oculos, & ita diſpoſuiſſe, ut eo tempore inundaret Ægyptum, quo maxime uſta fervoribus terra undam altius traheret, tantum hauſtura, quantum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit. Nam in ea parte, quà in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cœleſtibus terram non adjuvent. Eſt porro inundatio illius adeò ſpatioſa, ut valles & campi lateant, oppidaque cum collibus, quibus inædificantur, inſtar Cycladum Inſularum exſtent, nec ullum in Ægypti oppidis Mediterraneis, niſi per navigia ſit commercium. Ad modum autem inundationis ſequentis anni fertilitas reſpondet. In duodecim cubitis, ait Plinius lib. 5. c. 9. famem ſentit Ægyptus, in tredecim etiam eſurit; quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim ſecuritatem, ſexdecim delicias. Nec vero illi, ut Seneca citatus memorat, arenoſo, ac ſitienti ſolo aquam tantum inducit, ſed & terram. Etenim cùm turbidus fluat, in ſiccis & hiantibus locis fæcem relinquit, & quidquid pingue ſecum tulit, illinit, juvatque agros duabus ex cauſis & quod inundat, & quod oblimat.

Quæres igitur quarto, quæ ſit cauſa hujus incrementi? Reſpondeo, etiam in hoc quæſito magnum opinionum eſſe diſſidiũ: Thales credidit Eteſias per id tempus ex adverſo flantes deſcendenti Nilo reſiſtere, ejusque curſum acto contra oſtia mari inhiberi, atque ita reverberatum in ſe recurrere, & in Ægypti planitiem ſtagnare. Verum hoc non probatur, quia Nili reſtagnatio non fit aſcendente aqua è maris faucibus; ſed è paludibus, unde manat, deſcendente. Alii Nilum ajunt intumeſcere influentia Mercurii, ſicut Luna facit æſtum maris. Sed Nili incrementum Mercurium non reſpicit, ſicut æſtus Oceani Lunam. Cauſam igitur dicimus eſſe immenſam pluvialis aquæ vim, quæ ad paludes & loca illa ſuperiora, è quibus fluit, ſtato anni tempore colligitur, atque inde in ejus alveum fertur, & ſecundo curſu in devexa Ægypti loca demittitur, ac pro uberiori, minorive imbrium copia magis, minusve turget, & in planitiem reſtagnat. Ideo vero hæc inundatio in Ægypto æſtate accidit, quia paludes illæ & fontes, ut jam noſtro ſæculo compertum fuit, in ea mundi parte ſunt, ubi hyems eſt, quo tempore in Alexandria & Ægypto æſtas eſt. Accedit etiam ſolutio nivium montis Atlantis, quas Sol ab æquatore ad cancrum rediens tabefacit, quia teſte Leone Afro, tantum ſæpe nivium una nocte in Atlantium montem cadit, ut arbores & domos ſepeliat.

Quæres ultimo: Unde inundationes reliquorum fluminum oriantur? Reſpondeo primò, oriri poſſe ex nivium liquatione; quando ſcilicet maxima nivium vis montes obruit, & ſubitaneo æſtu liqueſcit. Secundo, ex imbrium frequentia, inde torrentes excurrunt, quorum acceſſione flumina intumeſcunt. Tertiò, ab æſtu maris per fluvii fauces ſubeunte. Quarto, à ventorum vi, qua curſus, vel motus fluminis retardatur, nempe ſi minuitur velocitas fluminis, augetur profunditas. Tum maximũ inundationis diſcrimen, cum plures cauſæ concurrunt.

Quoad reliquas proprietates fluminum obſerva primo. Multa flumina oriri è montibus, & è maximis maxima. Sic Indus è Caucaſo naſcitur in India, Tanais in Riphæo tractu in Sarmatia; Araxes è Periarde in Armenia; Padus è Veſulo in Liguria; Danubius ex Arnobia in Germania. Obſerva ſecundo: Pierorumque fluminum alvei undas ſuas in Auſtrum, vel in Septentrionem exonerant: ſolus Ganges dicitur verſus orientem fluere, quod tamen falſum eſſe convincitur, cùm & Danubius & Padus in ortum ſe evolvant: Tagus in Luſitania & Africæ Niger in occaſum; imò etiam Ganges magis fluit in meridiem, quam in orientem. Cæterùm excavavit ipſe DEUS tertia mundi die alveos, per quos curſum ſuum habeant flumina, & ad fluxum eorum in mare inclinavit eorum devexitatem, alioquin latè ſtagnarent per campos. Obſerva tertio: Multos nobiles fluvios pluribus oſtiis ſe evolvere in mare: Rhenus in Oceanum Germanicum tribus; Danubius in Pontum ſex; Padus in mare Adriaticum ſeptem; Indus ſimiliter ſeptem in Oceanum Indicum: Volga quem *Dil* Tartari appellant, ex immani lacu in vaſtiſſima ſylva ortus oſtiis ſeptuaginta duobus in Caſpium ſe evolvit. Fluvius argenteus in Braſilia quadraginta leucarum oſtio ſeſe infert in mare tanta rapacitate, ut nautæ

priusquam in terræ conſpectum veniant, dulcem hauriant ex eo aquam. Alter huic ſimilis per Congi & Angolæ regna labitur, triginta ſex millia paſſuum habens in latitudine, quando mare intrat, ſervatque dulces aquas per octoginta millia paſſuum.

Obſerva quartò. Non pauci fluvii diverſis in Regionibus ſe ſub terram occulunt, & per ſubterraneos cuniculos in mare devehuntur. Sic Timanus in campo Aquilejenſi, Eraſinus in Argolico, Padus in Alpibus, Anas in Hiſpania Tarraconenſi, qui propè Conſaburenſes ortus, 5. circiter leucis terrâ conditur, deinde prope oppidum, quod vulgo dicitur Villa Matta, erumpit. Idem Eurotas in Arcadia, qui rurſus in Peloponneſo emergit. Quidam vada ſubeunt quaſi odio maris, ut fluvius in Jonia medium mare cæco alveo penetrans iterum emergit. Notus omnibus eſt Alpheus, qui Peloponeſiaco merſus littore, in agro Syracuſano deſinit in Arethuſam, ubi in ipſum Alpheum jacta redduntur.

## *APPENDIX.*


Cùm in hac quæſtione potiſſimum de aquarum motu egerimus, prætèrire non potui Catadupam Velini amnis in tota Italia celeberrimam. Præcipitatur hic ex præruptis ſaxorum collibus in profundiſſimam voraginem altitudine circiter 300. pedum tanto tumultuantium aquarum fremitu, ut vertiginem inſpicientibus, teſte Kirchero in Mund. ſubterran. l. 2 c. 19. §. 4. facilè incutiat, nec ullus alterum, etſi clamet voce intentiſſimâ præ undarum fragore percipere poſſit. Unde & horridus hic reverberantium undarum mugitus noctis ſilentio ad oppidum quinque milliaribus inde diſſitum facilè auditur: Ex lapſu etiam aqua ita atteritur, ut continua quaſi nebulâ locus obfuſus ſit, advenasque ceu larga pluvia excipiat; &, quod præſertim notatu dignum, lucente Sole non ſecus ac in roſcidis nubibus ſemper illic iris ſpectatur.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Eâdem, quâ aſcendit viâ arrogans, recidit.

59.

*N. 59.*




*J. S. K. f.* *W. I. Kadoriza del.*

Cir-

CIrculus eſt humanarum rerum ſeries; in fine ad principium reditur. Quo cœpimus *Pauſanias* puncto creſcere, poſtquam ad ſummum venimus, creſcendo repetimus, omnia in orbe volvuntur; ex imo quod ad apicem aſcendit, ad imum deprimitur. Quod aſcendit, idem eſt, quod & deſcendit: *& ex ſummo retro volvitur.* Fontes & flumina altiſſimis in ripis & faſtigiis ad faſtidium ſtrepunt, ut quam velociſſime in abyſſum devolvantur. Revolvuntur in *Chilon apud Laërt.* profundum, unde emerſerunt. Sic Deorum genius eſt; quem faſtus extulit, fato contrario in infima deprimunt. Eſt enim mundi curſus: *dejecta erigere, erecta dejicere.* Eadem qua ſe levavit viâ Icarus, infelix recidit. Talionis lege ſtat natura, qua quis arte reum ſe facit, eadem pœnam rependit: *Quisque ſuæ faber eſt fortunæ.* Ipſe ſibi gladium Marius cudit, quo miles pugnavit, & Imperatoriam coronam obtinuit: proprio, quo vixit, ferro mortuus eſt. Ex *Cicero.* Marii officina Marium confodiens miles exiluit: *Hic eſt*, inquiebat, *gladius*, *quem ipſe feciſti*: Non eſt periculoſior gradus, quam quo quis ad apicem pervenit, aut redeundum eſt, aut cadendum, nec enim ſtare conceditur, cum omnia vertigine agantur. Qua levitate in virum gravem te exaltavit fortuna, eâdem detruderis, quia gravia tendunt deorſum, nec fortuna in eodem ſtatu permanet, nam rotâ vertitur. Ipſe aſcenſus deſcenſus eſt. Eadem lineâ perpendiculariter relabuntur, quæ in altum aguntur. Pondere proprio inclinant gravia; niſus, quo ſummum petierunt, impetus eſt, quo in præceps feruntur. In lubrico ambulat, qui per flagitium aſcendit: proximus eſt caſui, qui ſuperbiæ pede progreſſus, tremulâ ſemper ſtat plantâ, nam metuit Nemeſin, cujus ultione *metus in Auctorem redit.* Amicorum manibus ad *Sen. in 3. œdip. act.* thronum elatus Cæſarum Princeps, amicorum manibus oppreſſus cecidit. Sed & iisdem, quibus Julium peremere gladiis Brutus & Caſſius ſibiipſis animas extorſerunt. *Summisque negatum ſtare diu; nimioque graves ſub pondere lapſus.* *Lucanus.* Quanto magis inclinat ad caſum, cui arrogantiæ vertigo verticem rotat? Ubi crevit ambitio, crevit caſus. Proprio ad alta conatu ſibi arrogans impetum imprimit, ut iis, quibus ſurrexit, gradibus recidat. *Plin. l. 14. hiſt. nat. c. 8.* *Qui taurum fecit æneum Perillus, primus eum expertus eſt cruciatum, juſtâ prorſus ſententiâ.* Et qui hoſpites Jovi immolandos Buſiridi ſugeſſit Thraſus, proprii conſilii factus eſt victima. *Ovid. in arte.*

*Neque enim lex juſtior ulla eſt,*
*Quam necis auctores arte perire ſua.*

Ita æquiſſimâ ſemper talionis menſurâ pœnas rependit Numen; quo pede aſcenditur, eo receditur: quæ alteri ſtruuntur inſidiæ, manent auctorem. *Plut. in Cimone.* *Juſtum eſt, ut quæ quis fecit injuſte, eadem & patiatur.* Pontem diſſutilem Tiberi impoſuit Maxentius, quo ſuam in ruinam decidat Conſtantinus, ut hujus caſu ipſe ad Imperium aſſurgat. Eodem ipſe Maxentius in Tiberim decidit; quo voluit gradu creſcere, factus eſt nullus. *Euſeb. l. 9. hiſt. c. 8.* *Quid enim æquius excogitari poteſt? graſſatus aliquis eſt ferro? præbeat ipſe cervicem. Miſcuit noxium virus? refundatur in ſuum facinus auctorem. Oculos rapuit, effodit, reddat de ſua cæcitate ſolatium. Breviſſima juſtitia eſt vindicta, cum facinus pœna menſura eſt.* Per conculcata fidei Chriſtianæ ſacra aſcendere contendit Valerianus Imperator, Fidelium capitibus inambulans: ipſe proculcatus à Sapore, factus Scabellum pedum ejus. Et qui alterius nece viam ſibi ad purpuram ſternere voluit, merito à Romanæ eloquentiæ Principe audiit: *In tuum ipſe mucronem incurriſti.* Sapientis eſt Senecianam muſam menti imprimere.

*Nunquam pavere deſtiti dum excelſus ſteti;* *Sen. in Thyeſt.*
*Fortuna magna non caret formidine,*
*Nec ſplendor eminens vacat periculo,*
*Et quidquid altum eſt, haud tutum diu manet.*

# QUÆSTIO V.

## *Quænam aquæ ſalubriores & præſtantiores ſint.*

COncluſio prima. Bona & ſalubris cenſetur ea aqua, quæ tenuis, pellucida, ſaporum odorumque expers, ac levis eſt, atque expota non moratur in ventre. Ratio eſt, quia, quæ ita ſe habet à terrena & peregrina admiſtione, quæ aquam deteriorem reddit, defæcatior exiſtit. Talis, ait Cardanus, eſt Eulæi fluminis, quæ per Suſianam è Zagro monte profluit: nam Perſarum Reges, hanc ſecum in expeditionibus deferebant. Hinc error illorum eſt, qui aquæ bonitatem à ſola frigiditate æſtimant, talis enim, quæ ultra modum alget, damnatur propterea, quod parum juvet decoctionem, inducat cruditatem, hæreat in viſceribus, ventrique oneri ſit.

Sed quæres, quomodo dignoſcenda ſit aquæ levitas? Reſpondeo, præterquam quod ad ſtateram expendi poſſit, aphoriſmus Hippocratis eſt Aphor. 26. lib. 5. *aqua, quæ cito caleſit, & cito*

*cito refrigeratur, leviſſima eſt.* Obſerva tamen cum Athenæo, inveniri quandoque aquas pari pondere, diſpari bonitate. Unde certius aquæ bonæ indicium eſt ſubtilitas, ut inquit Plinius, conveniunt ferè omnes conditiones, quibus aqua commendatur, nam ob tenuitatem ſuam facilius penetratur ab agente calido & eo remoto (quia non cohibet intra ſe aliena corpuſcula, quibus impediatur) faciliori negotio ad nativum frigus redit, ea quoque ob eandem rationem ſincerior, pellucidior, & hoc ipſo etiam utplurimum levior eſt. Præterea ut ſciri queat de duabus aquis, quæ ſit ſubtilior in ſubſtantia, & vel ideo præſtantior ad potum, ſequens modus obſervari poteſt: intingatur pannus lineus bene mundus in una, & alius ſimiliter in alia. Deinde ambo panni intincti exponantur Soli, qui prius exſiccatur; illius aqua ſubtilior cenſebitur, quippe à fæcibus terræ purior. Conducit etiam aquæ evaporationem ad ignem inſtituere. Quod ſi in fundo nihil remaneat, & facilè omnis evolet aqua, optima cenſenda eſt, ſecus ſi limus, nitrum, vel ſalia mineralia relinquantur.

Prædictis conditionibus bonæ aquæ etiam ſequentes apponi ſolent. Primo, ſi aquæ fons erumpat ad orientem Solem, qui benefico afflatu latices modicè excoquat. 2. Si ex ſublimi loco deſcendat, moderate tamen, id eſt, ex collibus. Tertio, ſi terreno optimo, appoſitoque. Tale vero eſt, in quo reperitur tophus & terra pura, modo craſſior ſit. Id enim non immutat aquam, nec peregrinis imbuit qualitatibus, ut aſſolet nitroſum, ſalſum, aliaque id genus. Juvat autem craſſitudo, quia dum liquorem anguſtiis venarum ſtringit, colando tenuiorem facit. Demum bonæ aquæ indicium eſt, in qua legumina facilè coquuntur.

Concluſio ſecunda. Aquæ poſt ventos validos hauſtæ non ſunt tam ſalubres & bonæ, quam quæ pacato tempore ex quocunque loco exhauriuntur. Ratio eſt, quia ex commotione illa vehementi, dum terra nimium concutitur, etiam noxiæ quædam evaporationes, vel pulveres, ac ſordes qualeſcunque eidem commiſcentur, quæ idcirco minus ſalubrem efficiunt. Unde & bene Cardanus in Hippocrat. lib. 2. de aëre & aquis textu 24. dicit, non eſſe bonum, uti aquis poſt validos ventos; nam etiam hyeme à ripis & alveo conturbantur.

Concluſio tertia. Aqua qualiſcunque tanto minus damnanda, quanto ex frequenti haurientium commotione magis magisque emendatur. *Nam vitium capiunt, ni moveantur aquæ.*

Ex dictis colliges primo. Limum aquarum vitium eſſe. Quod ſi tamen amnis ex argillis ſcateat, ſalubritatis indicium habetur.

Colliges ſecundo. Aquas lacuſtres, ſtagnantes, & paluſtres merito damnari, tum quod motu careant, tum quod ipſas ardor Solis indentidem feriens permeet, & relictis partibus craſſioribus tenuiores eximat; unde corruptum ſaporem atque odorem comparant. Minus tamen nocent, ſi fluviales aut rivales excipiant, ipſa enim influendi & effluendi viciſſitudo putredinem arcet, & uliginis virus eluit.

Colliges tertio. Aquas, quæ ex nive glacie reſolutis fiunt, omnes inſalubres potu eſſe. Cùm enim, ut ait Hippocrates, ſemel concretæ fuerint, non amplius in priſtinam naturam reſtituuntur, ſed quod in ipſa clarum, leve, ac dulce eſt, deperditur, ac quòd craſſum relinquitur.

Colliges quarto. Aquas pluviales, quæ tempore æſtivo magna ventorum procella & tonitruum impetu decidunt, minus probandas eſſe, eo quod multas habeant exhalationes raptim collectas; quæ tamen ſilente cœlo defluunt, eas jure commendari.

Colliges quinto. Etiam aquas ciſternarum minus eſſe utiles, quam à multis putantur, tum quia incoctæ manent, cum cœlum non videant; tum quia immotæ ſunt, nec eas liberior aura verberat. Unde ſæpè nonnihil putreſcunt, & vermiculos parturiunt. Servantur tamen diutius, fiuntque ſalubriores ſubſtrata arena dura, vel glarea, aut ſabulo maſculo. Item ſi piſciculos foveant, ut horum natatu aqua commoveatur.

Colliges demum ſexto, aquam fontanam puteali meliorem cenſeri, quod in perpetuo motu ſit, ſua ſponte è terra ſcaturiens, cùm putealis non niſi ingenio & opera hominum extrahatur; proficit tamen putealis, cùm crebro hauſtu exercetur; ſic enim æqua aquæ ſuccedit, & quodammodo fluit.

Unum adhuc controverti ſolet, num aqua fontana bonitate ſuperet fluvialem? Adferam utriusque partis rationes: deciſionem lectori relinquo, & quidem, quæ fontanas commendent, ſunt, quod non craſſeſcant exhalationibus, ut fluviales; Secundo, non immiſceantur diſſimilium aquarum concurſu. Tertiò quod non tot herbarum & ſtirpium, quarum ſucco inficiantur, radices lavent. Quarto, quod injectas ſordes non devehant, in quæ omnia incommoda fluvialis aqua incidit. His non obſtantibus, ſunt tamen aliqua, quæ fluviatilem aquam, teſte Columella & Avicenna, ſalubritati corporum accommodatiſſimam faciunt: nam primo, motus ille & agitatio non parum confert ad cruditatem caſtigandam: facit enim, ut crudi humoris particulæ ſaltem aliqua ex parte extenuentur. Secundo, cúm Soli flumina

flumina exponantur, certe nec tantam vim Solis, ut paludes excipiant ob continuum fluxum, nec tam parvam, quæ non ſufficiat ad modicam ſaltem aquæ coctionem. Tertio, conſtat demum experientia multorum fluminum aquas fontibus præſtare, ut Tagus in Hiſpania, Ganges in India, & Choaspis in Perſia, cujus lympham, ut ſuperius annotavimus, ipſi Perſarum Reges bibere, eamque in longinqua aſportare ſolent. Unde non videtur ſtatui poſſe, quid abſolutè aſſerendum ſit.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Veritas ex fonte, non à blateronibus haurienda.

60.




DElicata res veritas eſt, ſolo halitu inficitur. Suſurronum, & loquaculorum linguis teritur, jam contagium attraxit: quia blaterones peſtis ſunt rei humanæ. Currunt per ſentinas, fæculentosque meatus, aquæ fluviatiles; ſecum cadavera vehunt, iisdem, quibus miſcentur, ſordibus maculantur. Littora lambunt, in littore ſe inficiunt. Ad fontem vade, etiam ubi inquilini ſerpentes inhoſpitant: nec inficitur, nec inficit. Puritatis eſt amans, & claritate gaudet fontana, neque à vero abeſt, quod: *Dulcius ex ipſo fonte petuntur aquæ.* Rumuſculi inanes commenta ſunt plebis; quæ quia de trivio eſt, facilè lutum aquæ affundit. Fallitur, qui populari auræ aures concedit. *Aures oportet habere obtuſas, & hebetes ad rumores atque fabulas populares, ne quibusvis delatoribus & nugatoribus facilè præbeatur auditus, aditusque.* Fontem adi, radicem indaga. Purior elucet veritas, ubi nata eſt, quam ubi per purulentas linguas contaminata eſt. Alexander Severus minime acquievit, niſi juſtitiâ, cæterisque populi cauſis ſuo ævo peritiſſimos per viros adminiſtratis. At poſtquam & horum ſenſum audiit, ſenſui propriorum oculorum res ipſas ſubjecit. Videndum itaque cui

*Livius.* fidendum. Nam *ut fides maximum eſt vinculum bonis amicis*, ita credulitatis facilitas peſſima. Vigeat utinam omnium in mentibus, & oriatur ab orientis Imperatore Baſilio Filio Leoni relictus doctrinæ radius. *Obſtringe te huic neceſſitati, ut omnia tibi oculis inſpicienda eſſe ducas, & nihil inſpectum prætermittas. Quemadmodum enim ea, quæ à te diligenter inſpecta adminiſtrantur, multum emolumenti capiunt: ita, quæ non inſpecta neglectim prætereuntur, in magnam perniciem labuntur.* Quam facilè Eudoxiæ pomum jacitur, unde tot naſcuntur diſcordiæ, & mors ipſa pullulat, ubi facili aure ſuſpicionum ſemina recipiuntur. Non ſæviiſſet in Criſpum Conſtantinus, ſi duriorem habuiſſet auditum, nimis ad fœminæ anhelitum mollis. Tempore tempora temperat Sapiens, & morâ duce ad fontem indagat, quod rumor populi ſparſit. *Prudente diffidentia nil melius, aut utilius eſt mortalibus.* (*Sophocl. in Antigona*) Citò credere, eſt molliter cedere, quod fœminarum eſt. A Virtute vir nominatur, quia non quavis aurâ movetur. Securius propriis, quàm vicariis oculis videtur. Quod ſi tuam ad aurem fama affluit, quod aure audiſti, oculis rimare. *Nervos atque artus ſapientiæ eſſe, non temere credere*, ait Epicharmus apud Cic. (*Cic. de petitione Conſulatus.*) Transfuſa ex relatione veritas raro primâ conſtat puritate: nam vel creſcit, vel minuitur: rarò æquilibrium tenet. Sincerius propriis oculis judicatur, quam ex aliorum ſententia deciditur. Indignum Torquatus Imperio eum exiſtimavit, qui alienis oculis utitur. Nam nec *Regis* purpura otioſa eſt; ad hoc eſt natus, ut quum alii ex fluvio, ipſe ex fonte hauriat. Referunt alii, quod forum loquitur, ipſe per ſe intueatur, ut videat, quid credat. Fide, & vide. (*Philoſtrat.*) Babyloniæ Rex Apollonium Thyanæum interrogans, qua ratione regnum ſuum feliciter ſtabilire poſſit? audiit: *Si multos honoraveris, paucis verò credideris.* Rapinæ exponit animum: qui aures ſuas aliorum linguis facilè reſerat. Non tutæ ſunt à præda gemmæ, quæ illuſtres ex vado tranſpiciunt: facilè decipitur, qui facilè audit: Solus ille tutus, qui tectus eſt ſingulis, nulli ſatis apertus. *Ne cito credideris, multum cito credere lædit. Ovid.*

Nolim tamen te Domitianum eſſe, cui ſuſpecta omnia, ut & à tergo videre voluerit. *Utrumque enim in vitio eſt, & omnibus credere, & nulli. Ut enim omnibus fidere, ſtultum eſt, ita nulli fidere inhumanum.* (*Sen. ep. 3.*) Ludibrium metûs eſt, cui quodvis dictum umbram facit. Num quis deliravit magis Alcibiade? qui: *Ego ſanè*, inquit, *ne matri fidem habeo: vereor enim, ne & ipſa nigrum calculum, pro albo immittat.* Qui nulli fidit, non eſt fide dignus. Nec ſibi credit, qui nemini credit. Medio ergo incede, nec omnibus crede, nec ſtatim: nec nulli crede, nec nunquam: Sed fide, & diffide. Non ſis facilis, nec difficilis: audi omnia, & ad fontem vade, & vide.

# QUÆSTIO VI.

## *De Glacie.*

CONcluſio prima. Glacies definiri poteſt definitione explicante ejus cauſas, quod ſit aqua in ſtagnis, paludibus, fluminibus, aliiſve ejusmodi locis frigore concreta, ex admiſtione terræ ſive exhalationis ſiccæ adglutinantis partes aquæ, ita ut adhæreſcant. Ex quo patet, materiam glaciei eſſe aquam: formam concretionem, qua partes aquæ adhæreſcant ita, ut non poſſint facilè ſeparari: gluten & quaſi coagulum, propter quod adhærent, eſt admiſtio terræ ſive exhalationes ſiccæ. Manifeſtum eſt enim inductione, quod ſicca & humida ſint ſibi invicem veluti gluten, ut patet in farina ſicca & aqua humida, quæ ſi miſceantur invicem, adglutinantur in unam maſſam conſiſtentem. Cauſa efficiens concretionem aquæ eſt frigus, quod quia congregat heterogenea, unit, & conſtipat aquam cum admiſtione terræ ſive exhalationibus ſiccis, ita tamen, ut ad eam congelationem non ſola frigoris efficientia concurrat, ſed ipſa admiſtio etiam terrenæ concretionis, quæ congelationem magnopere juvat, eo quod terra ex ſe denſa exſiſtit, & craſſitiem ultro appetit. Hæc autem terræ admiſtio ordinarie aquam comitatur, cùm non habemus purum & ſincerum aquæ elementum. Ratio autem, quod ſola vis frigoris ad congelandam aquam non ſufficiat, quia alioquin, cùm frigus ex natura ſua in ſummo aquæ debeatur, utpotè ab ea exhibitum connaturaliter, ſemper gelu conſtricta foret, quod præter experientiam ex eo falſum eſſe deprehenditur: quia aqua ex natura ſua in excellenti gradu humida eſt, at gelatæ aquæ durities humiditati adverſatur, ut luce clarius eſt: ergo. Secundò patet ex eo, quod glacies ſemper reſolvi ſoleat in aquam turbidam. Tertio, quia conſtat experientia, quod ſi centum libris aquæ admiſceantur triginta libræ ſalnitri, & aqua vehementer agitetur, ità ut benè cum ſalnitro commiſceatur, illa aqua congelaſcit etiam in ſummis caloribus æſtatis, ergo partes ſalnitrales ſiccæ ſunt coagulum aquæ, ergo etiam aliæ exhalationes ſiccæ. Accedit, quòd ad concretionem ſemper aliquid caloris requiratur, docente Ariſtotele 4. hujus operis cap. 5. quare cum aqua in ſuo ſtatu ſummè frigida ſit, nequibit ex ſe concreta eſſe.

Hinc

Hinc colligitur, glaciem eſſentialiter ab aqua minime differre, cùm ſit tantum accidentalis mutatio, alioquin etiam dicendum foret, plumbum liquatum non eſſe plumbum, nec vinum congelatum vinum; igitur ſi ſpecies ſacramentales congelarentur, ſub quibus eſt ſanguis Chriſti, ſub illis eſſe deſineret. Superſedeo tamen hic Diſputationi, utrum vinum congelatum conſecrari poſſit; utrimque enim ſunt rationes Theologis diſcutiendæ. Nobis certò congelatio accidentalis eſt, cùm ſcilicet tam citò, & tam facile aqua illa priſtino ſtatui reſtituatur.

Concluſio ſecunda. Glacies eſt aqua condenſata, & non rarefacta, ut quidam volunt Recentiores. Vide Schottum Mag. nat. part. 3. lib. 5. ſynt. 3. Erot. 5. Hamelium lib. 1. de corp. affect. c. 4. Ratio eſt 1. quia ſenſibiliter glacies videtur denſior aqua. 2. Patet idem ex duritie, quæ ſolet comitari denſitatem: nec argumenta in contrarium concludunt, 1. enim licet aqua conglaciata occupet majus ſpatium, hoc oritur tum ex eo, quia in glacie dantur plures ſenſibiles cavitates plenæ aëre, quæ non ſunt in aqua; tum quia dum aqua concreſcit, commiſcentur cum illa plures partes terreæ & aëreæ: ex quâ miſtione oritur, ut glacies reſolvatur in aquam valdè turbidam. Licèt ergo ſingulæ partes occupent minus ſpatium, atque adeo condenſentur, tamen tota ſimul moles glaciei concreſcens ex partibus aquæ, aëris, terræ &c. occupat majus ſpatium. 2. Nec obſtat, quod glacies datâ paritate molis levior ſit in ſpecie, quàm aquâ, cui innatat, hoc enim non oritur ex raritate, ſed quia aër aliique halitus intercipiuntur in glacie, unde bullæ in ea tam frequentes, quæ leviorem aquâ faciunt.

Colliges, minui etiam liquorem cùm gelaſcit, nam non eadem ſoluti quantitas invenitur, coactu enim compreſſioneque aliquæ partes tenuiores evaporant.

Concluſio tertia. Non ſolùm conſiſtentes, ſed & fluentes, imo & marinæ aquæ quibusdam in locis gelu contrahuntur. Ratio primæ & ſecundæ partis patet hyemalis tempeſtatis experimento. Unde illud Poëtæ lib. 3. Georg.

*Undaq; jam tergo ferratos ſuſtinet orbes,*
*Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris,*
*Aeraque diſſiliunt vulgô, veſteſq; rigeſcunt*
*Indutæ; cæduntq; ſecuribus humida vina.*

Illud tamen mirabile, quod D. Sibaldus in prodr. Nat. Hiſt. Scotiæ part. I. lib. 1. c. 9. narrat, lacum eſſe in Scotia in loco Stratherrik dicto, cujus aqua nunquam tota congelaſcit in vehementiſſimis etiam frigoris menſibus usque ad Februarium; verum poſt illud tempus unius noctis gelu totam lacus ſuperficiem glacie operiet. Quod ſi per duas noctes duraverit gelu, glaciem efficiet non modicè craſſam. Hujus tamen rationem facile colliges ex paulò ante dictis, dum oſtendimus, ſolum frigus etiam intenſiſſimum non ſufficere.

Circa tertiam Concluſionis partem ſunt nonnulli, qui ajunt, quamvis mare alicubi gelu conſtringi perhibeatur; re tamen vera non mare ipſum in gelu cogi, ſed advenas aquas pluviarum & paludum, quæ in mare influunt, & in eo, quia leviores, innatant. Unde quia extima ſuperficies maris congelaſcit, mare gelu coactum videtur. Sed contra eſt 1. quod ſi tam veterum, quam recentium Auctorum ſcripta attendamus, plerique affirmant, mare dari congelatum, ſive glaciatum oceanum: aut mortuum mare, ut alii volunt, quod à Thyle Inſula unius diei navigatione ad Aquilonem inveniri teſtatur Beda in lib. de natura rerum cap. 9. Olaus Magn. lib. 11. de rebus ſeptentrionalibus cap. 30. etiam tradit: Mare Gothicum ſic interdum congelari, ut naves in eo immotæ maneant. Unde nautæ ſæpè in maxima diſcrimina, veniunt dum navibus pluribus menſibus adſtrictis omni commeatu exuuntur, & urſorum incurſibus exponuntur. Quod ſimiliter in aliis etiam partibus Oceani polo arctico vicinis nonnunquam accidere narrant. Ad tantam vero & tam immenſam congelationem haud ſolæ aquæ dulces, quæ in hæc materia delabuntur, ſufficient. 2 ratio etiam partis oppoſitæ, quæ à natura exhalationum deſumitur, haud illud evincit, non poſſe aquam marinam polis ſubjectam glacie rigere, vel perpetuo vel ſaltem hyemali tempore, cùm ab iis plagis longiùs ſol diſtet. Nec enim illic maris exhalationes concretionem inhibere poterunt; quia aut inhiberent propter calorem, aut propter admixtionem terræ; non propter calorem, cùm is illius cœli frigiditate perimi queat; non ob terræ admixtionem, quia hæc non modo non impedit, ſed & juvat, ut ſuperius oſtenſum.

Colliges, corpora ferè omnia, in quibus aqueus humor dominatur, congelari, & in glaciem converti poſſunt: fluida vero, quorum partes aut ſunt tenuiores, & ab æthereа ſubſtantia nimium agitatæ, ut ſpiritus vini, aut ramoſiores, & aliæ aliis implicitiæ, velut olea pene omnia in glaciem propriè non abeunt; ſicut nec liquores, quorum partes ſunt graviores & nimium agitatæ, ut ſpiritus ſalium, & hydrargyrus. Notavit etiam Bartholinus de niv. c. 8. ſuccos, quo nobiliores & fortiores, eò difficilius frigore conſtringi.

Colliges ſecundo. Aquam ſalſam ob craſſitiem & pinguedinem tanto in glaciem difficilius, quanto dulcis ob levitatem facilius convertitur; unde quòd glacies maris dulcis ſit, ratio eſt, inquit Kircherus lib. 3. Mund. ſubt. cap. 4. quod aqua ſalſior condenſata frigore, gravitate ſuâ ſubſidat, dulcis vero exuta ſalſedine & pluviis, nivibusque continuo aucta, uti levitate ſuâ graviori ſupernatat, ita circumſito gelu facilé conſtringitur.

Colliges tertio. Oleum aliquomodo gelu conſtrictum graviùs redditur, adeò ut in oleo non infrigidato mox deſcendat, ut annotavit Cabeus in Meteoris, eo quod ſpiritus plures laxati abierint, qui levitatem conferebant; in non conſtricto vero ſpiritus retineantur.

Quæres primo. Cur aqua vaſi infuſa, & hyemali frigore congelata illud in partes difſringat? Reſpondeo, rationem eſſe, quod prius ſuperficies aquæ, quàm quæ in fundo eſt, gelu conſtringatur, utpote frigori ambienti magis expoſita; glaciatâ vero ſuperficie etiam interior pars aquæ condenſari, ſtringique adeoque & minus ſpatium occupare incipit, quia vero aër dura ſuperficie impediente ſuccedere non poteſt, vas metu vacui diſrumpitur. Tanta vero hæc vis eſt, ut etiam ſolidiſſima quæque corpora valeat diffringere. Ita obſervatum non ſemel fuit, tubos ferreos ſclopetorum aqua impletos & diligentiſſime occluſos, cùm gelido aëre fuiſſent expoſiti, cum impetu diſruptos eſſe.

Quæres ſecundo. Cur aqua calida frigori expoſita citiùs & firmiús glacie obduretur? Reſpondeo, rationem eſſe, quia calida aqua rarior & tenuior eſt, rariora vero magis penetrat frigus, unde & citius gelu conſtringit, experientia hujus rei edocti Cynamolgi (populus eſt Indicus hirto & villoſo corpore deformis) qui aſperrima hyeme inituri prælium cum Tartaris, aqua calida ſe perfundunt, ac in pulverulento ſolo volutant, ut ſic pulvis aquâ mixtus ſuper cute congeletur, lorica glaciali corpus contra tela muniant, & ſagittarum ictus eludant. Ita ſcribit Vincentius Bellovacenſis hiſt. lib. 32. c. 11.

Quæres tertio. Cur frigoris vi quædam corrumpantur. Reſpondeo, inde id probabiliter contingere, quod frigus partium texturam, ac ordinem ita immutet, ut vix reſtitui poſſit, dum ſcilicet aquoſæ partes dilatantur, fibræ, & ſolidiores particulæ diſrumpi ſolent. Sic in frigidiſſimis regionibus, ut Ruſſia, Islandia, Norvvegia, ubi frigus riget acrius, ſæpè aures, & nares, aliæque partes vi frigoris corrumpuntur, nec aliud malo magis opportunum remedium, quam ſi partes illæ læſæ frigida aqua perfuſæ nive in calidiore loco obducuntur: tunc enim ſenſim meatibus apertis ſanguis & ſpiritus in partes illas depravatas denuo illabuntur.

Quæres quarto. Cur frigus in quibusdam locis etiam à polis remotioribus longe acrius eſt, quam in iis, quæ ſunt polis ipſis viciniora. Ceu frigus in Ukrania Poloniæ Provincia eſt acerrimum, cum tamen eadem ferè ſit ejus latitudo, quæ in Normania. Sic etiam in regia Sinarum civitate ad 42. gradus latit. ſita, qualis etiam eſt Romæ, ingens fluvius in Novembri intra unum pæne diem frigore concreſcit, & congelatur, nec glacies ſolvitur niſi poſt quatuor menſes exactos. Reſpondeo, cauſam hujus acriorum halituum potius in uno loco, quam in alio erumpentium certæ permiſtioni eſſe adſcribendum.

Quæres quinto: Num & bruta animantia glaciei firmitatem ſuo modo diſcernere poſſint? Reſpondeo affirmative, in cujus rei teſtimonium mirum quid refert Digbæus tract. 1. de nat. corp. 36. Ruſticos in Thracia ita cognoſcere, num fluviorum hyeme congelatorum glacies ſat firma ſit, ut gradientium onus ſuſtineat, obſervando ſcilicet, utrum vulpes audacter ſuper eam incedant; vel poſt admotas glaciei aures (exploraturæ ſcilicet, num ſubterlabentis aquæ ſonum percipere poſſint) revertantur. Cœterum obſervatum eſt, glaciem puram, quæ eſt craſſa, duos digitos hominem ſuſtinere; quæ tres, equitem armatum; quæ palmum cum dimidio, turmas; quæ quatuor palmas induruit, integrum exercitum ferre.

## *APPENDIX.*

PRimò. Ad artificialem congelationem in liquoribus procurandam certo compertum eſt, plurimum juvare glaciem aut nivem cum ſale præſertim marino, vel cum nitro, vel etiam cum vitriolo ſaleque ammoniaco commixtam. Quin & ſaccharum ipſum cum nive conjunctum, aut ſpiritus vini, aut oleum vitrioli, ſalesque penè omnes acidi, ut docet Du Hamel lib. 1. de corp. affect. c. 5. eundem effectum præſtant. Deſcartes vero hunc modum præſcribit: Si ſal æquali copiæ nivis, aut glaciei concluſæ mixtus circa vas aliquod aqua dulci repletum diſponatur; ſimul ac humore ſal diſſolvitur, mixtum hoc frigore denſatum in glaciem coit.

2. Ex

2. Ex urtica in cinerem redacta, ſi lixivium conficiatur, ac tempore frigido nocturno aëri exponatur, donec glacialem cutem contrahat, in ipſa glacie, quod mirum eſt, tota & perfecta urticæ figura apparebit, eo fibrarum ductu, & foliorum lacinioſorum ſerratura, quæ in veris deprehenditur. Quod ſi microſcopio tota urticæ figura inſpiciatur, ex minimis ſtellulis concreviſſe videbitur.

3. Mirabile etiam eſt, quod de glacie ad littora Islandiæ narrat Ditmarus Bilke aqud Camerarium in hor ſubciſ. cent. 3. p. 56. nempe ad initium Julii prope Heclam montem ignivomum ad littora Islandiæ ingentem copiam glaciei de nocte advolvi, ac per conſequentes tres menſes appulſu & effluxu continuo allabi. Quod ſi verò particula aliqua hujus glaciei linteo involvatur, & in ciſta reponatur: tamdiu dura & congelata permanebit, quamdiu reliqua glacies ad littora appulſa, ubi hæc dilabitur, etiam particula glaciei in ciſta recondita mox diſparebit nullo humoris ſigno relicto.

4. De hirundinibus rigeſcentibus per hyemem ſcribit Kircherus in mundo ſubterr. l. 8. ſec. 4. c. 1. hæc verba: Eas in Polonia, dum hyberno tempore ſecta glacie, piſcatores retia ad piſcandum fundo committunt, haud infrequenter una cum piſcibus convolutas in globum educi, mira quadam induſtria ita unguibus innexas, ut vix ab invicem ſeparari queant; quæ ſopitæ, & veluti ſemimortuæ, ubi hypocauſtis illatæ, eæ paulatim velut ex alto ſopore vigiles, ſe movere, paulo poſt quoque volatum attentare feruntur: omnes tamen, ante à natura iis conſtitutum tempus extractæ, vitam non continuant.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Violata foederis fides ruptura eſt boni publici

61.



Duarum manuum ſtipulatò junctarum uſu, Caſimirus Palatinus tibi imprimat ſanctum illud inter homines fidei ſacramentum: *Conſtanter, & ſincerè.* Glaciem vides ex fluido elemento in murum conſtrictam, dixerim illam riparum eſſe unionem, qua portus portui manum porrigit, fidem ad promittit, at num conſtanter & ſincere? Graviſſimis oneribus dorſum ſubſternit; quas infidum elementum vecturas prohibet, ipſa in ſe ſuſcipiens, ſine pontonis gabello ſuſtinet; pontium deterendorum vices ſubiens. At num conſtanter, & ſincere? Calidiorem auſtrum expecta, ſub onere reſolvetur, littorum fœdus rumpitur, in aquam & aërem hyemale vinculum evaneſcit: damnum duplicat, nam ruptura rupturam facit. Glaciale vinculum reſciſſum lignei Pontenis fœdus diſrumpit, qua manum littus littori dedit, amicitiam diſſolvit, commercia tollit. Commercium animorum fœdus eſt regnorum, fide humana firmatum. Longo arenarum tractu diſſitæ Provinciæ in unum coëunt, arma armis, commercia commerciis, maribus maria, cordibus corda junguntur. Ferreis peſſulis novus veteri mundo ſociatur, diſſepta maribus regna tot muris, quot fœderibus copulantur. Vicinorum ſocietas portus eſt: ad quem confugere liceat; ut domeſticis agitata fluctibus Reip. Argo navis, vel peregrinis exercita Aquilonibus, hac ſociali manu firmetur. Verum conſtanter & ſincere retinendum eſt vinculum. Solviſti fœdus? glaciem rupiſti. Rupta fides rumpet communis boni jugem affluxum: nam

*Fallere fallentem, fraudemq; repellere fraude*
*Exemploq; licet ludere quemq; ſuo.*

*L. Julian §. offerri, de act. emp l. 1. ff. de pecc. conſtit. Cic. l. 3. de off. Val. Max l. 9. c. 9. Flor. l. 2. c. 6. Tac. l. 4. hiſt. c. 58. Bodin. l. 1. c 7. Bonfin. Dec. 3. lib. 9. Imp. Leto Conſt. 19.*

Deſeritur à victoria, qui prior fidem deſerit; nam ipſe quo firmior ſtabat, pede exceſſit. Inviolata ſit data fides, turpe eſt Parthorum more, *fidem dictisque promiſſisq; addere nullam, niſi quantùm expedit. Fidem Jovis Capitolio vicinam ſtatuebant Romani*: Illa enim velut alterum quoddam *Numen ac certiſſimum humanæ ſalutis pignus colenda eſt.* Et ſtabant hâc petra Romani: illis enim *ſumma fœderum religio* erat, ſumma fidei. *Tolerant tum maximè inopiam, obſidiumq; apud fœdera Legiones, nec terrore aut promiſſis demoventur.* Meritò cenſoria quadam ſeveritate Carolus V. vere Romanâ laureâ dignus, Helvetios reprehendit, quia antiqui fœderis Germanos inter illosque pactum turpi ſciſſura violarunt. Fœdera regnorum ſunt firmamenta. Quod una non poteſt manus, duæ conſervant. Neque alterutrâ, ſed binis orbem Atlas ſuſtentavit. Plusquam Gordio nodo firmata vigeant pacta: prius omnia, quam inter Principes fœdus reſcindatur. Luget etiamnum Ottomanna Porta Pontem ad uſque Trajanum Chriſtiana defluxiſſe arma, Coronatamque Aquilam ſuas eo alas protendiſſe. Violato ſub annum 1683. Pacis, fideique vinculo ruptum fortunæ filum adſcribunt. Luxit & olim Hungariæ Corona ſanguineam cladem, quia reſcidit datæ fidei religionem. Bonfinium audi: Amurates, cum ſuos in pugna Varnenſi ab Uladislao Rege Hungariæ (qui violato fœdere prior bellum fecerat) fugari conſpicaretur, ad expugnanda fidei piacula, ad ulciſcendam Chriſtianorum perfidiam, ad vindicandum jus reſciſſæ Pacis, depromtum è ſinu Codicem initi fœderis explicat, intentisque in cœlum oculis: Hæc ſunt, inquit, JESU Chriſte, fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere; per Numen tuum ſanctè jurârunt, datamque ſub nomine tuo fidem violarunt, perfidè ſuum Deum abnegarunt. Nunc Chriſte, ſi Deus es (ut ajunt) tuas measque hic injurias ulciſcere, & violatæ fidei pœnas oſtende. Vix hæc dixerat, qui ultimum in ſe impetum exſpectabat; à cæde ad prædam Hungari animos converterant, tandem trucidato Uladislao Rege, Hungari in fugam conjecti, nobilem victoriam Amurati reliquerunt. *Nihil magis eſt, quod deceat Principem, quam ut verbis ſuis fidem præſtet.* Major regiis verbis fides ineſſe debet, quam juramentis aliorum. Abſit à ſemel ſanctis litura, nam ſancta eſt Regum fides. Quidquid loquuntur oraculum eſt, quodvis verbum pondus habet. Turpis Blaſphemia eſt dicere: in fœderibus illos eſſe deteriores, qui fœdera ſervant. Alberti Belgarum Ducis factum imitare, Armiſtitio cum Oſtendanis ſtantis, plano pede Præſidium laxatum erat: Maneat illis Oſtenda, ait, mihi mea fides vilis non eſt.

# QUÆSTIO VII.

## *De aquis calidis & Thermis.*

Concluſio prima. Licèt aqua ſuopte ingenio frigida ſit, in multis tamen locis per occultos meatus calida excurrit & ſcaturit. Conſtat hoc ab inductione multorum locorum, qui calidarum aquarum ſcaturigine, & thermis gaudent. Sic in Islandia fons eſt calidus non procul ab Hecla monte: In Britannia inter Iſcalim & Ventam; in Gallia Aquitanica, in Tarbellis, in Sequanis ad oppidum Geberſuilerem. In Italia inter Apenninum & Padum. In Germania fontes Mattiaci ab antiquis nominati: inter Martianam ſylvam & Rhenum;

in

in ditione Wirtenbergenſi non longè ab oppido Phorcena: ad Venetam lacum in ſuburbio Uberlingo. In Pannonia inferiori ad Budam, ubi thermæ aliquæ ita fervent, ut niſi refrigerentur, balneo ſint inutiles, cùm in eas miſſum ovum non ſegnius, quam ad luculentum ignem coquatur. Idem contingit in Bajano ſinu, & ad Carunam collem Cariæ, & in Judæa non longe ab Aſphaltite lacu. Ex quo genere eſt etiam aqua fontis cujuſdam inter Martianam ſylvam & Rhenum, ubi injecta animalia glabra redduntur. Puteolis Tyrrhenorum oppido aqua tam fervens, ut etiam plumbum liquefaciat, teſte Cæſio. Agricola etiam commemorat de fluvio Atthamas dicto, qui decreſcente luna adeò incaleſcit, ut ligna ſibi admota inflammet. P. Cornelius Hazart in ſuis Annal. part. 6. Japon. c. 11. meminit ſulphureæ paludis in regione Ugen dicta, ubi aqua adeo penetrabili caloris virtute viget, ut carnem ab oſſibus brevi & facile exſolvat, tam tetro verò & violento fœtore imbutam contineat, ut pecudes propiùs accedentes continuò exanimet, quin ipſas etiam aves illic prætervolantes interimat. Ex oppoſito verò mirè ſalubres Selenuntinas aquas calidas ex induſtria deſcribit P. Kircherus in Mund. ſubterr. lib. 5. ſect. 3. c. 1. §. 8. Inter cæteras thermas celebres ſunt illæ, quæ in Selenuntinæ urbis (in Sicilia) reliquiis, hodie Sejaca vocatur, producuntur varietate admirabili, ſiquidem in medio altiſſimi montis, S. Colocero dicati, varii hinc inde ſpecuum labyrinthi occurrunt, quorum alii rectis, transverſis alii cuniculis patent; alii in imum terræ Tartarum profundiſſima voragine porriguntur. Antrum inter cæteros eſt vaſtum, in cujus medio puteus profunditatis immenſæ & viſu horridus, hic calentibus hinc inde pluribus ſcatet venis, quæ ex diverſarum cavernarum canalibus relabuntur, ac vapores ſimul emittit, qui ad ſupremam antri concamerationem ſalubres excitant intrantibus ſudationem. Sunt in hoc antro ſyphones, ſive artis, ſive naturæ induſtria facti calidis referti vaporibus, ad quos, qui capitis intemperie, aurium tinnitu, ac ſurditate laborant, auribus applicatis exiguo tempore ab infirmitatibus liberantur; nervis quoque corroborandis proſunt; unde inſigni infirmorum illuc magno numero confluentium emolumento viſitantur. In planitie hujus montis, alia mox exurgunt Thermarum genera, & inter cæteras aqua limpidiſſima miræ ad laxandum alvum virtutis. Ita ille.

Quæſtio nunc verſatur, quonam modo iſtiusmodi aquæ calorem adſciſcant? Ariſtoteles à fulmine provenire putavit; at contra eſt, quod fulminis vis ſit peſtifera, quisquis enim vinum attactum biberit, aut exanimis, aut amens redditur, aquæ verò calidæ communiter, ut experientia docet, ſalubres ſunt. Accedit, quod multa loca ſint, quæ nunquam fulminum ictum perſenſerunt; nunquam enim quinque pedibus altius deſcendit. Alii exiſtimant, ventum in terræ viſcera impulſum, & verberatum calefieri, atque in ſubterraneas aquas incumbentem ſuum illis calorem communicare. Verum contra eſt 1. quia, cum ventus, ubi aquæ viam, qua erumpant, invenere, confeſtim evolet, ſiquidem tenuior & ſubtilior eſt, quam aqua; ſequeretur, non poſſe aquas ſubterraneas diu calorem ſervare, ejus cauſa evaneſcente. Secundo, quia ventus non tantum mittit caloris, ut eo aquæ poſſint efferveſcere. Sennerti ſententia eſt, calorem induci à duabus aquis natura ſua frigidis, ſed in concurſu ob ſpirituum repugnantiam incaleſcentibus. Simile quid obſervatur in oleo tartari, & ſpiritu vitrioli, idem aquæ fortis, & tartari, butyri, antimonii, & ſpiritus nitri miſturâ, quæ licet ad tactum frigida, ſi tamen miſceantur, incaleſcunt, & quidem ita, ut ſi repentè aquæ forti, in qua ferrum ſolutum eſt, oleum tartari infundatur, non ſolum hoc ebulliat, ſed & flammam concipiat. Placuit aliis, aquas terræ incluſas radio Solis calefieri, ſed à vero hoc alienum eſt, tum quia Sol non tantam ad calefaciendum vim obtinet, ut etiam in cavernarum altitudinem ad latentes aquas tam intenſi caloris effectu pervadat; tum quia ſequeretur, abſcedente per hyemem Sole, ejusmodi ſcaturigines minus calidas eſſe, quam æſtate, quod negat experientia. Demum calci ſubterraneæ calorem aquæ adſcripſit Democritus, ſed ignarus aquam è calce non calefieri, niſi prius igne ſit excocta. Quare ſit

Concluſio ſecunda. Aquas ſinu terræ conditas calefieri tum à calore terræ nativo ſive exhalationibus & ſpiritibus calidis; tum ab ignibus ſubterraneis, per quos aquarum transcurſus eſt, tum etiam à materia prӕcalida. Ratio eſt, quia conſtat terras, in quibus ii defluxus viſuntur, abundare ignis fomite, ut ſulphure & bitumine, & interius æſtuare, aut inardeſcere. Unde & aliquibus in locis aquas calidas eructantibus tali materia exhauſtâ thermarum aquæ refrixerunt. Nec ſane ullo modo toto anni tempore tanta aquarum vis calorem ſervaret, niſi eum ab hiſce cauſis mutuarent. Quare valde probabile eſt, aquas calidas ac thermas à prædictis cauſis non ſecus ac ab igne ſuppoſito cacabos incaleſcere. Declaratur res ulterius exemplo: aqua ſalſa argillæ miſceatur, fiatque ex argilla vel limo globus, qui intus excavetur, orificioque iterum argilla obſtructo ei fiſtula anguſta indatur, globusque igni admoveatur; fiſtula ab igne averſa; hic ubi incaluerit, per fiſtulam aqua calida ex ea effluit. Non improbabilis etiam modus eſt, quem Honoratus Faber obſervat: quemadmodum enim aqua frigida

frigida, inquit, ſeu vinum frigidum, quod bibimus, incaleſcit, per talem ſcilicet percolationem ſeu filtrationem, quæ fit in noſtro corpore: ita prorſus fieri poteſt, ut aqua multa uligine conſtans, ita percoletur per meatus & poros terrarum & rupium, ut inde multum humoris ſecernatur, unde partibus ignis collectis aqua illa calida evadat. Hinc aliquando accidit, ut idem locus calida & frigida ſcaturiat; in hoc clariſſimam analogiam habes humorum corporis animati, ac illorum, qui in corpore terræ fluunt; analogiam etiam habes in fœno humido cumulatim congeſto, quod incaleſcit.

Concluſio tertia. Hujusmodi aquæ calidæ & thermæ plerumque admodum ſalutiferæ ſunt, ac præſertim ad depellendos morbos frigoris noxa contractos, ſingulari naturæ beneficio comparatæ; quippe ſulphurata nervis utilis eſt, aluminata paralyſi, ſimilique morbo affectis bituminata, & nitroſa purgationibus. Notandum tamen, aquas has non tam à calore, quam à minerali halitu & admixtis illis corpuſculis è foſſili vena eductis ſuam derivare virtutem: hæc enim humoris vehiculo, caloris beneficio laxant poros, oppilationes, & obſtructiones diſcutiunt, & primævam arteriis habilitatem, liberumque muſculis uſum reſtituunt. Neque enim univerſim medicinæ argumentum eſt calor in aqua, ut patet in Egeſta Siciliæ, Lariſſa, Troade, Magneſia, Melo, & Lipara, uti refert Plinius lib. 31. cap. 2. & 6. Notandum ſecundo, quod & longior & frequentior balnei uſus vires & robur imminuat, dum enim calor poros aperit, copioſior ſe corpori aqua inſinuat.

Concluſio quarta. Salubritas thermarum interdum etiam variat? Solis enim calore æſtate perfuſæ, attenuatæque ſunt optimæ, utpote magis purificatæ; Hyeme vero ſunt peſſimæ, graviores enim & craſſiores halitibus ſubterraneis conſpurcatæ evadunt. Mutationes has aquarum fieri varia docent exempla. Sic balneum de aquis in agro Piſano graves infert potoribus noxas, ſi illo promiſcue utuntur. Unde prævidere hunc effectum ſolent incolæ. nam cùm aquam menſe Martio, Aprili, aut Majo luteo tingi colore, turbidamque fieri cernunt, pernicioſam fore præſagiunt. Sic etiam Alcardus Veronenſis Medicus, qui de balneis Calderianis ſcripſit, Apponitanam aquam quandoque lethalem eſſe dicit, exemplo cujusdam nobilis Galeatii, qui ex potu illius cum genero, & aliquot famulis obiit. Similiter acidulæ Alſatiæ aliquando tam acres ſunt, ut dyſenteriam commoveant, nonnunquam effœtæ, & priſtino vigore privatæ. Cauſa verò harum mutationum præter dicta etiam eſt pluvioſa, nebuloſa, caliginoſa, auſtrina, & peſtilens cœli conſtitutio, æſtus nimius, inundationes, & terræmotus.

Quæres primo. Cur ſi quis ſitiens in balneum deſcendat, etſi non bibat, ſitim tamen amittat? Reſpondeo, rationem eſſe, quod aqua per poros ſubingreſſa frigidi & humidi appetitum ſedet.

Quæres ſecundo: Quales thermæ ſint Carolinæ in Bohemia, & Badenſes in Auſtria, & quibus morbis medeantur? Reſpondeo, Thermas Carolinas eſſe ſulphureo aluminoſas, & curare glandulas, ſtrumas, ſchiaticam, paralyſin & ſimiles morbos; Badenſes verò eſſe ſulphureo- nitro aluminoſas, & frigidis mederi morbis.

Quæres tertio: Quomodo univerſim thermæ quoad virtutem dignoſci poſſint? Reſpondeo 1. Si thermæ ſunt aquæ dulcis frigidæ, condenſant, digeſtionem confortant, corpus refrigerant, & conſtipant; proſunt juvenibus & carnoſis contra morbos calidos & ſiccos, itemque profluvia, articulorum dolores, & podagram. Nocent vero hominibus frigidis & humidis. Secundo: Si thermæ ſunt aquæ dulcis calidæ, emolliunt, & humectant corpus & membra, humores liquant, & evacuant, ſomnum conciliant, carnem & cutem mundificant, alvi obſtructioni, capitis dolori, calori interno, pulmonis vitiis medentur. Tertio, Si thermæ aquæ mineralis ſalſæ ſint, exſiccant, & frigidas ac humidas intemperies curant, medentur Hydropicis, frigidis nervorum doloribus; Valent adverſus calculum, ſplenis duritiem. Quarto: Si nitroſæ, mediocriter aſtringunt, & valenter abſtergunt. Quinto: Si aluminoſæ, exſiccant valde, calefaciunt, multum adſtringunt & corroborant, valent adverſus omnes morbos humidos & frigidos. Sextò: Si ſulphureæ, calefaciunt, ſiccant vehementer, reſolvunt, aperiunt, attrahunt, conſumunt, & attenuant. Septimò: Si bituminoſæ, enixè calefaciunt, & prolixè molliunt. 8. Si gypſeæ, infrigidant, exſiccant, conglutinant, oppilant, proſunt calidis & humidis morbis.

Ex quibus colliges, quod effectus aquarum *Calefacientium* potiſſimi ſint rarefactio, fuſio, digeſtio, & attenuatio; *Frigefacientium* repletio & diſtenſio; *Siccantium* adſtrictio, & condenſatio; *Humectantium* mollitio & lenitio.

Quæres quarto, quomodo dignoſcantur aquarum mixturæ. Reſpondeo, vel per correctionem ad tertiæ partis conſumptionem, & reſiduæ aquæ adhibito panno craſſiori filtrationem, vel per evaporationem, vel diſtillationem adhibito unà vaſe refrigeratorio; deinde ſedimentum extractum, & exſiccatum examinetur hoc modo: exponatur ſedimentum ſupra tabu-

tabulam ferream politiſſimam igne candentem: quod ſi deinde aquis fuerit commixta calx, marmor & gypſum videbuntur iſta in candenti lamina non comburi, ſed poſtquam alia fuerint combuſta, remanebunt illa colore multo ac ante candidiori fulgentia, hac tamen differentia: quod ſi gypſum aderit, id ſtatim candidiſſimum fiet; calx verò & marmor ad candorem manifeſtandum nonnullam moram requirent; ſi ſulphur immixtum adſit, id ſtatim ſolitâ odoris graveolentiâ ſe prodet; ſi verò ſal & nitrum; illa dum comburuntur, in candenti tabula ſcintillabunt, ità tamen, ut ſal cum crepitu, nitrum ſine crepitu. Si ceruſſa adſit in intenſam vertetur rubedinem, atque adeò plumbi inexiſtentis apertum ſignum erit; ſi denique alumen adſit; id liquefactum lactei prorſus coloris ſigna poſt ſe relinquet.

Quæres quinto, cur thermæ magis noctu caleant? Reſpondeo, rationem eſſe, eò quod vapores externo nocturno aëris frigore coerceantur, & ita diutius calorem tueantur. Illud mirabile, quod de thermis quibusdam Germaniæ ſcribitur, eas vectigali impoſito exaruiſſe, ut teſtatur *Camerarius horis ſubciſ. cent. 2. c. 69.* Simile quid in Conchis accidit Seuſæ; cùm enim harum collectioni vectigalis genus quoddam impoſitum eſſet, evanuerant, rediere vero hoc rurſum ablato. Jacob. Meier. in Annal. Flandriæ.

Colliges primo ex Cornelio Celſo lib. 1. c. 3. balneo juſtò amplius æſtuante, ſi quis frigidam, aut acetum in ore ſervet, tolerabiliorem ei reddi æſtum. Si vero balneans aquam moveat, caloris ſenſum augebit, aqua enim corpore calidior, huic adjacens aliquid refrigeratur, per motum verò nova continuo ſuccedens, novis viribus corpus calefacit.

Colliges ſecundo: Si quandoque apud Hiſtoricos legatur, fontes arſiſſe, ut refertur de fontibus Hepheſtiis, non aquas ardere, ſed materiam aquis mixtam ignem in ſe fovere, quem exſtinguere non valent undæ, quia ſpiſſitudinem materiæ, ignem recipientis, penetrare nequeunt. Sic camphora ſuper aquam ſparſa quovis candelæ ardentis igne inflammari poterit. Sic & ardet vinum ſublimatum ob ſpiritus igneos calidiſſimos.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Aerarium divitum levamen ſit pauperum.


MUnifica Natura parens non contenta benevalentibus propinare frigidam, niſi & malehabentibus præparâſſet calidam. *Miſeris eſt iſta levamen.* Reſerat ceu intima charitatis viſcera, dum rupto terræ gremio, ſe ad ægrorum ſolamen effundit in balnea. Virtute mineralium aquas reddit ſalubres, ſubterraneorum ignium foco calefacit, omnibus ad neceſſitatem obvias propinat, ut benegniſſimam Matrem & commune ægrorum aſylum eam eſſe intelligas. Idem ſibi Politice cum Natura officium charitatis eſt. Non tibi, ſed communi miſerorum auxilio te natum exiſtima. Ærarium inſtruxit fortuna opibus, ut habeat pietas, quod tribuat egenis. Muneris quippe id proprii felicibus eſt miſeros ope facere felices; Pandis balneum & thermas inſtruis, dum manum in egenorum ſtipem recludis: tot morborum curas genera, quot miſerorum ſublevas neceſſitates. Laudo liberalitatem in bene- Cic. lib. 2.
meritos, *at major & propenſior ſit liberalitas in calamitoſos*, monitum Romanæ eloquentiæ eſt. Ul- de offic.
timum quippe miſeris levamen, miſeratio divitum. *Pauperibus una educandi ratio bonus Princeps* Plin. Pa-
*eſt*, cenſet Plinius Paneg. Regium eſt, abundare opibus. *Magis tamen Regium ditare, quam di-* neg.
*vitias poſſidere*, dicebat Tullius; objurgatus Tiberius Conſtantinus Imperator à Sophia Augu- Cic. lib. 2.
ſta ob fiſcum Imperialem in pauperes exhauſtum; *atqui*, repoſuit, *nunquam defutura eſt fiſco pe-* de offic.
*cunia, quamdiu pauperes ſtipem accepturi ſunt. Magnus ſiquidem theſaurus eſt ſtips pauperum.* Tan- Reuſ. in
to amplius undâ accreſcunt putei, quanto plus ſe effundendo propinant. Cum fœnore red- ſymb.
dit ſemen in agrum jactum. Ut vere cecinit Poëta: Impp.

*Nullum majus erit lucrum, quam paſcere egenos;*
*Fœnore nam grandi centupla dona feres.*
*Quod datur, æternùm durat, ſequiturq; datorem,*
*Dantem & captantem munus utrumq; juvat.*

Ad novos cenſus æs datur, quod pauperum in manibus reconditur. Nec egere unquam poterit egenorum Patronus. Ipſum cœlum tot titulis ſibi obæratum habet, quot miſerorum ex turba debitores numerat. Ita proinde perdere tuum lucrum puta; ſic eſſe prodigium œconomiæ providum exiſtima. Novit hoc Cimon Athenienſium Princeps uſque adeò munificus, ut, cum pluribus in locis prædia haberet, nunquam illorum cuſtodem ſuſtinuerit; ne quis egenorum impediretur, quo minùs rebus ejus, quibus vellet, frueretur. Sequebantur & eundem nummati pediſſequi, ut ad manus haberet ſtipem, nè imploranti opem vel differendo negare videretur.

*Æmilius.* retur, Æmilius. Aliquam nempe jam partem dempſit muneri, qui differendo donat. Bis dat,
*Reuſn. in Symb. Impp.* qui cito dat. Diu enim noluit, qui tarde tribuit. Maximilianum I. ſolitum dicere ferunt: *Charitas non expectat homines egentes, ſed ubi neceſſitatem videt, ante preces opitulatur, & auxilium*

62.




*fert.* Miſericordia non cauſam, ſed fortunam ſpectat. Scilicet, *ſicut Sol preces* (magni viri
*Epictetus apud Stobæum de Magiſt.* Epicteti doctrina eſt) *aut blandimenta non expectat, ut exoriatur, ſed ſtatim ſurgit, & ab omnibus ſalutatur, ſic tu nec plauſus expecta, nec ſtrepitus, vel laudes, ut benefacias, ſed ſponte benefac & pariter ac Sol omnibus clarus eris.* Amplius dico: DEO proxime ſimilis eſt, qui prompta ſtipe pauperem ſublevat, majus quippe aliquid humano agit, ut vates inquit: *Accipere humanum eſt; in-*
*Ovvenus.* *opi donare Deorum.* Anaxilao Regi viſum, hoc unum Regibus feliciſſimum evenire, quod à nemine vinci poſſent beneficiis, cùm nullum ſit majus & certius felicitatis ac magnitudinis argumentum, quàm plurimos felices feciſſe. Hinc de Nerva Dio Caſſius: *Quosdam*, inquit, *Senatorij ordinis delegit, qui agros emerent, eosq́; egenis dividerent. Pecuniæ autem inops, veſtes primùm & vaſa aurea, argenteaque atque pretioſam ſupellectilem ſeu propria, ſeu publica & Regia eſſet, auctioni ſubjecit.* Quam laudabilis vox quoque illa Impp. Valent. & Mart. quà conteſtati, *huma-*
*L. Privilegia 12. C. Sacroſ. Eccleſ.* *nitatis ſuæ eſſe, egenis proſpicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint.* Quid Conſtantinus? *Quemadmodum Sol ſuper terram oriens in omnes claros ſui luminis radios affatim profundit; ſic Conſtantinus ſimul cum Solis ortu in Regiis ædibus apparens omnibus probitatis ſuæ ſplendorem exhibuit, neque quisquam ad eum adventabat, qui non aliquo bono potitus.* Baron. Quid Carolus V. Etiam a-
*Bar tom. 3 Ann. ann. Chr. 315. Surius.* doleſcentulus adhuc uno die ſubinde ſepties crumenam in egenorum neceſſitates explevit; cumque aliquando æs, non liberalitas deficeret, lachrymas in ſtipem fudit. Prætereo alia Auſtriaca benignitatis ſydera. Omnium inſtar ſit Ferdinandus II. Princeps præter modum munificus, qui cùm nullum benefaciendi ac donandi finem faceret, ſuo tamen adhuc animo, munificentiæ cupidiſſimo, minime ſatisfactum credebat. Facetè jocatus aliquan-
*Lamormianus in ejus vita.* do, gratiſſimum ſibi futurum, ſi novam copioſamque aurifodinam ejus in terris DEUS aperuiſſet, ut eſſet præ manibus, quantum alii peterent, quantum ipſe optaret, dare. *Ita miſeris fuit iſte levamen.*

QUÆ-

# QUÆSTIO VIII.

## *De aliis aquis medicatis, mineralibus, lapideſcentibus, & aliis nonnullis.*

NOonnulla de aquis medicatis jam in præcedenti Quæſtione explicata ſunt, dum de thermis egimus. Vocantur verò medicatæ, eò quòd aliqua medicâ vi pollere dicantur, & quas propterea Medici ad curandos aliquos morbos adhibere ſolent. De his nonnulla & pauca duntaxat indicanda ſunt, majorem partem ad Medicos rejicimus, quorum inſtitutio propria eſt de his agere. Quare ſit

Concluſio prima. Minerales & medicas dari aquas indubitatum eſt. Sic inter auriferos fontes & flumina numeratur Tagus in Hiſpania; in Italia Padus; in Aſia Pandroſus; in Bactris Oxus; in Africa Nilus, Niger, & Zairus; in America juxta Potoſium omnes fluvii aureis ſcatent ramentis; Albis in Germania; Hermus in Lydia, Chryſius in Hungaria. Pariter ab ære, quo abundat, nomen *Chalcis* fluvius ſumpſit, ab argento Narbonenſis Galliæ fluvius *Argenteus* dicitur.

Concluſio ſecunda. Aqua medicata ſuam vim habet & virtutem ab admixtis corpuſculis. Hæc autem aquæ admiſcentur, quia per fodinam ſeu metalli, ſeu alterius corporis foſſilis aqua decurrit; Humor enim ſenſim ſine ſenſu cavat lapidem, hoc eſt, ramenta quædam, ſeu particulas corporis foſſilis ſubducit. Sunt autem ea foſſilia vitriolum, ſal, alumen, bitumen, ſulphur, nitrum &c. quibus adde metalla, ut ferrum, æs, plumbum, argentum, aurum, &c. Præterea fieri etiam poteſt, ut aquæ mineras prætervectæ proprias metalli qualitates imbibant ſine ſubſtantiæ acceſſione, quamvis communiter hanc ſecum devehant, cum ex ipſis aquis foſſilis portio educi poſſit, ſicut aqua mari extracta, Solique expoſita in ſalem exeoquitur.

Concluſio tertia. Saporis operâ præſertim qualitas aquæ medicatæ cognoſcitur, aquæ enim acidæ ſunt ab atramento ſutorio, ſeu vitriolo; acerbæ & adſtringentes ab alumine; amaræ à nitro: ſalſæ à ſale; acres à calcitide; ſubpingues à ſulphure; dulces à plumbo & auro, medii verò ſaporis ab argento & ſtanno. Cognoſcuntur præterea etiam à calore; ita aluminis, ſulphuris, vel lapidis calcarii admiſtio colore lacteo aquas inficit; bitumen ſubnigras, æs ærugineas præbet. Ex ferro rubiginem contrahunt. Vitriolatæ & bituminoſæ obſervantur etiam olfactu, quem potentiſſima mephiti percellunt. Præter inſinuatum quæſt. priori & alios modos, ſequentem quoque minerales dignoſcendi aquas præſcribit P. Kircherus in mund. ſubt. l. 5. ſec. 2. c. 5. Sedimentum metallicæ aquæ infundatur in acetum generoſiſſimum atque acerrimum, vel in erodentem alium liquorem cauſticâ virtute pollentem, cujusmodi ſunt aquæ fortes, ſeu erodentes Chymicorum. Inſpecta deinde aqua, ſi ſupra ſedimentum obſervaveris concreviſſe ferruginem, certus ſis, medicatas aquas ferri mixturam continere; ſi verò æruginem creviſſe videris, erit id in æris mixturæ ſignum; ſi auruginem, id auri latentis indicium habebit, & ſic de reliquis.

Ex his colliges, ut etiam in priori quæſt. inſinuatum, quaſdam aquas ſtrangulare, ut gypſatæ, quia ſcilicet arteriarum meatus obſtruunt: quaſdam exſiccare ulcera ut aluminoſæ, atramentoſæ, quia ſcilicet adſtringunt meatus illos, quibus humor in ulceris locum confluebat; quædam calefaciunt, ut ſulphuroſæ, multo enim conſtant igne; quædam ſenſus & caput hebetant, ut bituminoſæ, quia pinguiore ſucco meatus nervorum obſtruunt; quædam in calculum concreſcunt, ut quæ multa terrâ conſtant; quædam vero obſtructiones lienis, jecoris; renum auferunt, quia, cum facile percolentur, illa corpuſcula, quæ meatus obſtruebant, ſecum aſportant. Sic & aurea aqua, inquit Kircherus, corroborat, ænea pectus & pulmones, ferrea lieni prodeſt & melancholiæ; plumbea & ſtannea jecur ſanat, & hydropen removet; lapideæ ſubſtantiæ miſcella calculos dejicit, ut experiuntur Tyburis incolæ, qui ex flumine turbidam bibunt, nec inde ullus calculo corripitur, licèt eadem aqua & ripas, & ligna, quaqua ruit, in lapidem vertat.

Quæres, unde ſit vis illa multarum aquarum, quâ fit, ut breviſſimo tempore in veſicam traducantur, & foras ejiciantur, ac proinde abunde potari ſolent tum ad ventriculum reficiendum, tum ad obſtructiones diſcutiendas? Reſpondet ad hoc quæſitum Honoratus Fabri ſupponens, tantùm in renibus fieri percolationem, ſeu filtrationem ſanguinis, hoc eſt,

traduci ſanguinem ex arteriis emulgentibus in renes; indeque portionem aqueam per ureteres in veſicam derivari; aliam verò ſanguinis portionem in venas emulgentes perpetuo arteriæ motu intrudi; itáque ſuppoſita hujusmodi percolatione, corpuſcula illa, quæ aquæ medicatæ inſunt, laxant meatus, ac viam facilem humori faciunt; imò ſi quæ prius obſtructio erat, eam diſcutiunt. In rem præſentem mirabile quid refert Sibbaldus his verbis: In Hoja Orcadum Inſula tres altiſſimi montes ſunt, qui ſublimitate ſua mirandâ navigantibus à terra longiſſimè adhuc diſtantibus curſum, quo dirigunt rectâ phari quaſi præſtantiſſimi ſpeciem, & vicem præbent. In ipſo cacumine unius ex hiſce tribus montibus ſic contiguis fons eſt ex ipſo corde ſeu fundamento montis ortus miræ claritatis, raræ dulcedinis, ſiti ſedandæ convenientiſſimus & ſtupendæ adeò levitatis, ut ſi quis potando integrum dolium de illius aqua in ſtomachum trajicere poſſet, nullatenus ſe graviorem inde effectum ſentiret. Veriſimiliùs tamen eſt, hanc aquam non tam ob levitatem non aggravare ſtomachum, quam ob virtutem impulſivam, quâ ocyus aqua in veſicam detruditur, & foras expellitur, ne oneri ſit bibenti.

Concluſio quarta. Danrur etiam fontes, qui immerſa diverſimodè commutant. Teſtantur hoc paſſim Hiſtorici. Sic in Islandia haud longè ab ignivomo monte Hecla fons emanat, qui immerſas ad fundum usque virgas in ferrum commutat. In Palæſtina infra montem Carmelum ſcaturit fons, qui mineralia quævis injecta in vitrum transformat; vitrum autem injectum in arenam reducit, ac convertit. Arborum folia in Yo Provinciæ *Pequin* cadentia commutantur in hirundines. Similiter in locum Hæniao folia dejecta in nigras abeunt aviculas. In Hyberniæ Provincia *Ultonia* prope urbem *Armac* lacus *Niach* dictus aquam continet hujus naturæ, ut ſi baculus ligneus usque ad fundum attingens immittatur, in infima parte, quâ fundum attingit, convertatur in ferrum, media verò pars aquæ immerſa lapideſcat; reliqua verò extra aquam remaneat lignea, uti fuit. Denique, ne longinqua & peregrina petamus, prope Scepuſium Hungariæ urbem aqua tam vehementis virtutis teſtibus oculis obſervatur, quæ ferrum, ubi in canalem conjectum, brevi tempore in cuprum convertit. Ipſe, qui hæc ſcribo, immutatas inde equorum ſoleas, in probatiſſimum cuprum non ſemel in manibus habui.

Quæres: Num ergo unum metallum ſe in aliud convertat? Reſpondeo negativè, nulla enim hic transmutatio fit, ſed tantùm ſeparatio ope vitrioli inducta. Et hâc ratione cuprum à ferro in Scepuſienſibus aquis ſeparari credibile. Nempe quia magnus ferrum inter & cuprum magnetismus intercedit, fit, ut ubi corpuſcula vitriolata ferreum quid aquis immiſſum ſenſerint, ei ſtatim adhæreant, poros penetrent, ferrum acredine ſua diſſolvant, & remanente ferri ſcoriâ, reliquum in cuprum condenſent. Hinc fit, ut ferro priori cruſta quædam, ſeu cortex cupreus adnaſci ſoleat, nempe ex congregatis corpuſculis æreis, ferreis interea in rubiginoſam ſcobem reſolutis. Experientiâ rei hujus edoctus Kircherus, qui tantumdem ferreæ rubiginis ab aqua vitrioli exeſum reperit, quantum maſſa ferri prius pendebat. Similiter cum proportione diſcurrendum de aliis ſuperiùs adductis mutationibus. De arborum foliis verò avium feracibus, ſi fides hiſtoriæ adhibenda ſit, ſentio ea ab aquæ qualitatibus quaſi fermentata diſpoſitionem quandam accipere ad generationem ſimilium avicularum.

Concluſio quinta. Reperiuntur pariter aquæ lapideſcentes, & injecta quævis in lapidem convertentes. Sic in Gothia fons reperitur, qui in lapidem, quidquid immergitur, convertit. Vim hanc lapideam expertus Fridericus Imperator chirothecam manu detractam ſigillo appreſſo notatam fonti juſſit immergi, & eâ, quâ immerſa fuerat, parte lapideam recepit. Similis eſt Regno Barnagaſſo prope urbem *Abbarach* injecta quævis paucarum horarum ſpatio in lapidoſam duritiem convertens. In Bohemia propè *Falckenavium* fluit fluvius, cui injectæ pinus brevi tempore lapideſcunt. Propè Perſiæ civitatem mons eſt, ad cujus radices plures emanant ſcaturigines, quarum aqua in pellucidum lapidem vitri inſtar incraſſeſcit, & induratur. Propè Peruvianam civitatem *Guancavilcam* fons calidus ebullit, cujus aqua mox lapideſcit, à quibuslibet etiam animantibus pota, eadem mox interimit cùm in ipſis ſimiliter concreſcat in lapidem. Notiſſimum eſt, in Scepuſienſi Hungariæ Comitatu plures erumpere fontes, qui quaqua gradiuntur, in lapidem abeunt, levem quidem, & pumicibus non diſſimilem; qui eâ quantitate augetur, ut uberem domus ædificandi materiam accolis præbeat, ſe domos aqueas incolere gloriantibus. His adde, rivulum illum in *Glevelis* ad locum dictum *Achigniglium*, de quo ſcribit D. Sibbaldus in prodrom. Natur. Hiſtor. Scotiæ part. I. l. I. c. 9. Hic

ita

ita Agrifolium in lapidem ſubviridem mutat, ut plerumque ex eo formas efficiant ad fundendas plumbeas glandes ſclopetis inſervientes: fabri etiam illi, qui in ære operantur, ex eodem conficiant ſuas formas, & ollulas fuſorias, & mulieres quoque rotunda ſua verticilla, quibus fuſos cingunt, ut eò commodius fila deducant à penſo.

Quæres. Quæ ſit cauſa condenſationis lapideæ. Reſpondeo, condenſationem hanc fieri ob mixturam oleoſorum cum ſpiritu ſalis, cujus natura, uti & frigoris eſt, obvia quæque condenſare. Unde & in animantibus ex ſale naſcuntur lapides. Confirmat hæc experimento Joannes Faber in Hydrogr. ubi ſcribit: ſi oleo per diſtillationem ſal omnis eximatur, illud nec condenſandum amplius, nec conglaciandam; quàm rationem etiam affert, cur ſublimatum congelari nequeat.

Colliges. Lapideſcere etiam illas aquas, quæ plurimum gypſi, aut luti viſcoſi vehunt, facilè enim harum corpuſcula obviis injectis materiis ſeſe agglutinant. Unde & lapidem tibi ars obvia dabit, nempe ſi lapidem quemcunque in pollinem reduxeris, & aqua ſubacto modicum ſalis, aut nitri miſcueris; huic quidquid immerſæ ſeu pannus is ſit, ſeu herba, cortice lapideo obductum recipies non ſecus, ac dum lignum ceræ linquatæ immergitur, cereâ cruſtâ inveſtitur. Pariter & illæ aquæ faciles ſunt ad generationem lapidis, quibus aluminis copia immiſcetur. Nam ſi lapides aluminoſos irroratione frequenti maceres, donec in calcem redigantur, atque in lebete coqûas, lapides cryſtallo ſimiles efficies, teſte Kirchero.

Quæres ultimò. An etiam dentur fontes, lacus, & flumina præſagiis malorum memorabiles? Reſpondeo, tales omnino ab Hiſtoricis adduci, multa tamen, quæ de his ſcribuntur, exiſtimo ad fabuloſam antiquitatem remittenda eſſe. Sic ſcribitur, Althemii in ditione civitatis Ulmenſis fontem eſſe, quem famem appellant, cùm uberius emanat, famem & annonæ caritatem prænuntiat. Glanizii in Miſnia Scaturigo quædam rivulo ſuo Albim influit, quæ ſi aquam volvit rubram inſtar ſanguinis, bellum indicat, cùm verò cinerem effundit, peſtem præſagit. In Helvetia amnis eſt incolis dictus: die Siedmannsbach / qui annuatim in Autumno evaneſcit, in vere autem denuò erumpit, & fluit, cùm ſerius more conſueto in Autumno fluxum continuat, annum bonum ac fertilem venturum prænuntiat; cum vero ſolito citus exareſcit, damnum in frugibus à frigore futurum præſagit. In ſalinis fontibus Bochnæ in Polonia, cum audiuntur latrantes canes, vel galli cantantes, vel etiam aliorum quorumlibet animalium clamores infortunium imminens prænuntiant. Propè *Volaterras* in Toſcana ſcaturigo quædam ad decem pedum altitudinem aquas effundit; cum ultra eam fons accreſcit, pluvias, ac tempeſtates ſignificat; cum verò infra ordinariam altitudinem exundat, ſerenitatem & ſiccitatem futuram præmonet. Plura ſimilia adduci poſſent, ex quibus colliges, quorundam effectuum ex dictis rationem afferri poſſe, aliquorum verò minimè, unde ad fabulas rejiciendi, quibus & ſequentes vel maxime adjunge. Memorat Plinius lib. 31. cap. 2. de Amne *Olachas* dicto in Bithynia, cujus gurgite perjuri notantur pati veluti flammam urentem. Alexander ab Alex. lib. 5. c. 10. mentionem facit fontis Acadini in Sicilia, ubi tabulæ juramenti veri innatant, falſi merguntur, iis morientibus ſemper, qui falſum jurantes in eo ſe lavant; contra autem vera jurantes nulla in parte lædebantur.

## *Corollarium.*

QUæ dicuntur de fonte Paphlagoniæ, cujus aqua vini more inebriat, certè fieri poteſt, ut ita ſit; ratio porro petitur ab iis corpuſculis, vel admixti ſucci particulis, quæ non diſſimiles obſtructiones cerebro communicant iis, quas vinum conciliare ſolet. Similiter quæ dicta ſunt de aquis, oblivionem, vel inſaniam, vel vini tædium inducentibus, ſi vera ſunt, rationibus minimè deſtituuntur, nempe cùm illæ aquæ noſtro ſanguini commiſceantur & hic per totum corpus diffundatur; quid mirum, ſi organa tali modo, vel tali afficiat, ex quo ſequitur, vel inſania, vel oblivio, vel mors ipſa, vel vini tædium, vel ſenſuum hebetudo; hæc enim omnia talem organorum diſpoſitionem deſiderant, quam omnino tollunt ea corpuſcula, quæ prædictis aquis admixta ſunt. Quod verò circumfertur de fonte apud Garamantas, cujus aquæ noctu calidiſſimæ ſunt, de meridie verò frigidiſſimæ,


ſabulam eſſe puto, idem cenſeo de aliis ſimilibus. Quod autem aliqui quantumvis frigidi, fervere videantur, procedit ab halitu, ſeu vento erumpente. Quod etiam aliquæ aquæ ſemper abundent, & nunquam effluant, adeò mirum non eſt, cùm vel ad inſtar puteorum ſint pari ſcilicet libra cum ſua ſcaturigine; vel eo quod aqua per alios meatus affluat, per alios effluat. Nec difficile explicatu eſt, quomodo alii fontes cuncta injecta abſorbeant, vel enim quod injicitur gravius eſt ipſâ, cui immergitur, aquâ vel leviùs: ſi primum, neceſſario immergitur; ſi verò ſecundùm, quod leve eſt, rarum eſt, ac proinde aqua ea ſubtilitate pollet, quâ facile totum corpus permeet, atque penetret, ſic charta aqua imbuta immergitur; idem dico de ligno, foliis, imo & de ipſis plumis, quibus nihil fere leviús eſt; & itá in lacu Averno folia ſubſident, quia præ ſubtilitate aqua ſtatim totum folii corpus penetrat; In Agrigentino econtra omnia fluitant, & innatant propter denſitatem aquæ, quæ oritur ex admixto bitumine.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Exterarum Regionum luſtrator ſit Politicus.

63.

N. 63.




Wolfg. Jos. Kadoriza del. Lincy. J. S. K. f.

HAbet & interior mundi facies Regiones ſuas non minús viſu & admiratione dignas. Habet tot urbes, civitates & oppida, quot ſubterraneos meatus, ſpecus, & divites mineralium numerat fordinas. Si peregrinari per has curioſo naturæ ſcrutatrici oculo liceret, quam dives eruditionum voragine mens inde rediret? Quod negatum humano oculo, id mine-

neralibus maximo lucro conceſſum eſt aquis. Vix enim natali maris ſede egreſſo, per ſubterraneos ſe diffundunt anfractus, quantocyus ſpiſſam ſalſugine mutant indolem, liquore dulci ſuavem aſſumunt naturam; nec contentæ, variorum foſſilium virtutem imbibunt, auri inſuper & argenti corpuſcula immiſcentes latici ſecum in lucem evehunt. Ut peregrinanti ſic undæ merito apponi poſſit: *Dives abinde redit.* Subterraneæ peregrinationis hic fructus eſt; tuum tibi, Politice, quem in ſuperioris mundi plaga, ab exterarum Regionum circuitu conſequi potes, ob oculos proponens. Audi Lipſium: *Peregrinatio*, inquit, *inſtrumentum eſt uſui rerum & prudentiæ accommodatum.* Alius cum alieno ſolo ſtatim homo induitur. Purior ſuccus imbibitur traductus per varia & anguſta terrarum. A nativis materni affectûs fæcibus purgatur animus per exteras terras peregrinus. Beneficio commutationis hujus cum patria villoſæ illius & veteris Teutoniæ ſpecies, quam aſperis coloribus pinxit Tacitus, modo evanuit, ut jam in ſe una perſpicuitatem mentis Italiæ, elegantiam & facetias Galliæ, humanitatem, oriſque decorem Britanniæ, conſtantiam & gravitatem Iberiæ, moribus exprimat Germaniam. Ex peregrinationibus nempe (Auctor eſt Franciſcus Patritius) multa audiuntur, multa ediſcuntur, multaque oculis cernuntur; quæ nulla diſciplinâ, nulloque Doctore unquam perdiſci poſſent. Objicit ſcilicet illa urbium mœnia & Caſtellorum propugnacula, ut de munitione, fortitudine, ſitu & aditu edoceat, variarum gentium indolem explorandi facit copiam, ut de earum natura, genio & moribus informet; ad diverſas Reipubl. Curias januam aperit, ut, quibus floreant legibus, conſerventur inſtitutis, regantur conſiliis, qua prudentia, induſtriâ & æquitate adminiſtretur juſtitia penitiûs proponat; denique ad Principum aulas & palatia ſternit aditum, ut quibus regia capita coronari deceat virtutibus, quâ imperandi clarere formâ, quam ſeveritatem clementiæ innixam erga ſubditos adhibere conveniat, optimè inſtituat. Longa nempe via per præcepta eſt, brevis per exempla; Hiſtoricorum annales pervolvere Politicorum axiomata memoriæ mandare, ſpeculativè eruditum faciunt, non practice prudentem. Ipſis oculis cernere, quæ narrant libri, haurire auribus, quæ explanant Codices, & experiri uſu, quæ Theoria docet, de veritate objecti dubitare non ſinit. Educari inter lycæa poterunt Doctores Patriæ, ægre populi rectores. Hominum mores, regnorum conſuetudines, aularum ſtatuta non domi, ſed foris addiſcuntur. Inde & ipſe Sirachides poſtquam ea, quæ ad ſapientiam & moderationem comparandam pertinent, deſcripſit, peregrinationem non in poſtremis adjungit: *In terram*, inquit, *alienigenarum gentium pertransibit; bona enim & mala in omnibus tentabit.* Nihil mortalium undequaque perfectum, etiam alterius non tantum virtute, ſed & vitio ſuum peregrinus ſapiens emendat; Ubi enim magis, quam in alienis terris alieno bono & malo ſapere addiſcet. Domeſticos inter parietes mens deſidioſa obducitur rubigine, novarum rerum varietate, velut optima ſapientiæ cote, acuitur ingenium. Nec cum Phrygibus ſero nimis ſapiet, cui multiplex ſapientia dat intellectum. Noſti Ulyſſem Græcorum ſapientiſſimum fuiſſe, unde divinum hunc ſapientiæ ad ſe attraxit ſuccum, niſi mineralium aquarum more in omnes terrarum anfractus ſeſe inſinuando, gentiumque mores & ſtatuta obſervando. In teſtem Homerum voco, qui à diuturna, longinquaque peregrinatione fortiſſimo belli Duci Panegyrin concinnat, librumque ſuum talibus Horatio interprete orditur.

*Lipſ. cent. Miſcell.* — *Patr. l. 3. de regno.* — *Eccleſ. c. 35.*

*Dic mihi muſa virum captæ poſt tempora Trojæ,*
*Qui mores hominum, multorum vidit & urbes.* *Horat. art. Poët.*

Trojana quidem decennalis belli expeditio, tantaque rerum varietas & fortunæ viciſſitudo multum Ulyſſem fecere expertem, amplius tamen maris, terræque errores edocuere, ſi Caſſiodoro fides eſt: *Interdum expedit*, ait hic, *patriam negligere, ut ſapientiam quis poſſit acquirere; Ulyſſes Ithacus niſi hoc feciſſet, in laribus propriis forſan latuiſſet.* Nobiles teneræque arborum ſtirpes ut florem & fructum geminent, in alienum ſolum transferuntur ad tempus; & nobiles mentes ad domeſticos duntaxat lares adſtringemus? Ignorantium is faſtus eſt, quo extera deſpiciunt, quorum periti ſua nonnunquam contemnerent. Nunquid Lycurgus in Ægyptum & Græciam profectus, & jura didicit, Nunquid Pythagoras ad leges & litteras cognoſcendas cum Perſarum Magis vixit, atque inde Spartam contendit? Non omnia eidem Regioni Dii dedere. Ut enim non omnis fert omnia tellus, ſic non quævis Regio collectim eos morum & ſcientiarum Magiſtros continet, qui ſparſim in pluribus celebrantur. Demum ſi non aliud, ſatis hoc commodi errores itinerum adferrent, quod teſte *Menandro moderationem peregrinatio doceat.* Non audiendus proinde vates;

*lib. 3. var.* — *Menand.*

Laërt.l.1. in Archilao.

*Felix, qui propriis ævum transegit in agris,*
*Ipſa domus puerum, quæ videt, ipſa ſenem.*

Annon enim felix Alexander Macedo, qui gloriari ſolitus, ſe plura oculis per maximam orbis partem luſtraſſe & addidiciſſe, quæ ad optimam Regis diſciplinam pertinent, quam quæ alii Reges, unquam vel animo, vel cogitatione attingere potuiſſent? Annon felix Seſoſtris omnium Ægyptiorum Regum excellentiſſimus, qui Arabiam, Lybiam, Aethiopiam, & univerſam Indiam ad Oceanum usque peragravit, in Scythiam tandem pone Tanaim fluvium colonias deduxit atque obeliſcos erexit in perpetuum peregrinationis ſuæ monumentum. Annon felix Mithridates Rex Ponti, qui peregrinandi ſtudio id aſſecutus eſt, ut duabus viginti diverſis nationibus, quibus imperabat, ſua cuique lingua jus dicere ſolitus fuerit? Sed ut vetera ommittam, quid Carolo V. Imperatore felicius? Et nunquid hic iter novies fecit in Germaniam, ſexies in Hiſpaniam, in Italiam ſepties, in Belgium decies, in Galliam quater, in Angliam atque etiam Africam ſemel atque iterum, poſtremo mare mediterraneum octies, Oceanum verò tertiùm enavigavit, ut nempe, Trajani exemplo *mores gentium, Regionum ſitus, opportunitates locorum noſceret, & velociſſimi ſyderis more omnia inviſere, omnium preces audire & undequaque vocatum ſtatim velut Numen adeſſe & aſſiſtere poſſet.* Itaque merito hi feliciſſimi, qui ſic uſu rerum & experientia facti principes prudentiſſimi. *Semper enim prudentiores,* ut loquitur Caſſiodorus, *illi habiti ſunt, qui multorum hominum converſationibus probantur eruditi.* Ita & tu peregrinare Politice, & ſapientiâ, prudentiâ, morum culturâ dives abinde redibis.

Patrit.l.3.de regn. — Plut. & Sabel.l.10. — Zenocar. invita Caroli. — Plin. — Caſſiod. Ep.39. Var.

# DISSERTATIO X.

## De terræ motu.

EGimus de Meteoris aqueis, reliquum eſt, ut etiam de terreis impreſſionibus ac primùm de Terræ motu diſſeramus. Meteorum hoc horrore plenum & terrificum Naturæ ſubſidentis ſpectaculum eſt. Quid enim cuique ſatis tutum videri poteſt, ſi mundus ipſe concutitur? ſi quod unum immobile eſt & fixum, ut cuncta in ſe contenta ſuſtineat, fluctuat, & quod proprium habet terra, perdidit ſtare. De hac igitur ſubterranea concuſſione inquiremus primum quid ſit, quæ ejus cauſa. Secundò quæ ſint ejus ſpecies & præſagia. Tertiò de effectibus terræ motuum. Quartò demum de ſono, loco, tempore, magnitudine ac duratione terræ motûs.

## QUÆSTIO I.

### *Quid ſit terræ motus, & quæ ejus cauſa.*

COncluſio prima. Terræ motus à Græcis σεισμὸς dictus, eſt commotio quædam terræ facta, in aliqua ſui parte, dum nempe diverſi ejus tractus validis motibus ſuccutiuntur. Hanc dari apud omnes in confeſſo eſt; & ſiquis eſt, qui neget, perpetuo ſomno dignus cenſendus. Dicitur verò in aliqua ſui parte; equidem totus terræ globus ſimul non movetur, quantam enim vim impulſus vel impetus tantæ molis motio deſideraret? ſed tantùm varii terræ tractus & plagæ modo ampliores, modo minores, quod certè innumeris experimentis comprobatur. Itaque de re, quod ſit, plusquam certum eſt, in aſſignanda vero hujus cauſa major difficultas oritur, quæ in varias opiniones diſtraxit Philoſophos. Democrito enim viſum eſt, cum aqua pluviæ terram ſubit, & ejus cavernis capi non poteſt, vi repulſam terræ motum facere. Explodenda autem eſt hæc opinio propterea quod nulla ſit ratio, cur ille aquæ fluxus tam vehemens ſit, ut terram tantis motibus quaſſare valeat. Thales Mileſius in hac ſententia eſt, terram quaſi navigium aquis innatare & tremere, cum procellis huc illucque jactetur, vel undam ex aliqua parte recipiat, per quam inclinatur in latus. Sed hæc ſententia philoſophiam non olet, quia palam eſt terram non innatare aquis, cum gravior ſit mundíque centrum occupet.

pet. Alii, qui volunt, terram eſſe ingens quoddam animal, motum autem ejus eſſe veluti febrim interpretantur; ſed dogma horum, qui terræ vitam tribuunt, jam pridem emortuum eſt, & è Philoſophorum ſcholis ejectum. Anaximenes Mileſius docet, terram ipſam ſui motus cauſam eſſe, cùm intra ſe exeſa & labefactata præceps volvitur. Non videtur quidem negandum, contremiſcere aliquando terram, ſi intra ipſam ingens aliqua moles præcipiti ruina devolvatur, verum non hæc duntaxat terræmotuum cauſa, ut falſò credebat Anaximenes. Bodinus demum ſomniavit, terram ita ſuccuti à malis geniis; ſed neque hic audiendus, qui cuncta ferè Naturæ opera Geniis tribuit, hac unâ ſolâ ratione ductus, quod nulla alia certa cauſa aſſignari poſſit. Quare ſit

Concluſio ſecunda. Certum videtur, ut Ariſtoteles docet, commotionem terræ fieri ab halitu ſeu ſpiritu terræ viſceribus incluſo, & foras exire contendente. Ratio eſt, quia ſi multus hujuſmodi ſpiritus in terræ viſceribus ſit clauſus, ille ſine dubio quæret exitum, quem non poterit invenire ſine ingenti terræ agitatione; ſed multus ſine dubio halitus terræ viſceribus eſt incluſus; terra enim calefit tum à Sole, tum ab ignibus ſubterraneis, unde cauſari poteſt motus terræ ab hujuſmodi ſpiritibus incluſis. Ne quis vero incredibile putet à ſpiritu adeò tenui & levi corpore tam vaſta terræ pondera agitari, admonet Ariſtoteles, miram eſſe vim ſpiritus, ut videre licet tum in aëre, tum animantium corporibus; in aëre quia compertum eſt, ventum concitatum ſaxa ingentia ab uno loco ad alium geſtare, arbuſta, ſylvasque convellere, & tota ædificia, turresque maximas dejicere. In animantibus; quia incitatione ſpirituum, qui inſtrumenta ſunt, unus interdum ægrotus ea facit, quæ à multis robuſtis præſtari non poſſunt, ut cum phreneſi laborans vincula manibus frangit, quæ multi frangere nequiviſſent. Unde exemplo vitalium, animaliumque functionum liquet, eadem ratione terræ motus fieri in terra, qua tremores in animantibus; ſicut enim hic oriuntur, quoniam flatus incluſi & exitum quærentes membra commovent; ita flatus terræ cavitatibus incluſi eam tremore afficiunt.

Idem comprobat Philoſophus ſecundo, argumento deſumpto tum á temporibus, quibus fiuunt; tum à locis, ubi excitantur. A temporibus, quia terræ motus omnibus quidem temporibus anni fieri poſſunt: attamen ſicut venti magis vere & autumno regnant, quam aliis anni temporibus, ita eodem tempore frequentius, quam æſtate & hyeme terræ motus fiunt, his enim temporibus major exhalationum copia gignitur, & in ſinu terræ includitur, ut ex dicendis patebit. A locis etiam, quia etſi ubique terrarum concitari poſſit terræ motus, in locis tamen mollibus, ſungoſis, cavernoſis, quæ proinde magnam concipiunt exhalationum copiam, & è quibus flatuum eruptiones fiunt, frequentior fit.

Confirmatur ex mugituum animadverſione, qui terræ motum comitatur: cùm enim omnis ſonus ex aëris colliſione reſultet, ex ſpiritus intus incluſi repercuſſu & conflictatione, tam terræ motus, quam ſonus naſci conſtat.

Concluſio tertia: Ignes etiam ſubterranei terræmotuum cauſa eſſe poſſunt, idque duobus modis: primò, quatenus ſui caloris vi vel aquam ſubterraneam rarefaciunt, ut majori niſu & impetu ſeſe expedire ab iis anguſtiis conetur; quod cum aliquando repetito inſultu fiat, inde ſane terræ motus fieri poteſt. Hinc nova quandoque flumina oriuntur. Vel ex ipſa aqua aliove ſucco halitum educunt, qui in cavernis probe obſtructis compreſſus, tandem carcerem disrumpat, uti aër rarefactus & compreſſus craſſiſſima etiam vaſa conſtringit: Secundo, quatenus nova materia ignem concipit, majoresque nutrit flammarum globos, ſeu vortices, inde enim maxima vis & impetus; Analogiam habes in tormentis, & ſubterraneis cuniculis; Hinc montes & ignivoma loca maximè obnoxia ſunt tremoribus, ut Sicilia, Lipara, Campania, & loca naturalibus thermis tepentia, nempe ſub illo terræ tractu; magna vis flammæ accenſæ, cum tam cito per tot mæandros, & anguſtos meatus ad præparatum, apertumque ſpiraculum pervenire non poſſit; quid mirum, ſi terram valide concutiat; ſic tormentum bellicum vehementer concutitur, dum exploditur. Patuit hoc maxime in conflagratione illa famoſiſſima Veſuvii ſub Tito, quæ fatalis Plinio fuit; & in illo incendio anni 1633. quo nullum unquam fortaſſe majus, aut funeſtius ſenſit Campania; præceſſit illud terræ motus ingens ſeptem dierum venturæ cladis prænuntius.

Concluſio quarta. Ventus aliquando non parum etiam confert ad terræ motum. Ratio eſt, quia exhalationes ventoſæ ſubire poſſunt facilè terræ venas; recidunt enim in terram, & meatibus ejus grandioribus ſæpius ſe infundunt, & ſic latera terræ quatiunt. Secundo, poteſt hic in profundioribus meatibus ignibus ſubterraneis afflari, eisdemque magis ac magis accendi; unde vel halitus major copia in ſuperiorem cavernam ex aqua ſcilicet calida aſcendit, inde major vis rarefactionis, & compreſſionis, ac denique terræ motus; vel plus materiæ accenſæ in flammam abit, quæ anguſtiarum impatiens, dum erumpere nititur, ſuos carceres ſuccutit. Hinc Ariſtoteles vult, illum terræ motum, quo Helice & Buris, duæ in Peloponneſo civitates, abſorptæ ſunt, à Borea excitatum fuiſſe.

Ex his colliges primo, terræ motum fieri poſſe per exhalationes incluſas tum accenſas, quando nempe ſpiritus nitri ſulphuris & bituminis adunantur in magna copia, & vel per motum, vel per attritionem, vel per ignes ſubterraneos, aut etiam per antiperiſtaſim accenduntur, & per accenſionem rareſiunt, ut libere exſpirare non poſſint; tum etiam per halitus non accenſos, ſed ad modum ventorum duntaxat concitatos, nam ſicut ſpiritus, cùm in aëre concitantur, movent illum vehementiſſimé & cauſant ventos, cùm ſint in aqua, commovent aquas, & cauſant tempeſtates; ſic cum ſerpunt per terræ viſcera, concutiunt terram.

Colliges ſecundo: Ad accenſionem halituum non requiri ſemper ignes ſubterraneos, nec enim ſub omni terræ tractu hi ardent, unde eo ferè modo & ſub terra accendi poſſunt, quo in aëre. Hinc ſubterranea fulgura, fulmina, tonitrua &c. quomodo verò accendantur in aëre, conſtat ex dictis.

Colliges tertio: Solem etiam, ut obſervat Honoratus Fabri, aliquomodo concurrere ad terræ motum, non quidem quatenus prædictos halitus, qui in terræ cavernis coguntur, educat; hoc enim fieri non poteſt, cùm tam altè ejus radii non penetrent, ſed quatenus vi Solis è terreſtri globo educti concreſcunt deinde imbres, nives & alia mixta imperfecta, quæ terram diluunt, ac ſubigunt, & tandem percolantur in longiſſimis, & ſinuoſiſſimis meatibus; cujus percolationis operâ, tum multæ ignis particulæ colliguntur, unde novus calor, tum materia præparatur, quæ deinde in halitum facilè inflammabilem abit, qualem terræ motus deſiderat.

Colliges quarto: non quaſcunque exhalationes ad terræmotum ſufficere, non enim quoties in terra ſunt exhalationes, terra concutitur; ſed quando illæ ita copioſæ ſunt, ut continere illas terra nequeat in venis, ubi clauſæ ſunt, ſed ampliorem exigunt locum, quod fit, quando vel magis terra conſtipatur, vel rarefit exhalatio, vel ſubito copioſa generatur.

Colliges demum quinto: Terræmotum per cauſas ſic definiri poſſe, quod ſit concuſſio terræ cauſata á ſpiritibus interclusis, vel per attritionem aut ignes ſubterraneos accenſis vel concitatis ad modum venti.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Nimium ſtringendo diſſolvuntur Leges.

INventum cœleſtis prudentiæ Lex eſt, ſtillicidium divinæ ſapientiæ, oculus publici ſtatus, communis mens Reip. compago civium, fundamentum libertatis, nervus politici corporis, anima urbium, & ſi Pindaro credimus, Regina omnium mortalium, immortaliumque, quæ vivendi regulam imponit, licentiam conſtringit. Sine lege, & Rege vivere, eſt damnoſiſſimum pro grege. Remedium omnium malorum lex eſt, naturæ emendatio, inæqualium æquamentum. At ut nihil tam utile in humanis, quod modus non commendet: ita legum exceſſus eſt ſervandorum defectus. Prohibere omnia, imperare cuncta, negare ſingula, jugum eſt omnibus impar. Ipſe ſanguis vitæ dos, & neceſſaria animæ ſupellex, excreſcendo extinguit, abundantia ſubmergit. Natare debet cor in ſanguine, non fluctuare. Ita legum multitudo, ut pondus opprimit Rempublicam. Preſſa nimium natura tandem vires colligit, ut per vim eluctetur. Clauſa montium repagulis aura cum impetu prorumpit. Qua data porta perfringit latera, & quam antea lente non dabatur expirare, ejectis in liberiorem aërem ſtrictioribus cataractis graviore damno erumpit. Vincula hominum leges ſunt & peſſuli libertatis, ſi nimium ſtringunt, bonum publicum infringunt. Avida enim libertatis conditio noſtra irritatur in vetita; irritantur leges, quæ multiplicantur. Quandam libendi pruriginem movet prohibitio; arceri eſt illecebra agendi. Nam:

*Nitimur in vetitum, ſemper cupimusq; negata.*

Malæ ſunt Reſpublicæ, quæ legibus quotidie curantur: non valent benè, ut corpora quæ pharmacis continuò egent. Non cumulo leges valent, ſed uſu. Paucæ leges ſunt vitæ cardines: multa claudunt, & populum continent, ſi ſunt tolerabiles. Aſſiduè ſolicitans latera calcar præcipitem agit ſonipedem: conſtrictum ſupra quam par eſt frœnum, facit ſegniter ſtare: moderata placent. Ut ſine lege jacent reſpublicæ, ita ultra modum compulſus ad legem populus, contemnit tandem, quia ſervare deſperat. Platonem accipe: *ubi multæ leges, ibi & lites, moresque improbi.* Quod Navarcho cynoſura, Dioptra Geometræ, amuſſis architecto, pondera horologio, hoc civibus ſunt leges. At ſi vel Camelo ultra

ultra vires onera adjicias, ſtabit immotus: & ſub exceſſu ponderis mula ſternetur, aut exlex calcitrabit. Statutorum & Canonum turba turbat populum; ut, cùm ad conſtringendam libertatem ſint inventa, in licentiam effundantur. Amalthææ cornu moderatam ſub le-

64.

N. 64.




ge gubernationem Hippodamus dixit: nihil enim non boni bonæ inſtitutioni ineſt. Quodſi nimium gravet, dorſum infringit. Neque Suſidæ boves penſum laboris augeri voluerunt, centum quot diebus cados aquæ exantlare ſufficit: nec unum ſupra centum. Si numerum excedis, & modum non ſervas ſervabitur nihil: nam non vult aggredi pondo, cui pondus totum ultra vires eſt. Aurea populus ſuſpirat ſæcula, non ferrea: aurea eſt moderatio onerum, hæc æneam faciet hoſtibus Rempublic. Ita Talus æneus dictus eſt; quod utiliſſimis validiſſimisque legibus Cretenſes gubernabat: quas, quia nec graves, nec inutiles, libenter ſuſcepere, & velut metallum pro Legislatore ſtetêre. Quæ ſuis Lesbiis ſancita Macar tulit, ſanctè ſervarunt: Leonem appellavit legem, nam eos ſic firmavit, ut cederent nulli. Quæcunque tuis onera injungis, viribus accommoda. Minos imitandus eſt, annis novem Gnoſſio delituit antro, legem ferendarum rationem à Patre Jove edoctus. Legislatores omnes, bonique publici moderatores, Dei diſcipulos Galenus dixit, quippe à Deo doctos cum ratione gubernare. Pompilius habitus Deæ Ægeriæ ſcholaris, Solon Minervæ, Charon Saturni, Lycurgus Apollinis, Zoroaſter Horomasdis, Triſmegiſtus Mercurii, Zamolxis Veſtæ. Imò & Dii dicebantur moderatorum onerum fabri. Charondas & Zaleucus, Timaratus & Theætetus, Helicam & Ariſtocrates, Pithius & Zamolxis, nec nimium molles, nec ſupra modum graves moderatores divinitate illuxerunt. Dii non ultra imponunt, quàm vires ferant: nam volunt ſervari, quæ volunt mandari.

*lib. de felicitate.* *Ælianus l. 7. de animal. c. 1.*

# QUÆSTIO II.

## *Quæ ſint terræmotus ſpecies, ejusque præſagia.*

COncluſio prima. Duas ſpecies terræ motus enumerat Ariſtoteles. Una eſt τρόμος tremor, ſic dictus, quoniam ea, quæ tremunt modò in hanc modo in illam partem vibrantur. Altera eſt σφυγμὸς *Pulſus*, quando terra veluti intumeſcens aſſurgit, quia ventus ex infero recta aſcendere contendit & fornice cavernæ pulſat. Appellatur verò *pulſus* propter ſimilitudinem pulſus arteriarum in animalibus, qui ex alto, ſeu profundo ſubit, & arteriam in ſublime tollit. Ex his tremor adeò noxius non eſt, quòd eum faciat vis venti in partes diſtracta. Nec periculo conſtat pulſus, quoniam parum attollitur terra, & mox remittitur; periculoſiſſimus verò eſt; quando in hiatum ſepandit, tum propter magnum venti impetum, tum quia in unam partem procumbens ita terram impellit, ut ruat & ſubvertatur.

Has duas terræmotus ſpecies Seneca l. 6. quæſt. c. 21. ex Poſſidonii ſententia paulo aliter enumerat, & propterea tertiam adjungit his verbis: duo genera ſunt, ut Poſſidonio placet, quibus movetur terra, utrique nomen eſt proprium, altera ſucceſſio eſt, cum terra quatitur, & ſurſum ac deorſum movetur. Altera inclinatio, quæ in latera nutat navigii more. Ego tertium illud exiſtimo, quod novo vocabulo ſignatum eſt. Non enim ſine cauſa tremorem terræ dixere majores, qui tremor utrique diſſimilis eſt, tum inclinationi tum ſuccuſſioni, nam nec ſuccutiuntur omnia, nec inclinantur, ſed vibrantur. Auctor verò libelli de mundo ad Alexandrum, qui Ariſtoteli tribuitur, ſeptem ſpecies recenſet, quarum tamen quædam ad accidentia terræmotus referri poſſunt. Una eſt eorum terræ motuum, qui ad angulos acutos in obliquum quatiuntur ἐπικλίντης dicitur. Altera nominatur βράστης idem ebulliens, effervefcens, quo terra conſtringitur, & ſurſum & deorſum rectis angulis ſucciditur. Tertia eſt χασματίας cum fit terræ hiatus, & amplam voraginem retinet. Quarta ῥήκτης, qui vi eruptione factâ rimas apertit. Quinta eſt ὤστης impulſorius, qui terræ motus unâ agitatione ſubvertit. Sexta παλματίας, id eſt, tremulus, quia efficit terræ motum tremori non diſſimilem. Septima μυκητίας, mugiens dicitur, quia cum mugitu & ſonitu terram quatit. Ex quibus vides, quod quidam effectus potius vel accidentia, quam ſpecies ſint terræ motus. Itaque Ariſtotelis vel Senecæ diviſio retinenda eſt.

Addit vero idem Philoſophus, terram moveri in latum frequentius, quam ſecundum profunditatem, hoc eſt, ſurſum & deorſum. Rationem affert, quia exhalatio & ſpiritus, qui cauſa eſt terræmotus multo magis protenditur ſecundum latitudinem, quàm ſecundum profunditatem.

Obſervatum etiam eſt, ut referunt Fromondus & Cabeus in text. 46. quæſt. 1. terram cum concutitur lateraliter moveri, vel ab oriente in occidentem, vel à ſeptentrione ad meridiem. Rationem optimam affert Cabeus, quia venæ terrarum excurrunt plerumque à polo ad polum, & aliquando ab oriente in occidentem, ut conſtat pluribus experientiis. Et ratio poteſt eſſe, quia terra coagmentatur, per ordinem ad axem, cùm alteretur à cœlo, quod circa axem rotatur. Cum ergo venæ terrarum protendantur vel ab oriente in occidentem, vel à ſeptentrione ad meridiem, etiam exhalationes cùm per venas diffunduntur, protenduntur eodem pacto, atque adeo cùm terram concutiunt, concutiunt illam vel ab oriente in occidentem, vel à ſeptrione in meridiem.

Concluſio ſecunda. Plurima ſunt ſigna, quæ futurum prænuntiant terræmotum. Primum eſt, magna & intempeſtiva aëris tranquillitas, quia tota ventorum materia vel ex terra nondum egreſſa eſt, vel in terræ profundum ſe recepit, & intra viſcera illius ſerpit. Refertur à Seneca lib. 6. natur. quæſt. c. 12. ante terræmotum, qui tempore Neronis concuſſit Campaniam, multis diebus ſerenitatem fuiſſe. Secundum eſt, ſi aër ſolito eſt frigidior, oritur enim hoc frigus ex eo, quòd exhalatio, quæ ſuâ natura eſt calida, ſerpat per venas terræ, atque adeò aër deſtitutus calidis exhalationibus intempeſtivè frigeſit, à qua frigiditate etiam terra amplius conſtringitur, ne vapores erumpant. Tertium eſt nubecula tenuis, & in modum lineæ rectæ oblonga & alba, eaque aut interdiu, aut maxime poſt Solis occaſum ſereno cœlo apparet. Ratio eſt, cùm cœlum ventis & vaporibus, qui ſunt nubis materia, vacet, nubecula admodum recta, tenuiſque relinquitur, proindeque omnia tranquilla eſſe indicat, cuncto intra terram halitu, flatuque cohibito. Adverte tamen enumerata tria ſigna non ſemper, aut plerumque ſequi terræmotum, cúm ſæpiſſimè videantur talia ſigna, quin terræmotus ſubſequatur; ſunt ergo ſigna, quæ, cum terræmotus fit, plerumque præcedunt,

dunt, ideò non licet ex illis præſagire terræmotum, benè vero ex ſubſequentibus. Quartum ſignum eſt, ſi nulla alia cauſa exiſtente fiat in puteis & fontibus turbidior aqua, ſalſugine, fœtore, aut alio ingrato, minimeque naturali ſapore infecta. Oritur enim hæc turbatio, odorque ex multo ſpiritu è cavernis conanti exire, & terram ſulphuri admixtam eructanti. Ideoque Pherecydes Philoſophus ex hauſtu aquæ putei præſenſit, & prædixit Lacedæmoniis totius urbis ex terræmotu ruinam, referente Plinio c.79. Quintum ſignum eſt, ſi aqua in puteis ebulliat, aut aſcendat, quod certè ab eadem cauſa proxime dicta oritur; flatus enim ex imo ſubiens terram atque adeo aquam ſuperpoſitam in ſublime effert. Hoc accidiſſe notatum eſt ante inſignem terræmotum, qui Anno 1570. Ferrariam concuſſit. Quo etiam tempore Eridanus turbidus, & ampullis in aërem exſiliens fluxit. Idem dicendum, ſi mare intumeſcat ſine flatu; talis enim ebullitio procedit ex ſpiritibus, confertim egredi tentantibus. Sextum ſignum eſt, ſi aves cum quadrupedibus plerisque loca ſuccuſſioni terræ peropportuna relinquunt, & novas ſedes quærunt, præſentiſcunt enim tremorem aliquem terram & radices arborum concutientem. Septimum ſignum eſt, cùm auditur ſonus & mugitus terræ. Ut enim aër, cum verberatur, ſonum edit, ſic ſpiritus incluſus, cùm verberat terram: at ſimul etiam verberatur, ſonum edit. Aliquando tamen præcedit ſonus, quin ſequatur terræmotus ex eo, quia ſpiritus ſufficit quidem ad ſonum edendum; non ad movendam terram.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Sepulchralis terræmotus ſuſtinendus omnibus.

65.

N. 65.




W. Jos. Kadoriza del.

Claud. de Rapt. Vides, ut omnia ſine diſcrimine eadem involvantur ruinâ, & Regum palatia, & pauperum tuguriola, & altæ cedri, & humiles myricæ, colles æque, ac montium vertices pari terræmotûs concuſſu æquantur ſolo. Nulli parcit, *Dubiæ nutant cum mœnibus urbes.* Solum ſupereſt ſepulchrum. Imago atra hæc eſt inexorabilis fati.

Horat. l. 2 Od. 3.

*Omnes eodem cogimur omnium,*
*Verſatur urna: ſerius, ocyus*
*Sors exitura, & nos in æternum*
*Exilium impoſitura cymbæ.*

Cæcus eſt oſſeus ille humani generis tyrannus, non reveretur purpuram, nec coronæ, & ſceptri terretur majeſtate. Sine diſcrimine tam regio, quam plebejo capiti falcato ferro imminet. Nec precibus, aut lamentis flectitur, quia ſurdus eſt. *Æquat enim omnes cinis*; impares naſcimur; pares morimur. (Sen. ep. 91.) *Conditor ille juris humani non natalibus, nec nominis claritate diſtinxit, niſi dum ſumus.* Seneca. Emines modo ſublimi throno ſuper vulgi fæces, ſed ad tempus tantùm mox ſepulchro æqualis Codro futurus. *Mors ſceptra ligonibus æquat.* (Claud.) *Unus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus.* Sapientis oraculum eſt. (Sap. 7.) Nihil hinc eſt, quod æquè ſupercilium cogit ponere, quam crebra mortalitatis cogitatio. Quod ſi enim amplitudo Regni diſtendit animum, coarctant illum Sarcophagi anguſtiæ; ſi corona & laureæ erigunt verticem, eundem pallida deprimunt Cypreſſi ſerta. Novit diadema eſſe bonum mutuum poſteris cedendum. Num purpura mentem extollet ſuperbia, quàm mox cum mortuali Sindone norit commutandam. Minus ærarium auri, argentique pondere refertum explere animum poterit, ex quo egentior Iro, ne quidem aſſem inſeret ſepulchro. Intuere Alexandrum, magnum illum orbis domitorem, ut famâ, gloriâ, & laudum ſuarum amplitudine terram impleat, omnemque Regum & Principum felicitatem ſibi faciat tributariam? at unam mortem, dum vincit omnia, debellare non poteſt. Cum totius mundi ſpoliis in ſpolium ipſe cedit: ex omnibus *ſolum ſupereſt ſepulchrum.* Sed & hoc aliquamdiu caruiſſe Olympiadis matris lachrymæ teſtantur, dum amaro gemitu in hæc verba prorumperet: (Lycoſth. ex Ælian. 13. var. c. 10.) *O Fili, tu cum in numerum Deorum inferri volueris, & id perficere ſummo ſtudio conatus ſis, nunc carere debes, quæ ſunt mortalium omnium communia, terrâ & ſepultura.* O magna humanæ felicitatis metamorphoſis; quis ſe magnum jam credet, dum Alexandrum ſic parvum videt. (Sen. ep. 25.) Itaque *nihil æquè*, ut loquitur Romanus morum Magiſter Seneca, *proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi, & hujus incerti.* Idcirco Romanis ſolemne fuit, ut triumphanti in ſublimi curru adſtaret quiſpiam, qui identidem illud à tergo ſuggereret: *Reſpice poſt te, hominem memento te.* (Ex Ælian. 8. var. c. 15.) Salutarem hunc ritum æmulatus Philippus Macedonum fuſis in Chæronea Athenienſibus, ſibi metuens, ne triumpho ſui oblitus, ſupra humana extolleretur, ter indies mortalitatis conditionem ab acclamante in memoriam revocari hac voce voluit. *O Philippe, homo es, memento mortis.* Vapor nempe eſt omnis vitæ ſplendor, levi aura in altum è terra extollitur, mox in eandem relapſurus. Ingenioſe Rancatus mortem, ſeu in evitabilem fortunæ, ac Majeſtatis terminum emblemate ſignificaturus, cinerum acervo inſcripſit: (Mund. ſymb. Picinel. l. 2. c. 3.) *omni momento memento.* Quamvis enim Rex natus fueris, audi tamen, ut mortalis, inquit appoſitè Stobæus. (Stob.) Diu hujus non meminiſſe, minus hoc agnoviſſe voluit Saladinus Aſiæ, Syriæ, atque Ægypti Sultanus, morti vero vicinus mortalem fateri debuit dum juſſit, ut interiorem tunicam haſtæ prælongæ impoſitam pro omni pompa funebri per caſtra deferrent cum acclamatione: (Sen. ep. 91.) *Hoc unum linteum ex totius orientis opibus Saladino reſtare.* Sepulchralem hanc Sindonem ſæpiùs tibi ob oculos ſtatue, Politice, & Regum pompam quid niſi fabulam eſſe duces? Eſt nempe vita noſtra comœdia, cujus epilogus mors. Unde quomodo fabula, ſic vita: non quamdiu, ſed quam benè acta refert. Quid enim eſt novi hominem mori, cujus tota vita nihil eſt aliud, quàm ad mortem iter. Eâdem horâ, qua ad vitam editur, ad mortem deſtinatur. Nemo unquam mortalium erravit ad ſepulchrum. Benè Epictetus, (Epictetus.) *uno eodemq; ubere vitam, mortemq; ſugimus.* *Commorandi enim nobis* (ſubfragatur Cicero,) (Cic. Cat. maj.) *natura diverſorium, non habitandi locum dedit.* Intervallis diſtinguimur, exitu æquamur. Eripere vitam nemo non homini poteſt, at nemo mortem. Quid igitur: Num mors timenda? nequaquam. Quo pacto hoc poſſis conſequi, audi Senecam: (Sen. ep. 30.) *ut nunquam mortem timeas, ſemper mortem cogita. Illi enim mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus ignotus moritur ſibi.* Sic mortis nunquam immemor Innocentius IX. Pontifex maximus. Nihil hic unquam decernere conſuevit, niſi prius oculis, ad duas icones defixis; quarum prima calvariam, reliquamque oſſeam demortui hominis compagem; altera funebrem pompam repræſentabat. (Jo. Rhò Var. virt. hiſt. l. 5. c. 7.) Unde factum, ut omnes vitæ ſuæ actiones ad Legis divinæ libellam expleverit. Ita & Maximilianus Primus Imperator quotidiè mortuus, ut ſibi non immemor moreretur, nihil ho-

horum quæ circa ipſum erant, ſuum judicabat, omnemque diem ſibi ultimum illuceſcere credebat. Unde, ne vel uno momento oculos à vitæ inſtabilitate averteret, capulum ſunebrem è querno ligno circumferri ſecum juſſit, addita hac præmonitione: *Cogita mori, quid te dilatas & extendis? quid multa poſſides? plura appetis? quem tot Provinciæ & regna non capiunt, loculus iſte capiet.* Æmulatus hoc factum Carolus V. tanto Avo dignus nepos, qui contemplationem hanc mortis tot Regnorum ac Provinciarum ampliſſimo Imperio, quo ſe ultro abdicavit, præhabuit, ut illa totus perfrui poſſet. Ita & tu Politice vivens ſemper morere, ut mortuus ſemper vivas. *Juſt. Lipſ. l. 2. Monit. Polit. c. 14.*

# QUÆSTIO III.

## *De effectibus terræmotuum.*

Concluſio unica. Effectus terræmotuum ſunt varii, quorum primus eſt ædificia & domus evertere, cujus ratio eſt, quia ſcilicet vel ſubſidunt fundamenta, vel parietes à perpendiculo removentur, unde amplius ſtare non poſſunt; vel ſuccuſſu vehementi disjiciuntur Sic 1509. tredecim hominum millia hujusmodi caſu obruta ſunt. Sic etiam 1531. Olyſſipone 1500. ædes ſunt everſæ. Item 1570. Ferraria fere tota corruit. Trajano Principe omnes pene domus in pulverem comminutæ ſunt, & ipſe Princeps, qui forte hyemabat ibi per feneſtram vix evaſit. Tremor Campaniæ ſub Tito duas urbes Herculanum & Pompejos populo ſedente in theatro penitus obruit. Quinto anno Tiberii Principis multæ urbes Aſiæ corruerunt, ut refert Euſebius in Chronico. Noviſſime demum Sicilia Terræ motibus tam fortiter concuſſa die 11. Januarii anno 1693. ut tribus horis ante Solis occaſum intra medium quadrantem horæ, decem venuſtæ urbes, 40. muris veſtita oppida, caſtella & arces & plusquam 100. pagi corruerent, & aliquot hominum centena millia tumularentur. Illud mirabile, quod dum in ſummo templo Cataniæ hominum feré decem millia benedictionem Venerabilis ſacramenti præſtolantes ibidem vivi ſepulti ſunt, ſolus illæſus permanſerit Sacerdos, qui ad altare conſiſtens benedicturus populo Venerabile exhibebat, & 400. alii, qui in ſacello S. Agathæ divinam opem implorabant, à ruina fuere immunes.

Quæres hic, utrum fornices magis tremoribus reſiſtant. Affirmat Plinius, negat verò Keckermannus; ego diſtinguendum puto, ſi enim terra, quæ medio fornicis reſpondet, ita attollatur, ut geminum hinc inde clivum faciat, vel ut vocant, dorſum, haud dubio fornix diruitur; cùm nullo modo reſiſtat; ſecus verò ſi prædicta terra ſubſidat, tunc enim muri fornicis medii, ac utrumque connectentis fibula ſe ſe invicem ſuſtinent.

Secundus effectus eſt; aliquando motu circumducta, & in orbem verſata terra locum loco commutat; quod tunc evenit, cum terram ſolidam ſubterraneus aliquis turbo in contrarias partes vertit ac torquet, ſpiritus enim hic incluſus ſerpit circulariter ad modum vorticis. Analogiam habes in foliis buxi, quæ ab halitu incluſo, ubi calorem ſentiunt, in gyrum aguntur; quod ſæpè nugantibus pueris ludum facit. Ita contingit ſupremo Neronis anno, ut refert Plinius lib. 2. cap. 83. pratis, oleisque intercedente viâ publicâ, in contrarias ſedes transgreſſis in agro Marrucino.

Tertius effectus eſt, nonnunquam tecta, vel etiam montes ictu contrario arietare quaſi videntur, videlicet, cùm duo flatus ſibi mutuò occurſantes rem interjectam feriunt. Quod aliquando ſine noxa fieri poteſt, cùm ſcilicet alter motus alteri repugnat, ſæpè verò etiam contingit cum noxa, dum montes, in quorum medio loca cava poſita ſunt, ſe ſe alterno pulſu ita quatiunt, ut quidquid in eis continetur, elidant. Ità contigiſſe in agro *Mutinenſi*, memorat Plinius loc. ſupra cit. Ubi duo montes inter ſe concurrerunt maximo ſtrepitu aſſultantes, & denuo receſſerunt; Villæ autem omnes intermediæ attritæ ſunt, & non pauca animalia intercluſa perierunt.

Quartus effectus eſt; ſuccuſſa aliquando terra latè diffinditur, & profundiſſimis faucibus, urbes, pagos, arces, atque integrum perſæpè terræ tractum abſorbet, rurſusque clauſo hiatu, nullum eorum, quæ ibidem conſtiterant, relinquit veſtigium. Ratio hujus eſt, quia interiore tractu exeſo ea eſt capacitas, quæ montes etiam, exeſis ſcilicet fundamentis corruentes excipiat; clauditur autem vorago illa, quia tractus terræ circumambiens ab omni parte per declive ruit, ac proinde voraginem claudit, non tamen ſine depreſſione tractus illius ambientis. Sic Num. 16. Chore, Dathan, & Abiron, quod populum DEI contra Moyſen & Aaron concitâſſent, diſruptâ terrâ cum tabernaculis & univerſis opibus abſorpti ſunt. Sic plura quandoque oppida ab Hiſtoricis memorantur abſorpta; velut unum in inſula Ænaria, alterum in Eubœa, aliud in Thracia, rurſus aliud in Phœnicia ultra Sidonem atque alibi plura.

Quæ-

Quintus effectus eſt. Tumuli & montes aliquando aſſurgunt, novæque Inſulæ emergunt è mari: quorum ratio eſt, quia ſpiritus incluſus terram attollit, eo pacto, quo in animali ſpiritus carnem inflat, & non potens illam effringere, generat montes in terra, inſulas in mari. Ita mons *Modernus* apud Avernum lacum dicitur excitatus hoc pacto. Ita & novas Inſulas non ſemel terræ motus fecit, ut in Archipelago & Oceano Atlantico. Adde, quod tanti motus vi, vis ingens quandoqne cinerum, lapidum, pumicum &c. ut plurimum é ſpiraculo vel antiquo vel novo evomatur, ut ad inſtar montis deinde aſſurgat. Aliquando terræ convulſio abſorpta continentis parte reliquam permittens mari, novas facit Inſulas, quæ continenti prius adhæſerunt. Sic Plinius l. 3. c. 88. tradit, à terræ motibus alio provolutis montibus Inſulam extitiſſe *Prochytam*. Namque & hoc modo inquit, inſulas rerum natura facit. Avellit Siciliam Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubæam Bœotiæ, Eubææ Atalantem & Macrin, Besbycum Bithyniæ, Leucoſiam Sirenum promontorio.

Sextus effectus eſt. Terræ motu mare intumeſcit, & è converſo maris tractus abſorptis undis ſiccus aliquando remanet, ita ut piſces & naves aquâ à littore ſecedente relinquantur in arena. Ratio primi eſt, quia multus halitus aquas elevat; imo nihil obſtat, quin ipſum maris fundum attollatur. Hinc aquæ huc illuc in utramque partem non ſine terrarum diluvio excurrunt. Hinc cum aliquando in terræ motu Tagi alveus, vel potius alvei fundum attolleretur, aquæ in utramque partem fluxerunt, ac ſicca in medio vada non ſine ſpectantium ſtupore viſa ſunt. In tractu, qui eſt inter *Euonymum & Hieram* inſulas Vulcanias non longe à Ptolomaide marini fluctus adeò aliquando evecti comparuerunt, ut excelſi montis ſpeciem exhibuerint, qui deinde in continentem profuſi, Tryphonis exercitum inopinata eluvione oppreſſerunt. Ratio ſecundi eſt, quia nempe apertis, quæ ſub mari erant, ſubterraneis ſpecubus tanta voragine aquæ exhauriuntur, ut tractus ſiccus remaneat Uti accidit M. Antonio, & P. Dolabella Coſſ. cum reciprocus maris fluxus Hoſtiæ gregem piſcium in ſicco reliquit. Similiter in eo terræ motu, qui ſub Theodoſio fuit, & terrarum orbem magnis cladibus afflixit, conſpecta fuere navigia per mare tranantia in arido conſtitiſſe.

Septimus effectus eſt. Montium, ædificiorum, & terrarum transportationes quarum cauſa eſſe poteſt, impetus incluſi ſpiritûs fortaſſis etiam accenſi, qui montem attollit, ita ut alium in locum relabatur eo pacto, quo in militaribus cuniculis muri & propugnacula in altum ſublata alio relabuntur. Sic conſtat ex Nierenbergio lib. 16. Hiſtor. natur. cap. 8. in novo Regno Granatenſi factum, ubi ingens terræ concuſſio evellit montem, eumque quaſi lapillum per aëra jactavit in aliam ſedem à prima ſatis remotam. Sic etiam anno Chriſti 1116. villam quandam terræ motu excuſſam, ad alium longe diſſitum locum transvolaſſe, narrat Bonviſius lib. 6. c. 15.

Octavus effectus eſt. Novæ aquarum ſcaturigines, fontium, lacuum, fluminum exortus & contra deſiccatio. Ratio eſt, quia dum terra concutitur, accidit claudi meatus aquarum, vel alios aperiri, atque ita quosdam fontes ſiccari, quosdam erumpere. Ita terræmotus Padonem Arcadiæ flumen exſiccaſſe perhibetur; & bello Mithridatico prope Apameam Phrygiæ urbem quaſſatum ſolum paludes, novosque fontes, veterum nonnullis terræ motu recluſis & obduratis, egeſſiſſe memoratur.

Nonus effectus eſt. Interdum aquæ antea frigidæ poſt terræ motum calidæ fluunt; & è contrario tepidæ, frigidæ evadunt. Cauſa eſt, quia perturbatis venis corrivantur calidæ ad frigidas, frigidæ in calidas, vel certe mutatis itineribus calidæ per loca frigida, frigidæ per ſulphuroſa & calida decurrunt, quo fit, ut hæ incaleſcant, illæ refrigerentur. Vel demum etiam, quia novi ignes juxta illos latices accenduntur, qui aquas calefaciunt, aut frigeſcunt, quia ignes extinguuntur. Ita Kirchero referente in Mund. ſubt. lib. 5. ſect. 2. c. 6. diſtrictus ille circa Pyrenæos montes cum thermis compluribus fuiſſet refertiſſimus, in earum quibusdam poſt montis ruinam à terræ motu, aquæ prius ferventiſſimæ tantum frigus contraxiſſe perhibentur, ut nemo deinceps amplius illis uti potuerit.

Decimus effectus eſt. Non raro ignium ſive flammarum fit eruptio, quod materia ſulphurea per hanc terræ agitationem vel per alios modos ſuperius explicatos inflammetur, ſicut & cineres & favillæ eructantur, quæ ſunt reliquiæ & excrementa materiarum in terrâ deuſtarum; ingentes præterea lapides vel ſaxorum moles egeruntur ventorum ſcilicet incluſorum vi maxima. Ita ſeptimo Juſtini Thracis Imper. anno, ſicut refert Cedrenus in ejus vita, terræ motus ac incendium Antiochiam corripuerunt. Sic etiam anno 1631. terræmotus, qui Veſuvianum præceſſit incendium, horrendam plane exhibuit cataſtrophen, cum præter igneos torrentes, novorumque fontium, bituminisque ſcaturigines, totum circumquaque aërem fumo, cinerea pluvia, ingentium ſaxorum eructatione, Kirchero aſſerente, replevit.

Unde-

Undecimus effectus eſt. Quod aliquando mare terræ motus tempore à littore præter conſuetam naturæ legem retrocedat, ac denuò ferociori aquarum impetu redeat. Cauſam eſſe reor, quod maris fundus jam terræ motu deprimatur, jam rurſus in altum jactetur. Sic anno Chriſti 365. Calend. Auguſti mare diſpulſum revolutis fluctibus retro abiit, ut vallium & montium vaſtitates radiis Solis illuſtrarentur, Multis autem navibus per undarum reliquias ad capiendos piſces ultro, citroque vagantibus ex improviſo antiquas ſedes undæ marinæ repetiverunt. Quo facto inſulis & porrecti continentis ſpatiis violenter illiſæ innumera ubique ædificia obruerunt, & multa hominum millia abſumpſerunt ipſa navigia partim in culmina tectorum, partim longè à littore propulſando. Sigonius lib. 7. Imp. Occident.

Duodecimus demum effectus eſt. Sæpiſſime poſt terræmotus peſtilentes morbi conſequuntur. Cujus ratio eſt, quia nonnunquam halitus quidam putridi & venenati ex diutius concluſâ & cohibita aura erumpunt, qui ſuâ venenatâ qualitate aërem inficiunt, quem deinde homines inſpirando attrahentes facilè peſte corripiuntur. Nec aërem tantum halitus illi virulenti, ſed & aquam, quâ carere nequimus, inquinare ſolent. Ita teſtatur Seneca lib. 6. quæſt. nat. in Pompeiana regione ſexcentarum ovium gregem terræmotu exanimatum eſſe, quòd oves, quia mollioris ſunt naturæ, & terris propiora ferunt capita, virulentos halitus citiùs attrahant. Anno conditæ Romæ 319. poſt terræmotum tam horrenda invaluit peſtis, ut ea ad triennium perdurante 30000. ibidem extincta ſint. Anno 801. quo Carolus Magnus imperio inauguratus eſt, vehemens terræmotus ſuperiorem Germaniam, & inprimis Rheni tractum afflixit, quam deinde peſtis ſecuta eſt, quæ Germaniam & alia loca horribiliter infeſtavit.

Quæres: An arte fieri poſſint terræmotus? Reſpondeo affirmativè, quod everſa urbium mœnia & propugnacula hac belli tempaſtate per ſuccenſos cuniculos plusquam teſtatum faciunt. Modum verò hos conficiendi, vide apud Honoratum Fabri tract. 6. lib. 2. prop. 30.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Sine Deo hominum vires nullæ ſunt.

A Magnis Capitibus ſuccollari quærimus, aut propriis alis confidimus volare. Suo ſe ſcuto tuto protegere credidit Achilles: & virtutis ſuæ fiduciâ fretus Ajax Telamoni Patri objicere eſt auſus: ſe absque Deo vincere poſſe. At ſuo ſuccumbens gladio Ajax, factus eſt veritatis inſtructor, Euripide canente: *Belli ducem nec Diis invitis vincere.* Ex infinita Deitatis abyſſo evoluta ſunt omnia, omnia illi ſuum vendicant eſſe & operari. Iisdem, quibus naſcuntur cunabulis piſces & nutriuntur. Et quibus aliquando dorſum ſubſternunt navibus maria, easdem ad littus deferunt. At, ut fallax eſt pelagus, domeſticisque vorticibus occultè præceps, ſubterraneis meatibus aquas abſorbet. Tum equidem naves *hærent in ſicco* natatile genus ſquammas contrahit, quia quo vivit elemento deficit. Alpha hominum Deus eſt, & elementum actionum: in auram abit mortalium potentia, quam Dei manus non ſuſtentat. Cui feliciter fluxerunt omnia, tandem *hæret in ſicco*, ſi vel Favonius cœleſtis contrahitur, vel auxiliantis Dei brachium ſubtrahitur. Ceſſat eſſe, cui Ens Entium incipit abeſſe. Non ſubſiſtit ſuis viribus, qui virtute divinâ non fulcitur. Fruſtra terimus potentum limina; deſtituente enim Numine debilis eſt ſuffragantis humani brachii aſſiſtentia. Protegente DEO imbellis eſt belli adverſantis fortitudo, neque dejicietur ullo conſpirantium malorum imbre, cui militat æther. *Minus ei adverſantur, inſidianturque alii, quem a numine protectum, defenſumque iri credunt.* At qui ad Deum ſe non convertit, ſpes ſuas evertit. Nequit enim ei feliciter, quod agit, cedere, quem à cœli fiducia non pudet recedere. *Omitte bellum, omitte pugnam ſine Deo.* Palam ſuo milite claſſicum cecinit Heraclius Imperator, neminem præter Deum ſibi poſſe auxiliari ac debere, in quo vincere præclarum ſit ac decorum. Neque hæſit in ſicco, nam Perſarum Regem Coſsrhoa ferro flammaque vaſtavit, tota ejus regione ſanguineis nimbis inundatâ. De victoria in Campo, de felicitate in foro ſecurus eſt, qui ſub Numinis ſcuto tectus eſt, & cum cœlo fœdus pepigit. Se ſuaq; altiſſimi viribus committat vir publicus: hæc cœli politica eſt, quod non aſſiſtat, niſi qui ſupplicando ſuppetias expetiit. Non floret laurea, niſi hoc rigante, non conſervatur olea, niſi hoc incrementum dante. Succumbit, qui non recumbit in brachiis Domini; ſine recurſu ad Deum curſum non habebit felicem, quia Deus negat concurſum. *Magnæ virtutes comitantur homines ſolius Dei beneficio.* Niſi manum porrigat, qui tribus digitis orbem portat, irrita cadunt conſilia noſtra, quantocunque aſtu & ingenio humano excogitata. Tenebræ ſunt induſtriæ noſtræ ſine Numinis lumine: neque ſine cœleſti radio ratio noſtra extra noctem erit. Aſtutia

*Eurip. in Erechthe.*

*Ariſt. l. 5. politic. in Olympiti.*

*Pindarus in Iſthmiis*

pſeudopolitica injuſtitia, & virium humanarum fiducia imbecillitas eſt, ſi non Numine ſuſtentetur. Ænei lacerti, & impenetrabile pectus, fictilis ſortitudo ſunt, facili afflatu dilabuntur. Nihil agit, qui agit omnia ſine Deo: malè cedit, ubi Deus adjutor non accedit; &

66.




ſi ſine illo ad votum ſuccedit, malè tamen cedit, quia nemo benè à Deo recedit. Primum fulcrum ille eſt, quo cœlum & terra firmantur: quomodo ſtabit, qui hac baſi non ſubſiſtit? Sine Sole ſtella tenebreſcit: ſine mari flumina ſiccantur: ſine Nilo Ægyptus exareſcit: ſine ponderibus horologium otiatur: ſine lumine nox una eſt mundus: ſine vento triremes ſiſtuntur: Hæc omnia homini Deus eſt, ſine quo homo eſt nihil; & ſi tentet omnia, aſſequitur nihil, quia ſine eo eſt, qui ſolus eſt aliquid. Auſtro flante movetur navis: Auſtriaca Domus aſpirante Dei auxilio provecta hactenus, provehetur ampliùs, quia Ferdinandi III. Cæſaris fiduciá velificat *Chriſto duce.* Hæc fiducia eſt Auſtriacis, hac navigat Auſtriacus.

# QUÆSTIO IV.

## *De ſono, loco, tempore, magnitudine, & duratione terræmotus.*

CONcluſio prima. Sonus & mugitus terræmotus prodromi ex vehementi variorum ſpirituum conflictatione oriuntur, non ſecus ac exhalationes nubium cavo clauſæ, dum exitum quærentes hâc illacque nubem verberant, ſonum faciunt. Comes hic indiviſus eſt terræmotus, cúm enim ſonus reſultet ex colliſu corporum, ille autem fiat ex vehementi ſpiritûs intus incluſi repercuſſu, conſequens eſt, ut ipſum aliquis ſonus perpetuò comitetur. Qui quidem, ut Ariſt. 2. Meteor. c. 7. tradit, pariter cum terræ motione fit, licèt ipſe ob

ob ſuam tenuitatem, & agilitatem citiùs ad aures noſtras perveniat. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi unâ ſemper fiat: præit enim interdum aliquanto tempore, tunc nimirum, cùm ſpiritus per cava terræ ferri incipit, ſed nondum vim, impetumque accipit, qui ad eam impellendam ſatis ſit. Sic Neapoli Veſuvii mugitus non raro auditur, licèt nullus terræ motus ſentiatur; idem dico de Ætna monte, qui ſæpius mugit, licèt terra non tremat: porro ubi iidem tractus tremunt, major haud dubiè fragor editur.

Concluſio ſecunda. Varius ac multiplex hic ſonus eſt. Ratio eſt, quia, ut monet Ariſtoteles, ſicuti ſpiritus, cum verberatur, varii generis ſonos edit, ita & cùm ipſe verberat, quod in terræmotu accidit. Hinc benè Plinius annotavit, dum lib. 2. cap. 80. ſcribit: *Præcedit, comitaturq;* (terræmotum ſcilicet) *terribilis ſonus, alias murmur ſimile mugitibus aut clamori humano armorumque ſonantium fragori pro qualitate materiæ excipientis, formaq; vel cavernarum, vel cuniculi, per quem meat.* Sicut enim in hominibus ſonorum, vocumque differentiæ proveniunt ex varia gutturis & aſperæ arteriæ compoſitione ac qualitate, & ex aëris, qui emittitur, magnitudine, ſic in terræ motibus, ſoni diverſitas oritur ex varia cavernarum & cuniculorum, per quos meat, forma, & ex qualitate materiæ impetum excipientis & aëris ſive exhalationum copia. Ex quo deducitur, quod ampli meatus reddant ſonum magnum, anguſti tenuem, recurvi varium, humidi raucum, duri ſolidum, leves clarum & perſpicuum.

Concluſio tertia. Terræ motum rarò ſentiunt loca valde calida, ut Ægyptus, quia ſpirationes nimio æſtu confeſtim diſſolvuntur. Loca etiam valde frigida, ut regiones ſeptentrionales; quia in illis ob nimii frigoris inertiam exhalationes difficiliùs gignuntur in locis ſubterraneis. Loca etiam arenoſa, & concreta ex limo rarius moventur, quia non ſunt in illis cavitates. Dixi rariùs in his locis obſervari terræ motus, nam primo etiam loca Borealia neutiquam omnis concuſſionis ſubterraneæ immunes ſunt; nam anno 1572. ut etiam Keckermannus refert in contempl. de terræ motu anno 1601. circa ſextum Januarii gravis terræ motus in Boruſſia plurima ædificia publica & privata magno cum damno quaſſavit. Idem obſervatum in Polonia, Suecia & Dania. Ægyptum etiam aliquando contremuiſſe prodidit Seneca l. 6. Natur. quæſt. c. 26.

Concluſio quarta. Valde econtra frequenter terræ motu quatiuntur primò fungoſa & cavernoſa loca. Ratio eſt, quia cum terra eſt fungoſa, & veluti cuniculis plena, in illis cavitatibus congregantur multi flatus, ſeu ſpiritus, unde facilè exhalatio ſerpens per eos cuniculos terram concutit. Id evidens eſt in Phrygia, Italia, Caria, Lydia, multisque aliis regionibus. Quæ plurimùm poroſæ & ſubtus cavernoſæ comperiuntur. Quam ob cauſam montoſa etiam ſæpius terræ motus ſubeunt, quam plana. Sunt enim in illis, quàm in his crebriores ſpecus. Contingit tamen quædam plana ob peculiares cauſas ſæpiùs concuti. Tales tamen cavernæ non debent habere aditus apertos, quibus erumpant ſpiritus concitati, alioquin ſi aditus pateat ſpiritibus, loca evadunt immunia á terræ motibus. Ideò Roma rariſſime concutitur, quia intus eſt cava, & talibus cavitatibus patet aditus apertus, Secundo loca nitroſa, ſulphurea, & oleaginoſa magis terræ motibus ſubjecta ſunt. Ratio eſt, quia in illis aër ſpiritibus illis & exhalationibus fœtus facilè inflammatur, aut ab aliqua ingnis ſcintilla (ut cùm Saxorum vel Silicum fragmenta ex cavitatum fornicibus in ſubſtratum ſolum decidunt) accenditur. Cùm autem calorem conceperit, rarefit, ac intra idem ſpatium ſe continere non valens, carceris ſui parietes convellit. Idem ſentiendum de iis locis, quæ thermis & balneis tepent, ut in Campania, ac in Sicilia, ubi montes ignivomi perpetuo flammarum ſuarum globos ejaculantur. Tradit etiam Fromondus Flandricas Inſulas, quæ & Terzeræ appellantur, ferè quotannis tremere, tuncque vicinum aërem veluti flagrantem apparere, quod ignis ſubterraneus hujus tremoris ſit cauſa. Unde univerſaliter iis in locis frequentius terræ motus accidunt, ſub quibus pyrophylaciorum potiſſimum ſæviunt æſtuaria. Tertio: Inſulæ frequentiùs terræ motu agitantur, ut teſtatur experientia; conſtat enim Cyprum, Siciliam, Eubæam, Tyrum, Ænariam, Liparam, Moluccas, & quas Terceras vocamus ſæpè terræ motibus agitari; Et hinc univerſaliter loca omnia mari propinqua præ cœteris concuſſionibus obnoxia ſunt, cujus ratio primò eſt, quia aqua infundens ſe terræ per rimulas, coanguſtat locum ſpiritibus, qui proinde, dum locum quærunt laxiorem, concutiunt terram. Secundò, quia aqua marina, quæ eſt ſalſa, infundens ſe terræ viſceribus, generat ſpiritus nitrales, qui concipientes motum, cauſant tearæ motum. Tertiò, quia dum mare verberat littora, plures ſpiritus per rimulas intrudunt ſe in terræ viſcera. Quartò, quia ex terra madefacta, plures exhalationes & ſpiritus prodeunt, quam ex non madefacta, cum ergo terra ſpongioſa madeſcit, aqua marina plures ſpiritus emittit aptos ad terram concutiendam.

Concluſio quinta. Licet, ut dictum eſt, omnibus anni temporibus hujusmodi terræ motus accidant, ordinariè tamen autumno, aut vere contingunt. Et de verè quidem ratio eſt, quia hoc tempore plures exhalationes gignuntur, ſicuti videmus, ad pedes arborum multum è terra fumi evaporare. Cumque etiam ipſa obſtruatur tum à frigore, tum ab abquis ne exhalari poſſint ſpiritus, fit ut eo tempore magis quam aliis terræ motus generentur. Eadem pænè ratio eſt de autumno. In æſtate autem rariores ſunt terræ motus propter calorem, qui poros terræ aperit. Unde quidquid eſt ſpirituum aut ventorum ſub terra collectum exhalat. Nec hyeme fiunt cum propter debilitatem caloris, tum quia clauſis præ frigore poris terræ nulli excitantur flatus, multo minus rigor hyemis ſpirationes evocat.

Præterea ſolent etiam terræ motus contingere cœlo maximé tranquillo & pacato. Ratio eſt, quia exhalatio, quæ deberet foras prodire & excitare ventos in aëre, ſerpit intra terræ viſcera. Accedit tamen aliquando, ut terræ motus fiat vento flante, quia ſicut aliquando aër agitatut ventis contrariis, eò quod dum in uno loco exhalatio concipit motum verſus unam partem, in alio loco exhalatio concipit motum verſus aliam partem; ſic exhalatio clauſa intra terram in uno loco concipit motum, per quem egrediatur ex terra & cauſet ventum; in alio concipit motum verſus terræ viſcera, & cauſat terræmotum. Terræmotus tamen, qui fiunt aëre tranquillo ſolent eſſe majores, quia tum tota exhalatio remanet terræ incluſa, quin pars egrediatur ad ventum cauſandum.

Crebrius etiam noctu quàm de die; quod ſi etiam de die frequentius meridie accidere ſolent. Ratio primi eſt, propter frigoris antiperiſtaſin, quâ ſpiritus in anguſtum cogitur, & excalefactus disrumpitur, vel certe, quia noctu aër ſolet eſſe tranquillior propter defectum Solis, educentis exhalationes è terra, unde tum maximè ſpiritus ſubterranei poſſunt concipere motum per terræ viſcera. Ratio ſecundi eſt, quia Solis calor tunc maximam vim habet ſpiritus exſuſcitandi, & in majorem raritatem diſtrahendi; vel etiam, quia aër tum eſt tranquillior, quam aliis diei partibus. Alii etiam volunt, circa auroram fieri maximos terræmotus, quia eo potiſſimum tempore ſpiritus concipiunt motum, unde ſi non ad extra prodeunt, ſed intus ſerpunt, concuſſiones efficiunt.

Obſervarunt & alii; terræmotus non raro illis annis fieri, quando ſunt crebræ eclipſes Solis, imprimis Lunæ, quia dum deficit calor externus, qui alioquin terram aperire poterat, cumque lumen hoc, quod univerſam naturam veluti ſpiritu vitali regit & vivificat, aufertur, neceſſe eſt, deficiente calore, non recte regi inferiora, ſed aliquam mutationem & motum illis accidere.

Concluſio ſexta. Quod ad terræmotûs magnitudinem ſpectat, ordinariè non concutitur magnum terrarum ſpatium, nec una integra regio. Ratio eſt, quia nec cavernæ, quibus ſpiritus diffluunt, adeo amplæ ſunt. Nec tanta ſpiritum copia in locum unum colligitur, aut vim ſuam tam latè extendit, Quando tamen caverna ingens altiſſime defoſſa propior ſcilicet terræ centro conſtituta eſt, ſic ut eidem tanquam fornici plures terræ regiones incumbant, cum ſpiritus concuſſorius ibidem accenditur, & exagitatur; etiam plures ſimul regiones concuti queunt. Hinc ulterius dico, ſi in centro terræ caverna eſſet ſatis ampla, pulvere tormentario inſtructa, tanta eſſet vis halitus accenſi, ut tota inde terræ moles non leviter, nec ſine ingentibus ruinis quateretur.

Cæterum quando contingit, ut plures regiones eodem terræmotu concutiantur, fieri id etiam poterit ob nexum unius terræ cum alia, ſive quod ſpirirus ſulphureus accenſus per ramoſos ſubterraneos meatus quaqua verſus diſperſus fulminis inſtar diſcurrat, & in alias cavernas delatus ſimiles efficiat concitationes, ſicque plura terræ loca in ejus ſuperficie conſtituta uno penè momento convellat. Unde colliges, improbabilem eſſe Senecæ opinionem, qui ratus, terræmotum non extendi poſſe ultra 200. milliaria Italica. Præter enim dictas rationes reclamat contra ipſa experientia. Imprimis enim ſcribit Joſephus à Coſtâ, in regno Peruviano frequenter ad 150. vel etiam ad 500. leucas excurrere Sic etiam Paulus Oroſius teſtatur lib. 7. Hiſt. c. 32. ſub Valentiniano terræmotum per totum pene terrarum orbem editurn. Item anno 1601. eodem tempore Aſia, & Europa tota fuere concuſſæ, ut ait P. Rhodes. Judico tamen cum gravi Authore Didymo mox citando, nullum motum totam terram concuſſiſſe hactenus, præter eum, qui tempore Dominicæ Paſſionis divina virtute accidit. Quod prodidit citatus Author, cujus de hac re teſtimonium refert Catena ſuper Job collecta è quatuor & viginti Græciæ Doctoribus. *Terræmotus*, inquit, *ſæpè fiunt in terris; verùm, qui ante, vel poſt Chriſtum exſtiterunt, partem quandam terræ occuparunt. Mei autem Chriſti tempore non privatus fuit aliquis terræ motus, ſed tota ipſa terra conquaſſata eſt, & centro convulſa.* Hæc Didymus ad caput. 9. lib. citati.

Con-

Concluſio Septima. Duratio etiam terræmotuum inconſtans & varia eſt, aliquando enim breviſſimo tempore, aliquando per integros menſes, aut annos durat. Ratio hujus eſt primo, quia quo tenuior & rarior fuerit vapor incluſus, eò citiùs etiam deſinet terræmotus; quo autem frigidior, craſſior & denſior fuerit, eo diutius perſeverabit, quia meatibus & cavernis incluſus tardius & difficilius evaporare poteſt. Secundo, copioſior ſpiritus tardius evaneſcit, & propterea diuturniorem efficit terræmotum. Tertio, quo terræ ſuperficies, ſub cujus cavernis materia terræmotus eſt, fuerit compactior, minusve pervia, ut ſunt loca lapidoſa & aquoſa, eo etiam diuturnior erit, quoniam ægre & tarde per illam vapores exhalare poſſunt. Quarto, cauſa etiam eſſe poteſt durationis terræmotus ſucceſſiva ſpirituum ſive exhalationum accenſio, & inflammatio, ignis enim ſerpens non uno puncto inflammat ſpiritus ſepultos, ſed aliquando brevius, aliquando longius, ut in cuniculis militaribus videmus. Unde terræmotus ille anni 1601. de quo ſupra, per quadrantem duravit. Anno vero 1538. per 15. dies tota Italia concuſſa eſt. Anno 1570. duobus integris annis duravit ſucceſſio.

Obſervat etiam Ariſtoteles quoad durationem terræmotus non ſtatim deſinere poſt unicam concuſſionem, ſed identidem reverti plerumque per dies quadraginta; aliquando vero per annum & duos annos. Rationem affert, quia ſpiritus, qui terræmotum cauſant, non ſtatim conſumuntur, ac diſſipantur, ergo illis durantibus & per intervalla concipientibus motum, terra ſæpius & ſæpius movebitur. Confirmat exemplo animalis, nam ſicut cum ſpiritus moti cauſant tremores, pulſus, & febres, non diſſipantur unica vice, ſed plures cauſant tales effectus, & paulatim conſumuntur, & evaneſcunt; ſic contingit in ſpiritibus cauſantibus tremorem terræ. Ratio porro, cur terræmotus ſæpe ceſſent die quadrageſima, eadem eſt, propter quam plures morbi die quadrageſima terminantur, ideoque ad purgandam ſuſpicionem peſtis, indici ſolet obſervantia quadragenaria.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Pietas Regnorum fulcrum.

QUod ortus ſui principium habet, alterationis ſubit ſubjectum. Inter peritura vivimus, omniaque mortalium opera mortalitate damnata ſunt. *Continua eſt rebus generatio & corruptio.* Ariſt. Solius Numinis natura, quia caret principio, mutationis eſt expers. *Cæteris rebus ineſt cunctis, quidam velut orbis, ut quemadmodum temporum vices, ita & mores vertantur*, veriſſime obſervat Tacitus. Inter hæc tamen nihil magis mutationi expoſita ſunt, quam Imperia. *Ariſt. de gen. & corrupt. 12 c. 10.*

*- - - Sicut variæ naſcentibus - -* *Man. 4. Aſt.*
*Contingunt Pueris animæ, ſic urbibus affert*
*Hora, dieſq; ſuum, cùm primùm mœnia ſurgunt,*
*Aut fatum, aut genium.*

Nec demonſtratione opus eſt, dum ipſi oculis, ut Sulmonenſis canit: *Ovid.*

*Omnia verti*
*Cernimus, atq; alias aſſumere pondera gentes:*
*Concidere has.*


Utut tamen ad ruinam Regnorum moles prona eſt, pietatis fulcro innixa *ſtabit neſcia caſus.* Ita Sineſius hanc egregie imperaturis proponit. *Pietas primum ſubſternatur fulcrum, cui firmiter inſiſtat ſimulacrum hoc Regni* Ipſi jam Ethnicæ ſuperſtitioni ſalutare hoc monitum erat perſuaſum, Hinc factum, ut Romæ ab ejus conditore Romulo cum primis urbis fundamentis religio, etſi vana, ſtabilita ſit, & templa *Jovi ſtatori & Feretrio dedicata*, & Sacra Diis aliis Albano ritu, Græco *Herculi* facta. Memorat & Plinius Numam exinde Pompilium II. Romanorum Regem, ferum populum *Religionis inſtitutione, & utilibus legibus domuiſſe, ſummque Regnum ita firmaſſe, ut pendente ejus Regno nemo illi bellum moverit.* Nempe pietas ad omnia utilis. Non nutat Solium, quod firmat Religio. In tuto corona repoſita eſt, quam *Orat. de Regno.* *Livius lib. 1.*

 vigil

vigil amor Numinis cuſtodit. Non coërcetur melius efferalibido populi, quàm ſacro Dei timore. *Hac ſublata Pietate*, ut Tullius loquitur, *fidem & humani generis ſocietatem tolli neceſſe eſt, & juſtitiam virtutum omnium excellentiſſimam.* Author eſt Joſephus, Romanos Impera-

*Cic. l. 1. de nat. Decor.*

67.




tores Auguſtiſſimum illud Salomonis templum honoribus atque muneribus affeciſſe. Ut ſic vel alienum Numen pietate hac ſibi redderent propitium. Auſus hinc gloriari Cicero: *Romanos non calliditate, & robore, ſed Pietate, & Religione omnes gentes, nationesq; ſuperaviſſe.* Cœterum ut officium Principis ad conſervandam Regni incolumitatem primum eſt, ſubditis inſtillare pietatem, ita ipſe hac imprimis excellat oportet. Monitum hoc Potentiſſimi Arragonum Regis Alphonſi eſt dicentis: *Eos, qui aliis præeſſent tanto privatis hominibus meliores eſſe oportere, quantò honoribus & dignitate antecellerent.* Nec immeritò. Quid enim æquius, & decentius, quàm eum, cujus ſavore ad dominationem evectus eſt, Dominum, & Imperii ſui auctorem colere, & venerari. Unde appoſitè Juſtinianum Imperatorem Agapetus Diaconus ita alloquitur: *Sceptrum Imperii cùm à Deo ſuſceperis, cogitato quibusnam modis placebis ei, qui id tibi dedit; cumq; omnibus hominibus ſis prælatus, præ omnibus eum honorare feſtina.* Hac verò ipſa viâ divinam clementiam ad ſtabiliendam Regni felicitatem in ſuas trahet partes, ut *conjurati veniant ad claſſica divi.* Expoſcenti in dubiis lumen deſuper, ejus ſapientia dabit conſilia; adverſus inimicas acies imploranti auxilium, ejus fortitudo roborabit brachium. Inter inſidias & inteſtinos domeſticorum motus periclitantem protectionis ſinu excipiet providentia. Atque ita cum Deo, quaſi alter Deus effectus omnis mutationis ſtabit expers, ipſumque Regnum Atlanteis his innixum humeris ad omnem Borealem adverſæ ſortis afflatum ſtabit inconcuſſum. *Tunc eſt optimus Regni veſter ſtatus*, inquit S. Leo ad Theodoſium Imperatorem, *Quando ſempiternæ, atque incommutabili Trinitati unius Dei confeſſione ſervitur. Colentibus quippe Deum omnia proſpera eveniunt, ut adverſa ſpernentibus.* Livius. Eſt Principum pietas illecebra, per quam ſubditorum animi ad cultum & obſequium eorundem alliciuntur.

*lib. 6. de bello Juds. Orat. de Aruſp. Ex Panor lib. 6. de rebus ejus geſtis. Epiſt. paræn. extat apud Baron. tom. 7 annal.*

*l. 3. Div. Juſt. c. 29.*

tur. *Nam nihil non boni exſpectant, ab eo Principe*, ut inquit Ariſtoteles, *quem præter cæteros Religioſum & Dei amantem vident, & minus ei adverſantur, inſidianturque, quem à Divino Numine protectum defenſumque iri credunt.* Accedit, quod & ſuo exemplo tales ſubditos efficiet, qualis ipſe eſt, pios nempe, ac temperantes canente Poëta: *Ariſt. l. 5. Polit.*

*Totus componitur orbis*
*Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, quam vita regentis.* *Claud. 4. Hon.*

Quod quantum ad ſtabilitatem Imperii conferat, locuples teſtis Plutarchus eſt, inquiens: *Plurimorum hæc fertur ſententia, id maximè ad diſciplinam civilem inſtituendam attinere, ut cives quoque benè moratos, & temperatos Princeps exhibeat.* Ubi enim homines Deum colunt, Principibus obtemperare ſtudent. Xenoph. Cura igitur O Princeps, *ut cùm ipſe bonus, atque ſtrenuus ſis, uti etiam quam optimis imperites, monitum Saluſtii eſt.* Ita neſcia caſus corona Regio vertici inſiſtet. Experti hoc Conſtantini, & Caroli magni cognomento, Alphonſus ſecundus Legionis & Caſtellæ Rex, Stephanus, Ladislaus, & Ludovicus Hungariæ Reges, Caſimirus item, & Rudolphus primus cum tota Auguſtiſſima domo Auſtriaca, qui omnes non niſi pietate in ſuperos Imperium ſibi ſuisque firmarunt, amplificarunt, atque ad poſteros longâ ſeriè transmiſerunt. Si præſentia requiritis in unum Piorum Cæſarum compendium Auguſtiſſimum Leopoldum primum modò feliciſſimè regnantem oculos convertite. Hic eſt ille Imperator, quem concatenatis hoſtium machinis toties jam conſumptum orbis credebat, modò lucidiſſimi inſtar luciferi Syderis exortum, undequaque ſpectat triumphantem. Inconcuſſus ſemper, quia pietatis fulcro nixus, quæ *ſola neſcia caſûs.* *Plut. Polit. Xenoph. 3. Rer. Græc. Saluſt. ad Cæſ. orat. 2.*

# DISSERTATIO XI.

## De montibus, cavernis, ac ignibus ſubterraneis.

QUamvis de montibus, antris, hiatibus, & ignibus ſubterraneis agere Geographorum potius, quàm Meteoriſtarum inſtitutum ſit, quia tamen eorum mentio in pertractatione terreſtrium maximè impreſſionum ſæpius recurrit, multumque ad meliorem notitiam ſubſequentis præcipuè materiæ illorum explanatio deſervit, præſentem brevem Diſſertationem in tres Quæſtiones diviſam adjecimus. Unde ſit

## QUÆSTIO I.

### *De Montibus.*

QUæres Primo. Quid ſit mons? Reſpondeo, montem aliud non eſſe, quàm tumorem terræ in altum ſeſe erigentem, & ſola radice ceu pede terram tangentem. Vel, ut vult Iſidorus, dicuntur montes, eo, quod ſint ſuper aliam terram eminentes.

Quæres ſecundo. An montes ab exordio mundi fuerint? Reſpondeo, litem eſſe inter Philoſophos. Alii enim volunt terram montibus diſtinctam creatam eſſe; alii econtra diluvii tempore ab aquis terram in tumulum congeſtam ſurrexiſſe in montes. Verùm pro prima ſententia ſtat ipſe ſacer textus clare innuens, montes ante diluvium extitiſſe, dum Gen. c. 7. teſtatur, aquas diluvii quindecim cubitos ſupra altiores montes elatas fuiſſe. Et c. 8. arcam 17. die menſis ſeptimi quieviſſe ſupra montes Armeniæ, & prima die menſis decimi apparuiſſe montiũ cacumina. Ratio hujus etiam deſumi poteſt ab utilitate, quis enim credat, quod tot ſæculorum ſpatio, quæ inter creationem mundi & diluvium fuere interpoſita, huma-

humanum genus innumeris montium commodis fuerit deſtitutum: nam conferunt hi non modo ad gratiam & pulchritudinem univerſi; ſed etiam ad Regionum ſalubritatem, ad arcendos ventorum impetus, arcendas fluviorum & maris eluviones, quin ad fertilitatem, rerumque copiam faciunt quam maximè, dum copioſos è ſinu rivos effundunt. Unde exiſtimat Kircherus in itin. Ext. 2. dial. 3. cap. 3. quòd nullus fere celebrioris nominis mons ſit, qui non à natura ſuis hydrophylaciis, ac reconditis aquarum penuariis inſtructus ſit eo fine, & intentione naturæ, ut montes, velut ubera quædam Geocoſmi, humorem ex Oceano attractum in univerſas deinde terrarum oras non in vegetabilium tantum fomentum, ſed & hominum, animaliumque neceſſarium uſum diffundant. Quare adſtipulamur D. Damaſceno docenti lib. 2. Fid. orthodox. cap. 9. & 10. terram imprimis quidem aquis circumfuſam, & phyſicè ſphæricam eſſe conditam, tertio tamen creationis die, qua diviſæ ſunt aquæ, juſſos eſſe & montes conſurgere, ſeque in juga extollere.

Quæres tamen tertio: An omnes montes in prima mundi productione creati ſint? Reſpondeo negativè; ut enim multi montes ſucceſſu temporis decreverunt, & ſolo æquati ſunt vel per aquarum inundationes vel terræmotus, ita ex iiſdem cauſis plures de novo producti ſunt. Pariter & ventorum turbines arenam undique conflatam in ingentes cumulos glomerare poſſunt, montesque efficere.

Quæres quarto. Quanta ſit montium altiſſimorum magnitudo? Reſondeo, nihil certi de hac ſtatui poſſe. Blancanus 3. p. ſph. c. 1. tract. 4. altitudinem montium profunditati marium, quæ ultra unum, alterumve milliare non deſcendit, commenſurandum judicat. Cadamuſtus Dicæarchus, ut teſtatur Plinius, Regum juſſu montes dimenſus, altiſſimum Pelion in Macedonia eſſe reperit, elatum in perpendiculo 1250. paſſibus. Joannes Hevelius Selenograph. c. 8. pag. 270. tam ex veteribus, quam recentioribus noſtri ſæculi Mathematicis montes terreſtres, etiam primæ altitudinis non dimidium ſuperare milliare Germanicum, ſive duo milliaria Italica in linea nimirum perpendiculari. Unde ſi quid de majoribus montibus referunt Hiſtorici, non de perpendicularis lineæ altitudine, ſed & ambitus & itineris amplitudine intelligendi ſunt.

Quæres quintò. Quæ ſint celebriora montium juga? Reſpondeo, juxta obſervationem *de Chales* in Geograph prop. 79. imprimis eſſe Alpes, quæ Italiam à Gallia dirimunt; vocantur autem Alpes montes perpetuis nivibus albeſcentes, talesque ſunt Liguſtici, Cottici, Graji, Pennini, Summi, Lepontii, & Rhætici, qui lunato ambitu inſtar muri claudunt Italiam, & eam á Gallia & Germania ſeparant. Tales etiam ſunt hic conjuncti in Germania, qui orientem verſus abeunt, & per Vindelicos, Carnos, Noricos, Illyricos, Pannones & Macedones in ultimam usque Thraciam penetrant Danubio penè ſemper paralleli. Ejusmodi juga & catenæ, quæ montes alias Pyrenæi dicuntur, Hiſpaniam à Gallia ſeparant. Celeberrima ſunt & juga Peruviana, quæ Americam Auſtralem à Freto Magellanico ad Æquatorem usque pervadunt, & Peruvianam à reliquis provinciis diſtinguunt. Unus tantum eſt tranſitus, quo ſuperari poſſunt, ita in altum aſcendunt, ut ſupra nubes extollantur, & carere aëre ad reſpirandum idoneo dicantur; perpetuis inſuper rigent nivibus. In Aſia minore juga Tauri montis progrediuntur usque in Indiam; totam pervadunt Perſidem & totam Aſiam in ſeptentrionalem, quàm intra Taurum vocant, & meridionalem, quam extra Taurum nominant, diſtinguunt. *Imaus* mons Scythiæ Aſiaticæ in formam crucis protenditur usque in Indiam longitudine milliarium 1500. Caucaſi montis juga propè Caſpium mare per 200. milliaria ad Pontum usque Euxinum pervadunt. In Africa excellit Atlas, à littore occidentali Africæ exortus extenditur in Ægyptum usque. Nivoſus eſt licet in Zona torrida exiſtat. In Europa ſunt Riphæi montes à ſinu Moſcovico ad fauces Obii fluminis protenſi. Juga Norvvegiæ & Lappiæ Sveciam à Norvvegia ſeparant.

Inter montes verò altitudine famoſior eſt Olympus, de quo alibi dictum eſt. Alterius meminit Zabarella: aſcendi inquit, *ad ſummitatem usque montis in agro Patavino, ibiq; per totum diem habui aërem ſereniſſimum, ſed infra circiter medium montis videbam nubes, quæ me viſione vallium prohibebant. Veſperi autem, dum de illo monte deſcendi, inveni factam eo die in infera parte magnam pluviam cùm in montis cacumine nihil pluiſſet.* Caucaſus tantæ ſublimitatis à Philoſopho 1. Meteor. 13. deſcribitur, ut videatur ex oſtio Mœotidis paludis, & Solem in vertice usque ad tertiam noctis partem radiis illum illuſtrantibus oſtendat. Athos mons Græciæ, qui umbram, ut refert Plinius lib. 4. c. 12. usque in Inſulam Lemnum, quæ hodiè Stalimene vocatur, ſparſiſſe dicitur. Mons Kinninus in China prope Kinhoa civitatem, cujus ſupremum culmen non niſi novem dierum itinere ſuperari poteſt. In Teneriffa, una ex Canariis Inſulis, mons ſurgit altiſſimus, aliàs Eltico de Terrairo dictus, qui ad diſtantiam maritimam 60. milliarium ſpectatur; vertex illius perpetuâ nive & glacie obrigeſcens ob frigoris vehementiam attingi non poteſt. Denique referuntur ab aliis Hiſtoricis montium cacumina novem

etiam

etiam milliaria altitudine ſua excendentia. Sed haud dubio, ut prius annotavimus, non ad perpendiculum expenſa.

Quæres ſexto. Cur ſummi montes perpetuis albeſcant nivibus? Reſpondeo, cauſam earum conſervativam eſſe frigus, quod ſecundæ regioni aëris, quo hi montes pertingunt, à Solis reflexione remotæ, proprium eſt. Tales præter dictos Doffrinii in Suevia Alpes ſunt, è quibus nives per montis declivitatem voluti ita ſe augent, ut in eam molem excreſcant, quæ pagos integros radici montis adjacentes obruat Olaus l. 3. c. 23. De monte Libano hoc admiratione digniſſimum obſervatur æſtivo præſertim tempore, quod quatuor ejus partes reſpectu altitudinis quatuor anni partibus ſint omnino conformes. Ad radices enim hujus montis æſtus magnus eſt, qui æſtatem refert. In paulo altiori tractu virent & florent omnia cum aëre temperatiſſimo. In adhuc altiori montis hujus diſtrictu aër eſt ſimilis illi, qui in autumno flare ſolet cum fructuum omnium illic enaſcentium maturitate. In ſupremo tandem faſtigio ingens frigus à nive & glacie illic ſtabulante ſentitur, quo circa etiam conſcendi penitus non valet.

Quæres ſeptimo, Unde lacus in ſummo montium vertice oriantur? Reſpondeo, rationem hujus colligi ex jam dictis de fontibus, nempe montanorum horum lacuum duplicem poſſe eſſe originem; vel enim è pluviis, nivibusque propè perpetuis ciſternæ in modum aquas colligunt; vel occulto cum mari commercio, pari cum fluminibus via, aquas accipiunt, quæ quomodo contra nativam alioquin indolem aſcendant, pariter, dum de fluminibus egimus, explicatum eſt. Talis verò lacus obſervatur in Carpati montis cacumine oculus maris aliis appellati, cui etiam grandium ſæpè navium fragmina innatant, etſi à mari remotiſſimo. Credibile eſt, has naufragiorum reliquias occulto ſubterraneo meatu illuc deferri. Admiratione pariter digniſſimum eſt, reperiri præterea & alia in his ſummis montium faſtigiis, quæ maribus & fluviis profundis propria ſunt. Sic in altiſſimis Veronenſium Alpium jugis non pauca conchylia reperiri refert Hieron. Hirnhaim de Typho Gen. humani c. 9. Zeilerus quoque memorat, prope Galliæ arcem Cadilac ad *Garonnam* flumen ſitam, montem haud mediocris altitudinis aperto undique campo inſiſtere, qui ex meris oſtreorum conchylibus coaluerit.

Quæres octavo. Quænam ſint reliquæ montium affectiones? Reſpondeo, varias omnino & multiplices ab Authoribus adferri, majori tamen ex parte fabuloſis, credo, commentis adſcribendas, dum ad principia meteorologica revocari nequeunt. P. Joannes Paës in ſua Abyſſinorum Hiſtoria ingentem rupem parabolicè excavatam, quæ ad 50. paſſus ſubmiſſam vocem reddere poſſit, deſcribit. Clamantium vero ſonus adeo intenditur, ut vox exercitus alicujus putetur. Occultam hanc vim reſonantis montis propè noſcentes ſacrificuli, homines occultis hujusmodi vocibus de rebus ſuturis admonent, qui ſe Numinis voce admoneri credentes, non raro, ubi juſſa exequi incautius properant, in maximas calamitates devolvuntur. In Helvetia propè Lucernam mons tumet, cujus voragini immiſſus lapis, grandes evocat tempeſtates; quod ſi ita, credibile eſt, ſub voragine illa paludes quasdam abſcondi, quæ tenui etiam motu copioſe evaporent, & ſic uberem pluviis materiam præbeant; maxime cum ſimiles montes ob halituum abundantiam raro ſereni, ſed perpetuâ tecti nube videantur. De ſimili monte apud Tartaros ſito etiam narrat Vincent. Bellovacenſis, in quo pariter foramen quoddam eſſe dicitnr, ex quo hyberno tempore tantæ tempeſtates ventorum emergunt, ut homines illinc vix, & non niſi cum periculo manifeſto tranſire poſſint.

P. Hazart in Annal. Eccl. de Peru commemorat in Americæ Peruviana quadam Provincia dicta *De Los Conchucos* rupem ſaxeam reperiri, ad cujus pedes nigerrimi coloris materia excreſcit, cui vero mira ludentis naturæ induſtria & artificio lapilli candidi immixti ſunt. Illa autem materia nigri coloris venenum eſt atrociſſimum. Lapilli vero candidi ſaluberrimum contra venena, & quascunque infirmitates ſunt antidotum. Unde ab incolis lapilli hi candidi magni æſtimantur; Eſtque hoc præterea admirandum, quod ablatis alii brevi renaſcentes denuo in iisdem locis ſuccedant.

In Tranſylvania eminet mons inter loca volgo *Hunlam & Waſchell* dicta, cujus vertex variorum colorum lapillos magnitudine cruciferi progenerat, qui ubi ſcinduntur, Turcicis characteribus ſignati ſpectantur. Ita Zeilerus. Refertur etiam, in Gareota Scotiæ Regione eſſe montem *Doundor* nomine, qui ab incolis aureus dictus, eo quod oves in eo flavæ ſint habentes dentes coloris plane aurei, carnes vero velut croco tinctas. Sic pariter narratur de monte quodam in conſpectu urbis *Queixan*, à Saxeis hirundinibus *Xeyen* appellato, ubi quoties cœlum imbres depluit, lapides reperiuntur figuram hirundinum referentes, mirè ad certos morbos depellendos ſalutares. Norunt etiam ſagaciores, maſculas hirundines in lapidibus expreſſas á fœmellis diſcernere. Omitto plura, quæ referre potius Hiſtorici eſt, quam Philoſophi. Reliqua vero quæ hic adhuc quæri poſſent, vel jam in præcedentibus reſoluta ſunt, vel in ſubſequentibus, uti de montibus ignivomis, reſolventur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Magnates non ſunt irritandi.

68.

N. 68.




W. J. Kadoriza del.

SAcratus eſt Principum vertex, unctus in organum Dei: hominum rector ac caput, tantum excellit homines, quantum homines bruta. Artifex eſt communis boni, arbiter publicæ felicitatis. Ejus humeris Deus impoſuit orbem, vicarium fecit ſuæ providentiæ. Virgam ei tradidit juſtitiæ Syngrapham, & fulmina ſubminiſtravit, ut jaciat in reluctantes. Sic tamen juſtitiæ vindicis arma geſtat, ut armata potius clementia parcat, quàm puniat. Ætnæ ac Veſuvii naturam Princeps gerit: externa facie nives ac gelu induit, clementia & patientiâ alget: Quaſi frigeret ad juſtitiam, & gelaſceret ad pœnam: totus glacies eſt. At viſcera Ætnæ perenni incendio æſtuant: extra friget, ſed viſcera flagrant. Facilè flammas evomit, cum domeſtica penus incendium ſit. Montes inter homines Principes eſſe, quis neget? ſunt enim ex hominibus toto vertice ſupra. Sicut pro omnibus, ſic præ omnibus eminent, faſtigia mortalium. Divinitatis ſunt ſtatuæ, vitales Reipublicæ ſpiritus, aurea numinis ſimulacra, humani generis excubiæ, ex hominibus primi, ſecundi poſt Deum. Hæc ſpirantia divinitatis ectypa, cum mera in ſubditos viſcera ſint, ſicut contemnere ſacrilegium, ita irritare improbitas eſt. Velut faces in publicos ſe uſus conſumunt: velut fontes nil ſibi reſervant: velut montes in ſubjectas ſe valles effundunt Principes: quia eorum præeſſe, eſt prodeſſe. Quis ergo impunis irritet? utut miſericordiæ viſcera gerant, & ardeant charitate: attamen flammas nutriunt, ut vindicent ſeveritate. *Ignem gladio ne fodito*, dicebat Pythagoras. Irritare Dei Internuncios, eſt flabellum igni addere, aut Ætnæ januam pandere, ut gravius erumpat. *Sicut flamma,*

*ma quo magis exagitatur, hec magis atque magis invaleſcit: ita iracundia exagitata ſemper fit ferocior atque immanior.* Duratur ſub malleo adamas: exaſperatur à duræ frontis ſubdito natus ad amandum animus Regius. Verum eſt Publii verbum: *Diog. Laërt.*

> *Mutat ſe bonitas, cùm irrites injuriâ:*
> *Bonus animus læſus gravius multò iraſcitur:*
> *Furor fit, læſa ſæpius patientia.*

Quid apibus ſuavius? matres ſunt dulcedinis,& melleæ genitrices, at concitatæ non ſunt diſarmatæ. Armata eſt illarum clementia conjungunt vulnera melli: qui ſuavitatem perſequitur, aculeum irritat. *Potentum ira, & indignatio non eſt commovenda*, monet Plutarchus. Hos enim qui exaſperat, offendit *liberos Jovis.* Anima populi, Caputque hominum, ſidus generis humani, & umbra Deitatis, nonne reverentiam exigit, & majeſtatem explicat? Quantum intereſt inter animum & fæcem corporis: ille divinus, iſtud ſqualidum. Quantum inter caput & pedes: illud ſenſuum metropolis, mentis capitolium; hi oneri & ſolo nati. Quantum inter Solem & minutas Plejades: ille oculus mundi, totius jubaris penus; iſtæ infidæ & luminis avaræ. Tantum differt Rex à ſubdito, Princeps ab homine vulgari. In hunc conjicere contumelias, majeſtatem irritare crimen eſt. *Tange montes, & fumigabunt:* ignea eſt ira Principis, & cum ignis ſit levis, tamen *gravis ira Regum eſt ſemper*: Nam: *Fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia.* Durius excipitur retenta diu, atque contra opinionem benigni Principis ſtricta romphæa, quam torva ſemper facies, quæ nunquam ſerenum micat: improviſa eſt illa, hæc in aſſuetis. *Eripere telum, non dare irato decet.* *Plut. apud Diog. Laërt. l. 8.* *Pindarus* *Seneca.* *Publius.*

Ne tamen tyrannis ſit ira tua, ſic punias, ut miſericordiam non exuas. Irritatus non in flagranti caſtiga, ne incendium videatur. Maximum judicis decus eſt mora. Poteſt pœna dilata exigi, non poteſt exacta revocari. Præcipitata in Theſſalonicenſes ſententia Theodoſium docuit legem ſancire: *Si vindicari in aliquos juſſerimus, nolumus ſtatim eos ſubire pœnam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit.* Sero lacrymatus eſt Alexander, Clytum præcipiti furore ſublatum. Cum Monocerote lanceam intra oculos feras, ut præ oculis iram habeas. Laus eſt Ferd. II. Imp. Auſtr. *Factum eſt, ut quos humanitate ad loquendum invitabat, majeſtate faceret elingues. Tartarorum Regis Legatus obmutuit: fulgore ſe fuiſſe victum confeſſus, quo Cæſaris majeſtas emicabat. Sic terreas majeſtate, ut non exanimes.* *Publius.* *In Codice Theod.* *Sozomen.* *Lamorm. c. 22.*

# QUÆSTIO II.

## *De ſpeluncis & ſubterraneis meatibus.*

Ex montibus ad ſubterraneos meatus deſcendimus, de quibus quæres primo, quæ ſit illorum origo? Reſpondeo non minus hos in intimis terræ viſceribus, quam montes à provida numinis diſpoſitione ad neceſſaria rerum naturalium commercia conſtitutos eſſe. Novæ tamen interdum cryptæ, antra & ſpeluncæ rupto interioris telluris pariete ſeſe aperiunt, quod variis ex cauſis contingere poteſt, ut bene obſervat Cardanus de ſubtil. lib. 2. fiunt, inquit, terræ motu in arido facto, dehiſcente terra; item aquis per montium occulta decurrentibus; unde in aliquibus flumina ſunt; fiunt & exhalatione ignea, quæ lapides tum urit, tum exedit, tum expellit.

Quæres ſecundo. Num ſubterranei hi meatus etiam virtute aliqua polleant? Reſpondet Kircherus Mund. ſubt. lib. 2. cap. 20. affirmative, accipereque virtutem ſuam non niſi ab aliquo intimo ingentique antro, ſive id Hydrophylacium, ſive Pyrophylacium fuerit, per meatus longe porrectiſſimos derivatos, & pro ratione terrenæ ſubſtantiæ, per quam dicti meatus traducuntur, obtinere. Hinc nonnullæ cavernæ ſucco petrifico loci conditioni proprio omnia in ſaxa convertunt. Aliæ aromatico odore mirum in modum recreant; aliæ aliis affectionibus dotatæ ſunt. Sic teſtatur Seyfrid in medull. mirab. Naturæ oppido Vellenſi Noricis addicto vicinam ſat amplam ſpecum adjacere, in qua tres magni lacus ſe diffundunt. Medica hic terra eruitur, uti & mortuorum animalium oſſa, quæ variis infirmitatibus medentur. Kircherus in Arte Magnet. lib. 3. p. 7. c. 4. §. 2. mirabilem pariter ſpeluncam vulgo la *Grotta delli Serpi* appellatam deſcribit. Duorum hominũ hæc capax fiſtuloſis quibusdam foraminibus in cribri formam perforata cernitur, ex quibus ingens quædam principio veris diverticolorum

lorum ſerpentum progenies, veneno tamen im̃unis, quotannis pullulare ſolet. In hac ſpelunca elephantiacos, leproſos, paralyticos, arthriticos, podagricos, ſimilibusque deſperatis membrorum affectionibus laborantes nudos exponere ſolent, qui mox halituum ſubterraneorum calore in ſudorem reſoluti, ſerpentum propullantium, & totum corpus infirmi implicantium ſuctu, linctuque ita omni vitioſo humore privari dicuntur, ut repetito hoc per aliquod tempus medicamento tandem perfectæ ſanitati reſtituantur. Notum eſt de Crypta D. Pauli in Inſula Melitenſi. Terra huic candidiſſima eſt, quæ adverſus toxicum propulſandum remedium eſſe præſentiſſimum celebratur.

Quemadmodum vero cryptæ quædam ſalutiferis qualitatibus ſunt præditæ, ita & aliæ noxiis humoribus abundant. Talem inter Neapolim & Puteolos, ubi via ad Paludem *Agnani* inflectitur, ſpecum eſſe commemorat Cardanus de ſubtil. lib. 2. quam ſubeuntibus mire caput læditur. Eſt & apud Phrygiæ *Hierapolim* terræ hiatus, ex quo ſe ſe promens ſpiritus lethalis, quidquid acceſſerit propius, enecat confeſtim. Mirabile, ſi fabuloſum non eſt, quod Olaus Magnus Hiſtor. ſeptentrion. lib. 2. cap. 4. refert, nempe eſſe cryptam ſubterraneam prope littoralem urbem *Viburgum*, *Smellen* dictam, quæ ejus occultæ virtutis eſt, ut animali vivo in ipſam projecto tam horribilis ſonus in ea excitetur, ut prope adſtantes fragore pæne exanimet. Hinc ingruente hoſtilitate præfectus terræ jubet ſubditorum aures cerâ obduci ac ſe ſe cellariis ac antris abſcondi; demum ſe muniens, animal aliquod vel haſta, vel ſune præcipitat in os ſpeluncæ. Mox tam horrido mugitu perſonat antrum, ut fragore perculſi hoſtes in terram ceu mactanda pecora collabantur. Narratur etiam de antro Puteolano, adeo craſſis abundare exhalationibus, ut animalia illata quaſi in momento ſtupefacta ac demortua comperiantur, ſubito vero, ac in vicinum Agnani lacum ſubmerguntur à ſtupore liberata reviviſcunt. Hinc vult Cardanus, plerasque ſubterraneas cryptas humano generi adverſari, & venenoſis humoribus pollere, nam, inquit, de ſubtil. lib. 20. ſi halitus ille lapides, & duriſſima ſaxa exedere potuit, quam vim in mortales ipſos obtinebit? Accedit, quod veluti ſtagnans ibidem aër facilè computreſcat. Unde

Quæres tertio. Quâ ratione dignoſcantur cryptæ venenatæ & ſalutares? Reſp. ſi vel faces non ardent, vel facile rurſus extinguantur, ſignum eſſe, aërem lethiferis exhalationibus multum infectum; intoxcitatus enim aër difficulter repurgationem, quam ignis adfert, admittit. Unde ſatius eſt, ut inquit Cardanus, ſimiles ſpecus non ingredi. Econtra indicium ſalubritatis eſt, & ſalutarium cryptarum, ſi aquæ dulces ſalutares per illas permeant. Item herbarum, ac arborum ſalutiferarum in ipſis luxuria. Cœterum ex antris ſubterraneis ſæpe etiam peſtis & contagio naſcitur, dum eorum fauces maxime per terræ concuſſionem reſerantur, & exhalationes ſuas putridas, mineraliumque venenatorum qualitatibus infectas in radices, plantas gramina, & arborum fructus eructant. Quæ deinde in alimenta aſſumpta, ſanguinem inficiunt & corrumpunt, ac tandem peſtiferam luem progenerant.

Quæres quarto. Num nix & glacies ac grando in ſpecubus generetur. Reſpondeo affirmativè, quod tunc ſolet contingere, quando exhalationes in frigidam & nitroſis ſpiritibus refertam cryptarum fornicem impingunt, cujus frigore, priusquam in aquam diffluant, in niveos floccos condenſantur. Quod ſi vero vapores in recidentem quaſi pluviam fuerint converſi ſuperveniente frigidiori ventorum flatu, etiam in grandinem & glaciem contrahuntur. Meteorum hoc in montis Sorani crypta obſervatur, quæ veluti glacie incruſtata eſt, ingentibus in fornice hinc inde ſtiriis dependentibus. Conficiuntur ex his æſtivo tempore peropportuna pocula, quibus infuſa aqua vel vinum quantocyus referigeratur. Similes ſpecus ad montem Ætnam plures viſuntur, in quibus ſervatur nix ab incolis; inter quas eminet *Grotta nouva & Grotta delle neve* uſibus Catanenſium in æſtate inſervientes.

Quæres quinto: Unde ſoni, qui quandoque in ſubterraneis meatibus cymbalorum inſtar inaudiuntur, proveniant? Reſpondeo, ſonos hos muſicos probabiliter ex eo provenire, quod variis & differentis magnitudinis canalibus cavernoſa antra ſint inſtructa, in quos velut in organi alicujus fiſtulas immiſſus ventus, ubi conſtringitur & coarctatur, in varios ſonos prorumpit. De tali ſpelunca in Britannia teſtatur Clem. Alexand. quæ cymbalorum numeroſe pulſatorum ſtrepitum ad venti ingreſſum ſolet æmulari. Memorat etiam Fournier Geograph. Orb. not. lib. 5. cap. 15. in *Barri* inſula ad Walliam Auſtralem rupem quandam marinam eſſe, quæ ſe in modicam rimam diducit, cui ſi auris applicatur, obſervatur quaſi fabrilis officinæ tumultus, nunc ſollium flatus, nunc repetitus malleorum ictus, ortus nempe ex multiplici halituum & ventorum reflexione ac ad cryptarum latera alliſione auctus.

Reliqua, quæ quæri poſſent, ut de magnitudine, ſtructura, forma ac mirabili partium conſtitutione, Hiſtoricis relinquenda ſunt, unum, alterumve duntaxat curioſo Lectori ſubnecto: Narrat Americana Hiſtoria de montibus *Andium*, quod in his horrida antrorum receptacula tantæ cavitatis reperiantur, ut integris Regionibus in terrena ſuperficie non cedant.

dant. In illis quoque ingentes maximorum fluminum cataractæ obſervantur, quæ tanto fragore ſe in ima præcipitant, ut nihil in mundo terribilius ſe audiviſſe teſtentur foſſores. Inter alia mirabilia memoratur, naviculam ibidem aliquando eſſe inventam, unde vero & quomodo huc invecta nemo conjecturare potuit. Veriſimilius tamen Kirchero videtur, eam Oceani Pacifici, aut Atlantici vorticibus hauſtam per continuatum aquarum in ſubterraneis meatibus fluxum huc transportatam eſſe. Memorat etiam Boëth. in deſcriptione Scotiæ in *Fiſe*, Regionis Scotiæ æſtuario ſitum eſſe ſcopulum anguſto aditu vix piſcariam navem recipientem, qui mira in ſe ſpectanda præbet domicilia, quaſi hominum induſtria exſtructa, cum à natura ita excavatus & elaboratus ſit. Avium præterea, quas vernacula lingua *Solandes* appellant haud abſimilium iis, quas aquilas aquatiles vocat Plinius, in eo ingens copia inhabitat. Incipiente vere tantam lignorum ſtruem comportare dicuntur, ut auferentibus ſatis in annum ex ea parte proſpectum ſit. Inventus fuit etiam, eodem teſte Boëthio, olim in ea rupe lapis poroſus in formam ſpongiæ, ex altera parte concavus, cui, ſi marina infundebatur aqua, ea percolata dulcis & potui apta perfluebat.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Virtus latere neſcit.

CAlumniantum jaculis virtus ſemper ut meta expoſita eſt. Nemo virorum illuſtrium vixit, quem non gravis quandoque fama perſtrinxit. Etiam rectiſſima in aquam demerſa viſentibus redduntur curva. Fieri non poteſt; ut quis omnibus placeat, ac non permultorum in odia incurrat. *Virtutis nempe & gloriæ comes invidia eſt*, Tullius. Nequit rectis oculis hujus ſplendorem ferre fatalis hæc noctua; omnes admovebit fraudum machinas livor, quibus pretium virtuti tollat, radios minuat, & ſub altis umbris ſtruat ſepulchrum. Verum fluminis hæc imitatur indolem, quod in montium cavernas, & ſubterranea clauſtra demerſum, *in lucem emergit rurſus.*

*Cicero.*

*Numquam ſtygias fertur ad umbras*
*Inclyta virtus.*

*Sen. Herc Fur.*

*Gloria virtutem tanquam umbra ſequitur*, teſtatur Cicero. Poteſt candidus undæ decurrentis liquor ad tenebricoſa præcipitari antra; poteſt abſcondi & latere ad tempus, at non ſiſti, & petroſo carcere conſtringi. Pergit ille, quo cæpit curſu, elatis cornibus aquas propellere, quin imo magis præcipiti fertur impetu, quo anguſtiori viarum anfractu coarctatur, donec tandem in publicam camporum planitiem rurſus eluctetur. Poteſt benemeritæ virtutis curſus ad anguſtias redigi, ſed non ſiſti, premi, ſed non opprimi, arctari, ſed non coërceri. Erumpit tandem in lucem, & ſuum orbi oſtendit pretium. Audi Romanam facundiam: *Virtus in tempeſtate ſæva quieta eſt, & lucet in tenebris, & pulſa loco manet tamen atq; hæret in patria, ſplendetq; per ſe ſemper, neq; alienis unquam ſordibus obſoleſcit.* Exerunt inſolentium vaporum, nubiumque turmæ ſuas nonnunquam in Solem vires, & denſo agmine cœlum obſident, at non diu perſtant umbratica hæc valla; dum nimirum occiduum illud ſidus heſternas vires colliget, & copioſo fulgore inſtar jaculi obſtantia ſolvet: *Adverſus virtutem*, inquit Seneca, *hoc poſſunt calamitas, damna & injuriæ, quod adverſus Solem nebula poteſt.* Et rurſus: *Sola virtus præſtat gaudium perpetuum, ſecurum, etiamſi quid obſtet, nubium modo intervenit, quæ infra feruntur, nec unquam diem vincunt* Alta Heroum indoles, non terretur his mendaciorum jaculis, ut vates canit:

*Cic. pro Sext.*
*Sen. ep. 29*
*Idem apud Lipſ. l. 3. Manud. diſſ 5.*

*Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.*

*Ovid. 4. Faſt.*

Eſt Olympus his omnibus ſuperior, nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem, ſemper illic ſerenum. Novit *regium eſſe*, ut Alexander Magnus dicere ſolebat, *cùm bene feceris, male audire.* Imbecillis animi inde arguitur Chryſippus, qui rogatus, cur non adminiſtraret Rempublicam, dixit, quia ſi quis male rexerit, Diis diſplicebit, ſin benè, civibus. Aliter Fabius, qui ſuum Imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecundâ famâ malè rem gerere. Aliter Severus Imperator, diligens in rebus gerendis, negligens in requirendo, quis ſermo de ſe haberetur.

*Plutarch. in apoph.*
*Stob. ſerm 43.*
*Valer. Marc. l. 5 c. 3.*
*Dio Caſſ. l. 76.*

Claud in Conſ. Mall. *Ipſa equidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè*
*Fortuna ſecura nitet, nec faſtibus ullis*
*Erigitur, plauſuque petit clareſcere vulgi.*

66.

N. 69.




Verum dum & hunc non exoptat, ſuoque contentus vivit interno pretio, maxime conſequitur. (Plutarch.) *Eximiam virtutem*, ait Plutarchus, *ſponte ſequitur ſuum decus* Imo & preſſa altius cum palma ſurgit. Non urit, ſed auget decorem lini Asbeſtini flamma. Teruntur gemmæ, ut niteant; inter torrentis ſaxa refulget Sardonyx. Ab ipſo ictu clareſcit Silex. Fortitudine, conſtantia, longanimitate & patientia quæri debet, quod gratia impetrari nequit. *Fortiter enim qui malum patitur, idem poſt patitur bonum*, inquit idem citatus Author. Quisquis igitur in obſcuro verſaris, lucem non deſpera. Prodibit ex umbris virtus illuſtrior. Non niſi per adverſa hæc graditur, & ſemper ab accepto vulnere firma magis. *Ut aremata*, ait Livius, *longè lateque odorem emittunt, ſi teras, ſic virtutis fama diffunditur, ſi premas.* Nihil ſibi videri, dicebat Phalereus Demetrius, infelicius eo, cui nihil in vita accidiſſet adverſi. *Quare tu ne cede malis, ſed contra audacior ito*, fluminum more, quæ non ſiſtunt, ſed incœptum conſtante tramite peragunt iter.

Silveſ. *Explorant adverſa viros; perque aſpera duro*
*Nititur ad laudem virtus interrita clivo.*

Quod Æneas, Trojanus ille Heros commilitonibus, terræ mariſque erroribus fractis, dedit monitum, tibi dictum puta: *Virgil. in Æneid.*

*Durate & vosmet rebus ſervate ſecundis.*

# QUÆSTIO III.

## *De ignibus ſubterraneis.*

Concluſio prima. Extra controverſiam eſſe videtur, multos & maximos ignes in terræ viſceribus latere, conſtat enim vel ipſa oculorum experientia, dum videmus eos haud infrequenter tum ex montibus, tum ex lacubus, fontibus, aliiſque ſubterraneis meatibus eructare; quæ vero horum ignium ſit materia & pabulum, & quomodo accendantur, mox in ſubſequentibus exponemus. Cæterum cùm in centro terræ igneus divinæ Nemeſis carcer ſit ad impiorum crimina punienda præparatus, probabile etiam eſt, ſpiracula quædam eſſe, per quæ magnus hic igne & ſulphure exardeſcens lacus evaporat, quæ fortaſſe ea ipſa apud nos loca ſunt, e quibus continua eructari incendia ſpectamus.

Concluſio ſecunda. Fomes ſeu pabulum horum ignium, qui ſub terræ ſpecubus gignuntur, ex mente Georgii Agricolæ lib. 4. de natura eorum, quæ effluunt ex terra, duplex eſt, videlicet ſulphur & bitumen. Eſt autem ſulphur duplex, unum foſſile ac ſponte naſcens, quod vivum appellant, alterum factitium, de quo hic quæſtio non eſt. Foſſile, quod ad inſtitutum noſtrum pertinet, multis in locis reperitur, ut paulo poſt dicemus; exterius colorem habet ſubcinereum, interius cùm frangitur ſubluteum, nitedulæ modo collucentem; ſapor illi eſt ſubpinguis, ſed injucundus, odor gravis; halitum adeo fœtidum exſpirat, ut niſi aperta ſint montium ſpiracula, foſſores illicò interimat. Hinc ob inſitam ſiccitatem & calorem magna illi cum igne affinitas; unde ejus fragmenta lignis vel carbonibus inſperſa, flammam ex intervallo ad ſe pertrahunt. Narrat. Plinius l. 35. c. 15. Anaxilaum ejus artificio luſiſſe in convivio; nam ſulphur in calice novo prunâ ſubditâ circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum velut defunctorum offudit convivis. Quod ad bitumen attinet, ſuccus hic eſt admodum pinguis & calidus, liquoris oleacei, & aërei; adeò ut interdum aquis innatet, multum pariter cognatus naturæ ignium, quæ cognatio potiſſimum apparet in quadam illius ſpecie, quæ Naphtha dicitur, circa Babyloniam & in Auſtagenis Parthiæ profluens, in quam ignis è longinquo tranſilit, referente Plinio lib. 2. c. 105. Ratio vero, cur hanc ignibus ſubterraneis materiam adſtruamus, eſt, quia pænè omnia loca, in quibus exhalationes igneæ, & ſubterranea incendia obſervantur, bitumine & ſulphure feracia deprehenduntur. Et quamvis etiam ſaxa, aliaque his ignibus in fomentum & pabulum ſunt, hæc tamen illorum præcipua & potiſſima materia eſt. Ex his vero bitumen ad alendam & conſervandam flammam conducibilius eſt ob ſuam pinguedinem, & viſcoſitatem, qua & uberiorem præſtat fomitem, & in aquis ardet, unde artificioſis ignibus, qui & inter undas flagrant, ſemper aliquid bituminis admiſceri ſolet. Hinc ignis, qui Claudio Nerone Cæſare in agro oppidi Ubiorum exortus arva & vicos exuſſit, teſte Corn. Tacito lib. 13. annal. nec pluviis, nec fluvialibus aquis, nec alio quovis humore poterat extingui, ſed ſaxis, & pannis, ob bituminoſam nempe materiam; nam bitumen rebus ſiccis extinguitur, aquis alitur; ut ſulphur cito conſumitur, & accenſum, ſi ei aquam inſtilles, emoritur:

Concluſio tertia. Probabile eſt, ſubterraneum ignem inflammari partim ab exhalatione, ſpirituque cavernis incluſo, qui dum exitum quærit, ipſo attritu incaleſcit, & accenditur, idoneamque materiam nactus, late ſpargitur & durat. Quandoquidem motus non caloris tantum cauſa eſt, ſed etiam flammæ, cum in materiam idoneam incurrit. Sæpè etiam exhalationes hæ per antiperiſtaſin frigoris, dum ab eo in locorum anguſtias coguntur, inflammari poſſunt. Alii etiam volunt, ſubterraneos ignes à Sole per intimum, occultumque calorem accendi, quod opinari difficile eſt, cum, ut ex dictis conſtat, ſolares radii non procul ultra terræ ſuperficiem in abditos telluris receſſus penetrent, aut tantâ virtute in bitumen & ſulphur agere poſſint, ut flammam excitent. Illud tamen non improbabile eſt, ut ſuperius obſervavimus, illos ignes poſſe ex inferorum quoque ſpecubus educi, ut docet P. De Rhodes, dicens, ex probatiſſimis hiſtoriis conſtare, defunctorum animas ſæpè in hujusmodi ſpecubus cruciari, viſos etiam illic non raro dæmones; quod confirmat ex relatione Petri Damiani opuſc. 12. c. 9. Servus DEI (inquit) habitabat ſolitarius in prærupta rupe Regionis Neapolitanæ juxta publicam viam, qui dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram cellulæ horarum

rarum explorator aperiret, multos videt nigros homines tanquam Æthiopes iter capere, longoque tractu onuſtos ſagmarios comitari; cumque illos curioſus inquireret, qui eſſent, cujusve rei gratia hæc jumentorum pabula devectarent; maligni, inquiunt, ſpiritus ſumus, & paramus non pabula pecoribus alendis, ſed tormenta potius ignium hominibus comburendis: præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulphum, qui jam decumbet, & Joannem Magiſtrum militum Neapolitanæ, qui adhuc incolumis vivit. Uterque paucis poſt diebus moritur, & ſtatim eructat Veſuvius. Et cap. 10. narrat, Presbyterum, qui matrem ſuam Beneventi reliquerat ægrotam, iviſſe Neapolim; ac ibi cum exundantibus flammis intenderet clamorem lugentis audiviſſe, quem procul dubio matris eſſe cognovit; notavit horam, & eadem matrem eſſe mortuam comperit.

Quæres primo: Utrum hujusmodi ignes ſubterranei aliquam inter ſe habeant differentiam, ſaltem accidentalem? Reſpondeo affirmative, ratio eſt, nam quidam intra ſpecus latent, nec ſe produnt, ſed occulte exedunt terræ viſcera; alii foras emicant; quidam nullam evomunt materiam; alii cineres ſulphur, pumices, ſaxa, ferri maſſas eructant; quidam noctu, diuque incendia oſtendunt; alii noctu tantum; quod ea Solis luce, quæ minora lumina abſcondit, offundantur. Quidam in eminentioribus duntaxat terræ partibus hærent, alii in profundo. Quidam perpetuo ardent, alii per intervalla. Plerique nonnihil ad tempus remittunt propter fomitis inopiam, deinde reſumptis viribus efferveſcunt.

Quæres ſecundo. Quomodo prædicta materia ſubterraneis ignibus perpetuo ſubminiſtrari poteſt? Reſpondeo, fieri hoc duplici modo poſſe; primo ab aqua marina, quæ cum pinguis & oleoſa ſit, multum ſulphuris ac bituminis habet, inter viſcera enim v. g. montium antra & hiatus profundi excavantur, aquis pleni ex mari illuc delatis per ſubterraneos canales, quæ cum ſint pingues & oleoſæ, poteſt hujusmodi materia continuo ſubminiſtrari. Ideo in Inſulis & locis maritimis frequentiores hujusmodi ſpectantur ignes; & hinc eſt, quod aliquando flammæ admixtæ undis erumpant; & aliquando incendia deſinant in lacus, & ubi magnæ fuere olim civitates, quæ terræ motibus & incendiis ſubverſæ ſunt, nunc triſtes & ſulphurei exiſtant lacus. Secundo, poteſt perpetuitas pabuli talium ignium deſumi ex eo, quod in concameratis teræ cavernis materia bituminoſa, & ſulphurea abeat in tenues flammas, & hæ, quia converti nequeunt in aërem utpote intercluſæ, rurſum decidant converſæ in ſulphur, & bitumen; iterumque elevantur in flammas, & iterum decidant in ſulphur, & bitumen concurrente ad id ſitu, ac temperamento humido & oleoſo cavernæ. Ratio deſumitur à pari, nam ſimili circulatione gignuntur etiam intra montium viſcera perennes aquarum ſcaturigines, ergo etiam ſic poterunt gigni perennes ignium fontes.

Quæres tertio: Occaſione prioris Quæſiti, utrum aliqua arte poſſit confici lampas, vel candela, quæ perpetuo ardeat? Affirmant nonnulli maxime Hiſtorici variis exemplis rem comprobantes. Sic memorat Solinus, erutum quondam ſepulchrum, in quo candela ſuper 1500. annos ardens, ut inſcriptio teſtabatur, inter admotas manus in pulverem deſiit. Ita etiam Pancirollus lib. de reb. memorabil. p. 1. tit. 35. ita de lampade reperta in ſepulchro Tulliæ filiæ Ciceronis in hæc verba ſcribit: præparabant etiam veteres oleum incombuſtibile, quod nunquam conſumebatur. Id noſtra quoque ætate ſedente Paulo III. viſum fuit; invento ſcilicet ſepulchro Tulliæ filiæ Ciceronis, in quo lucerna fuit etiam tunc ardens, ſed admiſſo aëre extincta, arſerat autem annos plus minus 1550. Simile quid narrat Baptiſta Porta lib. 12. Magiæ cap. 13. Noſtris temporibus, inquit, circa annum 1550. in Neſide Inſula ſepulchrum marmoreum repertum eſt cujusdam Romani, quo recluſo, phiala intus reperta eſt, in qua lucerna adhuc ardebat; rupto & viſo aëre exſtincta eſt, quæ ante Salvatoris noſtri adventum clauſa fuit. Sic etiam in Britannia Minervæ delubrum perpetuo igne illuſtratum legitur. Romæ pariter in Veſtæ, Delphis in Apollinis, Athenis in Minervæ continuos arſiſſe ignes hiſtoriæ teſtantur. Vide P. Bernardum Cæſium lib. 2. de Mineral. c. 7. ſect. 20. ubi de phiala Neapolitana mentionem facit. Item P. Delrium Disquiſit. Magicar. lib. 1. c. 5. q. 1. ſect. 1. ubi de urna Patavina ſequentia ſubjungit: Mihi quidem dubium non eſt, liquorem illum Olibii Maximi, cujus beneficio lucerna multis ſæculis fuit conſervata ardens, chymicum fuiſſe; de quo Bernardus Scardeonus in hiſtoria Patavina ſcribit, &c. Accedit authoritas D. Auguſtini de Civit. Dei lib. 21. c. 6. ubi humana arte fieri poſſe hujusmodi ignes perpetuos non negat.

Circa

Circu modum verò ignem hunc, ejusque materiam conficiendi, variæ opiniones ſunt. Quidam oleum metallis extractum, ſuccenſumque perpetuo arſurum aſſerunt. Alii ex amianto lapide in oleum diſtillato materiam incombuſtibilem fieri volunt. Nonnulli, quia ſal oleo injectus lampadem diuturniori tempore ardere, & tardius extingui ſinit, opinati, oleum è ſale uſuali exuctum fore perpetuum. Jonſtonus ſequens mixtum præſcribit: Sulphuris, & aluminis calcinati uncias 4. è quibus ſublimatis flores colligit. Florum ſextantem cum ſemiuncia jungit Boraci cryſtallino Veneto unciali, inque concha vitrea contritis affundit, ſpiritum vini quater diſtillatum, & facta digeſtione, abſtracto illo, novum reponit, idque repetit bis, ter, vel quater, donec nempe ſulphur in ærea lamina candefacta ſine fumo inſtar ceræ fluat. Hoc pabulum, inquit, eſt. Ellychnium porro ſequenti modo conficit: Asbeſti lapidis filamenta longitudine digiti auricularis, craſſitie vero media colligat, veneto ſulphure imbuit, tumulat, & in arena calente horis 24. decoquit, ebulliente ſemper ſulphure; delibutum ſic ellychnium diſponit in concha vitrea, ut emineat paululum; aggerit ſulphur præparatum, concham in arenam calentem infert, ut ſulphur liqueſcat, & ellychnium comprehendat. Hoc ſemel accenſum jugi flamma arſurum credit, quocunque lampas hæc loco reponatur. Pater Cæſius vero in Minerologia hunc modum tenet, vitrea phiala liquore tenuiſſimæ ſubſtantiæ, ſulphureæ, vel piceæ, quæ ſit minimæ evaporationis, repleatur, & ſpeculis, vel igne, vel motu accendatur. Flamma hæc ſemel accenſa nunquam extinguetur, tum, quia vitrum nullus ſubire poteſt aër, qui flamma ſopita vacuum phialæ repleret, tum quia pabulum igne ſolutum, cùm in aërem abire non poſſit, redibit iterum in alimentum ignis. Sicut dum argentum vivum igni impoſitum, in fumum & vaporem ſolvitur, hic frigidis receptaculis exceptus, rurſus in argentum vivum convertitur. Eandem ferme formulam præſcribit Baptiſta Porta citatus.

Salva tamen tantorum virorum authoritate verior opinio negativa eſſe videtur, nam primo quis credat ardere oleum, nec tamen conſumi, cum ſuum ignis alimentum continuo depaſcatur, nec aliud ſit ardere, quam alimentum in fumum reſolvere. Secundo conſtat experientia ignem non minus aëre libero, ac alimento indigere, ut benè obſervat Honoratus Fabri tract. 5. l. 2. p. 149. cùm enim, inquit, ignis purus non ſit, ſed cum humore conjunctus, hic ſane rareſcens, vel avolat, ſi patet exitus, vel ſi omnis exitus obſtruitur, quaſi repercuſſus partes ignis dirimit, ac proinde ignis ſuffocatur. Ita ille. Nec arte fieri poteſt, ut flamma in halitum abeat, qui deinde in oleum concreſcat, nam, pergit idem, ſi oleo imbutum ellychnium accendatur, halitus è flamma avolans in fuliginem abit: quia flamma mixtum perfectè reſolvit, quare partes de novo intra eundem plexum coire nequeunt. Cæterum, quod dictum eſt à Jonſtono de lychno asbeſtino, fatetur omnino ipſe Kircherus, ſimili per biennium ſine ullo defectu ſe uſum eſſe; licèt hic incombuſtibilis ſit, pabulo tamen nutriri ejus flamma debet, & quidem pariter inconſumptibili, quod nondum hactenus repertum. Unde & ipſe hic Author de igne perpetuo conficiendo deſperat, niſi fortè locus aliquis reperiatur, in quo copiam bituminis continuò ſtillantis natura recondiderit, ac in apta ab hoc diſtantia lucerna metallina conſtituatur cum lychno asbeſtino, ad quem ignem fovendum per tubum plumbeum continuo è fonte bituminis materia deducatur, hac ratione accenſum ſemel ignem, nunquam extinguendum promittit.

Hinc dicendum ad memoratas Authorum relationes de inventis lampadibus, eas non antea arſiſſe, ſed recens afflante aura primo accenſas fuiſſe, ſiquidem ita confici poterant, ut tellure tectæ ignem non conciperent, accedente vero aëre inflammarentur. Praxis præparandi hos ignes ſequens eſt: Lithargyrum, Tartarum, calcem, ac cinnabarim in aceto coque, donec acetum penitus exhalarit; tum clauſo vaſe igne vehementi materiam combure; repone, ut frigeſcat: poſt plures menſes, ſi aperueris, ubi materia hæc aërem acceperit, in flammam animabitur. Secundo, ſæpe in ſubterraneis cryptis non perpetui, ſed fatui tantum ignes ſunt, qui è cadaverum exhalationibus generantur. Sæpe etiam liquor aliquis ſalmonum pinguedini, noctu lucenti, aut cicindelarum tenebras illuminantium ſucco ſimilis lumen mentitur.

Quæres quarto: Qualia nam ſint loca ſubterraneis ignibus flagrantia? Reſpondeo, inter cætera hæc numerari. In Campania mons Veſuvius, qui horrendas aliquando efficit ſtrages. Hujus è propinquiori loco viſendæ & contemplandæ ſtudio Plinius auctor naturalis hiſtoriæ, Miſeni tunc agens (ut narrat alter Plinius nepos ex Sorore lib. 6. epiſt.) cùm domo longius fuiſſet egreſſus, cinere & fumanti vapore exanimatus concidit. In Hetruria proficiſcentibus Florentiola Bononiam mons aſſurgit, qui noctu, diuque fumum & flammam exhalat, etſi flamma non niſi nocte, fumus etiam die cerni queat. Prope Avernum mons modernus ſpiraculis patens fremit, & fumidam cum ignibus exhalationem fundit. Hiera,

 Lipa-

Lipara, Strongylæ continuis ardent flammis, quæ in medio etiam mari manent inextinctæ. Præ cæteris tamen Ætna mons Catanenſi littori adjacens cum horrendo fragore globos igneos late ſpargit, adeo ut centum aliquando paſſuum millia cineribus late compleat. Tres etiam in Islandia ſunt montes, quorum vertices perpetuis rigent nivibus, radices autem continuis ardent flammis; unus Hecla dicitur, alter mons crucis, tertius Helga. Haud procul Puteolis intra fauces montium planities in conſpectum venit, quam olim Plinius Campos Phlegræos á flammis & ardore vocavit; Cornelius autem Strabo *forum* Vulcani appellavit, ubi & antiqui Gigantes ab Hercule ſuperatos fabulati ſunt. Solum ibi paſſim flagrare conſpicitur, & magnos ubique cum ſulphureo odore fumos per plura foramina exhalare videtur, qui per omnem latè regionem ventis etiam Neapolim usque deferuntur. In eadem planitie ingens lacuna eſt, quæ continuo bullientibus, & nigro ſuo colore formidinem incutientibus aquis plena ſpectatur. Mirum & illud, voraginem illam aquas ultra humanam ſtaturam ad 8. vel 10. & adhuc plures pedes in pyramidis modum, easque pingues & ſulphurei coloris in altum evibrare, & hoc potiſſimum cùm mare æſtuat, non item, quando quieſcit. Spectantur etiam in his caminorum ductibus ſpiracula non pauca tum ventum, tum flammas eructantia. Nec illud prætermittendum, quod de Chinenſi quadam Provincia, *Xanſi* dicta refertur, in qua putei ignei non ſecus ac aquei paſſim in campis reperiuntur, ubi incolæ magno compendio, ac ſumptuum parſimonia cibos impoſitos coquere ſolent. Hoc vero, ut efficiant, putei orificium ita claudunt, ut præter ollam aut cacabum nihil aliud admittat, eo fine, ne calor per laxiora foramina diſſipatus obturatis ſtrictè terminis, magis magisque intendatur, atque ita nullo penè labore cibos intra breve tempus indigenæ excoquere ſolent.

Quæres quinto: Unde intervalla eruptionis ignium ex Vulcaniis montibus? Reſpondeo, hoc evenire ex defectu materiæ, tamdiu enim durare ſolet ignis iſte ſubterraneus, quamdiu fomentum ejus durat; quod dum abſumptum eſt, ignis, ut ſibi à natura inditum, extinguitur, quousque novis conceptis ſeminibus denuo renaſcatur.

Ex dictis colligitur primo: Ubicunque Vulcanius mons exiſtit, ibi ſubtus terram pyrophilacium eſſe omnino negari non poſſe, quemadmodum fumanti camino ignem culinarium aut fornaceum ſubeſſe quisque fatetur. Hinc nec adeo mirum videri debet, ſi quandoque & metallorum fluidorum torrentes, amnes ex pice liquida ardentes, ac plura alia ab incenſis his Vulcaniis motibus profundantur, ignis enim latentis violentia ipſæ mineræ metalliferæ & duriſſima quæquæ diſſolvuntur, & colliqueſcunt. Ita legimus apud Celtas, cum montes Riphæi aliquando incenſi fuiſſent, argenti rivos per terram fluxiſſe. Alex. l. 6. c. 4.

Colligitur ſecundo, Regiones, in quibus flammivomi montes reperiuntur, plerumque ſunt fertiliores aliis terreſtribus locis. Et ratio eſt, quia exhalationes, quæ ab ignibus exſpirant ſubterraneis, terræ poros magis aperiant, & apertos contineant; unde vegetabilia non tantùm à frigore magis tutantur, ſed & ſpiritus calidiores concipiunt, & per eorum vaſa tam ſuccifera, quàm aërea, dum ſuccus magis decoctus facilius propagatur, ipſa etiam vegetatio accommodatius promoveri poteſt.

Colliges tertio: Præter dicta, Vulcanios montes plerumque infeſtari ſpectris, vel ut adeuntes procul abſterreant, vel de futuris calamitatibus præmoneant. Sic P. Fournier Geograph. Orb. not. lib. 1. c. 11. refert: circa Heclæ montem oberrantia ſpectra tempore comprimis publicarum ſtragum & commiſſorum præliorum plures cæſos & defunctos habitu & facie exactè repræſentare; eadem aliquando offerri congreſſibus notorum hominum tam manifeſta, ut tanquam viventes excipiantur ab ignaris mortis illorum, datâ dextrâ. Fata inſuper Principum, quidvé remotiús in orbe peragatur, ab iisdem frequenter reſciri.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Immoderatus animi fervor ad intra coërcendus.

70.




LAudabilis & Reipublicæ perutilis calor ille animi, qui generoſam inflammat indolem nobiles ſpiritus ſuſcitat: ad ardua quæque & ſublimia pro Reipublicæ incremento exantlanda mentem impellit. Nihil ſine illo egregium, nihil magnum molitur, necdum ad exitum perducit. *Cotem virtutis* hunc appellavere Academici, & *virtutum comitem* Plutarchus nominavit. Quod nempe telluri ignes ſubterranei ſunt, hoc animo nativus ille æſtus & fervor indolis eſt. Spargunt illi, per varios meatus in omnem interioris regionis partem utiliter ſua incendia, quibus terræ frigiditatem temperent, vapores excitent, mineralia & metalla generent, unde Regum ditentur æraria, illuſtrentur gazophylacia, armamentaria inſtruantur hoſtibus formidanda. Hic humano in corpore cor generoſioribus ſpiritibus implet, mentem & animum ad contemnendas & ſpernendas quasvis difficultates ſupra ſe ipſum erigit, eoque gloriæ ſtimulis omnes animæ facultates incitat, quo bonum publicum, & ſalus Patriæ collimat. At quemadmodum ignes illi ut proſint, ſubterraneis coarctantur clauſtris, & tectis ardent flammis, ne in vaſta alioquin erumpant incendia; ſic ratione moderandus & obvallandus calor animi, ne unquam in iræ & vindictæ flammas prorumpat. *Hæc eſt celeberrima virtus, hæc animi ſuſpiciendi moderatio, vincere iram, & inter ſimultates quoq; vincere animum*, dogma Quintiliani eſt. Atque hoc quidem intentius, quo major illi mate- *Quintil. declam. 9.*

ria & ſeges eſt continua iraſcendi. *Quod enim momentum eſt, quo non improbanda videat*, ut recte obſervat Seneca. Jam privatos inter parietes vellicari ſe & carpi inaudit, jam in foro probra & contumelias percipit, jam in curia & aula nigris ſe coloribus depingi intelligit, atque ita *nunquam iraſci deſinet, ſi ſemel cœperit, & omnis illi per iracundiam, mœroremq; vita tranſibit*, ait idem Romanus morum inſtitutor Seneca. Unde audiendus vates.

- - Ne *fræna animo permitte calenti,*
*Da ſpatium, tenuemque moram, male cuncta miniſtrat*
*Impetus.*

Nempe ubi calor excedit, accedit ignis, incendium excitat, cujus finis fumus, cinis, pulvis, vaſtitas. Magnum Reipubl. fulcrum Hercules Heros, magna ruina Hercules furens. Quomodo habenas publicas is moderabitur, qui ſuo frænum non poſuit animo? Nunquam dicendus Dominus, paſſionum ſervus. Eâdem flammâ, qua ira ſuccenditur, lumen irato eripitur; *Solo tempore ab inſano iratus differt*, inquit Plutarchus. Quo minus iram preſſeris, eo ab ira magis premeris, tunc enim incipimus aliis iraſci, cum nobis deſinimus. Nullus cum ira, Conſultore peſſimo, tuto deliberat, utpote *cum qua*, teſte Tullio, *nihil recte, nihil conſiderate fieri poteſt.* Ut enim fumus oculos mordicans, ea quæ ante pedes ſunt, videre non ſinit, (Stobæus) ut navis ventis agitata ſubmergitur, niſi gubernatoris induſtria regatur; ut in tumultu non audimus, quid nobis dicatur, (Plutarchus) ut per nebulas corpora non bene conſpiciuntur (idem) ita irati qui ſunt, prudenter nihil, inconſiderate, & temere multa faciunt. Unde ineptus miniſterio, qui huic ſervit belluæ; publicæ tranquillitatis malus artifex, qui motibus tam cito inter ſe concutitur, nec purpura honoris decenter tegitur, qui á calore & vindictæ rubet cupiditate. At enim

*Plutarch.* *Cic. 1. off.* *Stob. ſer. 18.* *Plutarch. de ira.*

*Generoſa pectora mordent,*
*Lacerant, iniq; objecta*
*Crimina.*

*Oedip. ap. Sophocl.*

Rurſus: *Ira, quæ tegitur, nocet.*

*Seneca in Med.*

Et illud. - - *Calidi plus eſt illis, quibus acria corda*
*Iracundaque mens facile exardeſcit in iras,*
*Nec capere irarum fluctus in corpore poſſunt.*

*Lucret. l. 3*

Ita quidem, ſed nunquid & imbellis animi ſignum eſt, muliebri malo vinci? *Morſus hi non ſine quadam humilitate animi eveniunt, ſupprimentis ſe ac deſcendentis.* Senec. Nomen viri fortis deperditur, ubi calore intempeſtive defenditur. Nihil quidquam magni eſt, niſi quod ſimul & placidum. *Motus tardus magnanimi viri eſt*, ait Politicorum Princeps Ariſtoteles. Ptolomæus II. Ægypti Rex ab imperito Grammatico ob generis ignobilitatem convitiatus cunctis Aulæ miniſtris indigne ferentibus ac calumniatorem ad pœnam poſcentibus, at hic ne quidem amarum verbum repoſuit: *Si Regium non eſt*, inquiebat, *ferre cum dicto tangitur, nec illud Regium eſt, dictis quenquam attingere.* Nunquam ſcilicet magis Rex eſſe noſcitur, quam dum dominatur ſibi, levi enim ſtomacho qui exardeſcit, ſe irritantis ſubjicit arbitrio. Egregium Aureliani Cæſaris erat Symbolum: *Quo major, eo placabilior. At ira, quæ tegitur, nocet?* Quin imò ira, dum patet, nocet. Audi mala hujus enarrantem Senecam: *Aſpice nobiliſſimarum civitatum fundamenta, vix notabilia, has ira & vindicta dejecit; aſpice ſolitudines per multa milliaria ſine habitatione deſertas, has ira exhauſit; aſpice tot memoriæ proditos Duces, mali exempla fati; alium ira in cubili ſuo confodit, alium inter Sacra menſæ ira percuſſit.* Nempe ignis ira eſt, dum agitatur, augetur, & in vaſta graſſatur incendia. Si te vincere, aut præcavere non potes, Politice, moram ad minimum interpone:

*Seneca de Conſtant. ſap. c. 10.* *Ariſt. 2. Eth. c. 8.*

*Differ, habent parvæ commoda magna moræ.*

*Ovid. 3. Faſt.*

DISSER-

# DISSERTATIO XII.
## De Foſſilibus & Metallis.

PRofundiorem terræ ſinum, & abſconditas naturæ opes ac theſauros ultimâ hac explanatione perluſtrare aggredimur. Notitia horum ſanè mirabilis eſt, & dignum mente Peripatetica ſuppeditat objectum, utpote cujus proprium penſum eſt, in omnibus operibus naturæ intueri motricem intelligentiam, tam varia operantem, ut agnoſcatur; tam utilia donantem, ut ametur. Erit Diſſertatio quidem præſens, in qua ſingillatim terræ ſucci, lapides, & metalla exponentur, paulo longior & fuſior, cæteris tamen materiæ curioſitate fors brevior. Non pertinet, quidem in rigore Tractatus hic ad Meteorologicam ſcientiam, quæ verſatur ſolum circa corpus imperfectè, non vero perfectè mixtum, quod ſolida & conſtante elementorum concretione conſtat, ſive in quo omnia elementa virtualiter manent, quale modo expoſituri ſumus. Quia tamen & cum priori materia maximam affinitatem habet, & communiter ab Authoribus in Meteoris tractari ſolet, eorum ſecutus methodum, Diſſertatione hac duodecima de Foſſilibus & Metallis opuſculum terminare volui. Quare ſit

## QUÆSTIO I.
### *De Foſſilibus, eorumque generatione in communi.*

COncluſio prima. Foſſilia dicuntur illa, quæ ope humana ex mineris & locis ſubterraneis ſolent erui, cujusmodi ſunt varia ſuccorum genera, lapides, & metalla. Ab Ariſtotele hæc in binas claſſes dividuntur, nempe in metallicâ, & non metallica; primi generis, ſunt corpora, quæ igni admota liqueſcunt, & fluunt. Secundi generis; quæ non liqueſcunt ut lapides. Alii foſſilia dividunt in tria genera; primum varias terras continet; alterum ſuccos ſeu pingues & inflammabiles, ut ſulphur & bitumen, ſeu aridos ut ſales; tertium mineralia, quæ rurſus in tres ſpecies partiuntur, in lapides, metalla & metallica; alii demum cum Avicenna quatuor faciunt foſſilium genera, ſales ſcilicet, ſulphur, lapides & metalla. Omnes hæ diviſiones quoad ſubſtantiam ferme conveniunt cum diviſione Philoſophi.

Concluſio ſecunda. Sicut materia omnium concretionum, quæ generantur in ſublimi, eſt duplex halitus, alter ſiccus, alter humidus, ſic materia concretionum, quæ generantur in profunditatibus terræ, eſt duplex halitus proportionalis, alter ſiccus, alter humidus. Hinc ſicut exhalationis ſiccæ proprium eſt accendi & evaporare, & vaporis humidi liqueſcere ac fluere, ſic ex halitu ſicco fiunt illæ concretiones, quæ accenduntur & evaporant; ex halitu humido vero illæ, quæ liqueſcunt & fluunt.

Concluſio tertia. Modus generationis foſſilium non metallicorum ſequens ab Ariſtotele recte conſtituitur: intra telluris viſcera mediante calore tum interno, quem ipſa terra ſuo in ſinu fovet, tum externo, qui à ſolaribus profluit radiis, excitantur exhalationes ſiccæ & valde calidæ, quæ dum adhærent & penetrantur cum materia terrea & denſa, eam exſiccant, alterant, colorant, ac ſic ad generationem tanquam inſtrumenta diſponunt, per quæ deinde cauſæ principales corporum maxime cœleſtium uti & ignium ſubterraneorum minerale efficiunt. Ex quo

Deducitur primo: Si ſpiritus & exhalatio ſicca ſit ita potens, ut adurat quodammodo materiam denſam, cui ſe affigit, & faciat evaporare pæne totum humidum, etiam ſubtile, generantur illa mineralia, quæ ſunt ut pulvis coloratus, e. g. ſulphur, minium, alumen &c.

E converſo, ſi idem ille ſpiritus ſiccus materiam non adurat, ſed ſolum efficiat, ut evaporet humidum craſſum & ſuperfluum, ſubtile autem perfectè incorporet & uniat cum partibus ſiccis ac terreis, generat lapides.

Deducitur ſecundo. Quod ſemper in mineralibus remaneat aliquid humidi, alioquin partes ſiccæ non adhæreſcerent invicem.

Deducitur tertio. Calorem & frigus non eſſe cauſas niſi inſtrumentales & diſpoſitivas mineralium, utpote pura accidentia, foſſilia enim habent propriam formam ſubſtantialem, & non conſtant ex pura varia combinatione corpuſculorum; nullum autem accidens etiam partialiter, ut docuimus in Phyſica, poteſt producere ſubſtantiam. Unde

Deducitur quarto. Quod virtus principalis foſſilium ſit virtus corporis cœleſtis, quæ communicat mineralibus quasdam qualitates occultas, per quas cauſant mirabiles effectus, ut patet in magnete trahente ferrum, & in pluribus lapidibus pretioſis.

Deducitur quinto. Differentiam mineralium oriri ex diverſitate halituum. Neque enim omnes exhalationes ſiccæ ſunt ejusdem ſpeciei, prout enim diverſæ mineræ ſunt, diverſæ etiam generantur exhalationes, nam ſicut non omnis fert omnia tellus, ita non omnis minera eosdem procreat halitus.

Concluſio quarta. Modus generationis metallorum bene ab eodem Philoſopho ſic explicatur: intra terræ viſcera excitantur vi caloris exſpirationes humidæ, quæ aſcendentes in ſupra poſitos lapides impingunt & adhæreſcunt, atque eorum intenſo frigore conſtipantur, ita ut una cum pluribus corpuſculis ferreis & ſiccis concreſcant ad modum roris ac pruinæ, quæ continuante ſuam actionem frigore, & ſubjectâ minerâ novos halitus ſubminiſtrante creſcit, ac magis, magisque denſatur, ac duratur donec formetur in metallum. Ex quo

Deducitur primo, materiam metallorum eſſe halitum humidum intra terræ viſcera lapidibus potiſſimum concluſum, & ob terræ lapidumque ſiccitatem ac frigus coagulatum; ita ut quemadmodum ros & pruina ex vapore elevato à terra, ſed aëris circumfuſi frigiditate addenſato fit; ita metalla ex vapore adhuc terræ inſidenti, & prædicta frigiditate concreto generentur. Confirmari hoc optime poteſt ex eo, quod etiam ex halitibus in ſublime evectis generetur interdum in aëre ferrum, æs, aliaque hujusmodi, ut teſtatur experientia, nam in Perſide non ſemel ænea corpora, hamatis ſagittis ſimilia, cœlo coruſcante defluxerunt, & dilapſa aliquando fuit moles ferrea quinquaginta librarum adeo dura, ut frangi nequiverit. Quare, ſi exſpiratio poteſt in aëre in metallum concreſcere; multo faciliori negotio poterit in terræ gremio; in aëre enim motus, quo exſpiratio fertur, raro ſinit eam ſolidari in denſitatem, quam metalli natura exigit.

Deducitur ſecundo. Ariſtotelem non conſtituere ſolum vaporem materiam metallorum; ſed halitum ex vapore & exhalatione compoſitum, in quo tamen prævaleat humiditas vapori, ideoque ait lib. 3. hujus operis metalla partim eſſe aquam, partim non aquam; aquam prout concreſcunt ex vapore, qui eſt aqueæ naturæ; non aquam prout augmentantur ex ſicca ſpiratione, cujus permixtionis argumentum eſt, quod, ut diximus, metalla igneantur nempe propter ſiccam exhalationem, & liqueſcant propter vaporem humidum.

Deducitur tertio. Formam ſenſibilem metalli eſſe duritiem & denſitatem, præterquam dari formam ſubſtantialem metalli, habentem plures virtutes occultas, impreſſas á corpore cœleſti.

Deducitur quarto. Ex prædictis duobus halitibus in unam molem concretis, addenſatisque metallum accipere gravitatem, non autem, quod ex pingui humore, aut ex aqua & terra immediate progenitum fuerit, licet aqua & terra in venis & poris metallicis inveniantur, utpote è quibus vapor & exhalatio prodit.

Deducitur quinto. Ex metallis alia eſſe liquabilia, alia ductibilia, ſive extendibilia per ictum mallei, quod non eſt ita intelligendum, ut liquabilia non ſint etiam ductibilia, & è converſo, ſed ut aliqua facilius liquentur, quam ducantur; alia facilius ducantur, quam liquentur. Liquabilia ſunt, quæ plus habent humidi, ut plumbum, ſtannum &c. Ductibilia ſunt, quæ habent humidum mediocriter attemperatum ſicco, ut aurum, quod poteſt duci in laminas ſubtiliſſimas.

Deducitur ſexto. Metalla quædam eſſe magis pura, quædam minus. Puriora ſunt, ex quibus, dum igneſcunt minus deperditur, & evaporat; oritur enim id ex eo, quia in iis non ſunt partes excrementitiæ, quæ igne ſeparentur. Minus pura ſunt, ex quibus cum igniuntur, plus deperditur, eo quod abundent pluribus partibus excrementitiis.

Concluſio quinta. Cauſa efficiens metallorum eſt pariter virtus ſiderum præſertim Solis; nam cum metalla ſint miſta, proindeque excellentioris naturæ, quam elementa, in quibus efformantur, & omnis principalis cauſa debeat eſſe nobilior, vel ſaltem æquè nobilis quam

quam effectus, nequeunt metalla ab elementis tanquam à Principe cauſa effici, adeoque recurrendum ad ſidera, maxime Solem, cujus vis & influentia omnium Philoſophorum conſenſu latiſſime funditur, & ad ſimiles effectus mira efficacitate omnia quaqua verſum penetrat. Hinc

Colligitur primo, eorum opinionem non ſubſiſtere, qui putant, metalla omnia in prima mundi creatione producta fuiſſe, nam ſicuti naturæ Author ab initio orbis animalibus, arboribus, aliiſque virtutem indidit generativam, ita & metallis facultatem, ut docet experientia, quà compertum eſt, augeri in matricibus metalla, eademque interdum in nubibus gigni, & in terram decidere, uti ſuperius dictum.

Colligitur ſecundo. Nec Aſtrologorum ſententiam ſat firmam eſſe, qui ſingulis metallis ſingulos planetas attribuunt. Sic aurum Soli, Lunæ argentum, Marti ferrum, Saturno plumbum, Jovi ſtannum, Mercurio argentum vivum, æs Veneri adſcribunt. Quamvis enim & nobis certum ſit, aſtra in ſublunaria influere, nulla tamen ratio evincit præter conjecturam, quod à determinato ſidere determinatum metallum dependeat.

Colligitur tertio. Quod ſicut in generatione foſſilium non metallicorum, ita in generatione metallorum cauſa inſtrumentaria eſt, partim calor, partim frigus; calor enim, cujus eſt attenuare, humidam exſpirationem gignit & coquit, frigus vero, quod ſuopte ingenio congregat, eandem exſpirationem condenſat & conſtipat.

Colligitur quarto. Improbari opinionem Alberti M. qui materiam metallorum ſtatuit humorem pinguem; Item Agricolæ, qui credebat eſſe terram aqua mixtam, pariter Chymicorum peritiorum, qui ſulphur & hydragyrum eſſe exiſtimant, è quorum varia temperie metalla omnia miſceri volunt. Quamvis hi ab Ariſtotelis placito non ita diſſentiant, ille namque metallorum facit materiam remotam halitum; hi vero materiam proximam, ſulphur & argentum vivum, quæ ex prædicto halitu, ut ex remota metallorum materia, concreſcant.

Quæres adhuc primo. Quomodo liquefactio metallorum explicetur? Reſpondeo ſequenti modo: calor habet virtutem reſolvendi humidum, ita ut fluat, cum ergo in quibusdam rebus datur humidum, ſed ita bene compactum, & unitum cum partibus conſiſtentibus, ut ab aliis ſeparari non poſſit, tum ſi vehementi calore illud humidum reſolvatur, & attenuetur, ita ut fluat, ſimul cum humido fluet tota ſubſtantia etiam conſiſtens, cum ſeparari non poſſit à ſuo humido. Hinc datur ratio, cur lutum calore dureſcat, cera liqueſcat, ac fluat, quia nimirum humidum ceræ eſt bene compactum cum ſubſtantia conſiſtente; ideo cum vi caloris fluit humidum, fluit etiam ſubſtantia conſiſtens ceræ; contra humidum luti non eſt bene compactum cum ejus ſubſtantia; ideo cum vi caloris fluit tale humidum, ſeparatur à luti ſubſtantia, quæ proinde humido amiſſo dureſcit.

Quæres ſecundo. Cur metalla inveniantur in montibus præruptis, ſterilibus, ac lapidoſis? Reſpondeo, rationem eſſe, quia, ut halitus metalliferi concreſcant, ſuperpoſiti lapides cohibere debent tranſpirationem halituum, quæ cum non impeditur, eo quod lapides non ſint ſatis denſi, invenitur quidem lapidibus adhæreſcens aliqua eructa metallica, ſed non invenitur vena.

Quæres tertio. Num etiam in fluminibus generentur metalla, cùm ibi inveniantur ramenta auri, argenti, & aliorum metallorum? Reſpondeo negative, non enim amnes aurum v. g. gignunt, ſed è terra, quam radunt, effoſſum, aut è fontibus in alveos derivatum ſecum vehunt. Nec eſt ullum aurum pulchrius, videlicet curſu & tritu lotum & perpolitum.

## CONCLUSIO POLITICA.
## Conſilia ſerventur in abſcondito.

QUæ illuſtria ſunt, natura in obſcuro poſuit: aurum & gemmas in opaco reſervat; illud in terræ viſceribus, has in arca conchylii. Rudis terræ maſſa pedibus conculcanda objicitur; at qui furnulum ſuccendere, & alembico pretioſam à vili ſecernere novit, theſauros è cœno colligit. Latent enim pretioſa, & profunde ſepulta retinentur in abſcondito quibus pretium ineſt. Adeo pretioſa ſunt ſapientum conſilia, ut & Regis anima, & regni conſervandi pars optima M. Aurelio Antonio viderentur. At ut valorem perdunt, quæ non rara ſunt, & trivio expoſita: ſic omne pretium perit conſilio, viſque diffluit in nihilum abiens, niſi tectum ſervetur. Sunt conſilia regii pectoris ſoboles, majeſtatem quandam

dam habent innatam: vileſcunt, ſi pateſcunt. Oracula mentis ſunt conſilia: at ſemper in lucis expertibus lucis, obſcuriſque Conſi receſſibus oracula dabantur. Umbris involvenda ſunt illuſtria Conſiliariorum ſenſa: tanto erunt illuſtriora, quanto obſcuriora. *Optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum, eſt taciturnitas.* Vel intimam tunicam igni deſtina-

*Val. Max l. 2.*

71.

N. 71.




W. J. Kadoriza del. J. S. K. ſ.

turum ſe fore Petrus Aragonius dixit, ſi arcanorum conſcia non æque ac pectus, pectoris ſecreta obtegeret. Hoc eſt maximum aulæ ſacramentum, tacere. Quo celſius ædificium, eò profundius fundamentum: celſi vertices, & excellentia capita, inſcrutabiles habeant ſinus, ne profunda mens deprehendatur. Myſteria ſunt ſenatus conſulta, reſidere corde debent, non labiis. Neque vero fruſtra cor in occulto eſt poſitum quia patere non debent cordis inventa; Eam modo ætatem vivimus, in qua diſſimulare ſub larva dextre novimus: ſola, quæ pallio indigent, conſilia non tegimus. Bacchanalia mundus vivit, quia nihil ſinceri apertique; politica verborum, morumque ſimulatio tenebras orbi invexit, frontem vultumque mentitur. Unum illud, quod denſiſſimis deberet nebulis obvolvi, per auram volat, auriumque trivialium judicio exponitur, judicium intra regis ſiparium concluſum. O quoties neceſſe eſſet illo Alphonſi Aragoniæ & Neapolis Regis effato aulas perſtringere: Si priſcis Romanorum ævis vixiſſem, ſenatum hortatus fuiſſem, ante fores curiæ aram exſtruere Jovi Poſitorio, in qua Senatores ingredientes privatos affectus; egredientes vero ſecreta conſilii deponerent. Valentiores hoſtium artes ſuperat ſecreta ſinceritas. Hujus virtutis delectum maxime habendum in adlegendis Regiis miniſtris, conſulit Henricus Luſitanus Rex. Quantum occulti cuniculi hoſtili præſidio de robore demit; tantum inutiles ſunt, ſi non ſint tecti. Abſcondita conſilia ſunt de inimicis ſemi-victoria: hæc ſi patent purpuram Regum erubeſcere faciunt, quod irritum reddant exitum mente præconceptum. Melius operatur bombyx, dum operitur. Tutæ aquilarum prædatricibus evadunt ungulis grues, quando injecto in os lapillo ne gruendo quidem eas poſſunt excitare. Sunt *tuta ſilentia*, adjecit eis calamus ſymbolicus. Aquæ odora-

tæ

tæ aëri expoſitæ, ſubducentibus ſe tacite ſpiritibus, evaneſcunt: conſilia ſi patuêre, vim omnem amiſere. Monetur hoſtis, ut ſibi provideat, ſi ei proditur conſilium, ut aperte videat. In fumum abeunt illuſtria lumina, niſi obvio vento tegantur: illuſtriſſima regiorum animorum dictamina ſine fructu evaneſcunt, quæ palam innoteſcunt. O quot arma in flore ſtetiſſent, & velut convolutæ in nodum roſæ ſuccum ſervaſſent, ſi nodo Gordio labra occluſa, & animorum ſenſa ſub roſa contecta fuiſſent. Non eſt, quod Momus feneſtellam cordis exoptet: ſponte patent, quæ nec optico tubo comprehendi deberent. Grandiora flumina ſilentio ſuam ſervant majeſtatem: plus in orbem ſe diffundet Principum potentia, ſi tacito pede procedit. Ranam in annulo Mecænas geſtavit, non ex iis, quæ aſſidue coaxant, ſed quæ in Inſula Seripho perpetuo tacent. Hoc annulo quivis Alexander ſuum Epheſtionem labris ſigillet: *Tace*. Ut videlicet cum Harpocrate digitum ori admoveat, nec Anaſtarchi piſtillo ſecretum everberetur. Equites aurei velleris Conſiliarii ſint Principum, ſed illi Luſigniani Galliarum, litteram S. torque pendulam gerentes: *Silentium*.

*Joan Bapt Trinchevius. Hor. l. 3. ode 2.*

# QUÆSTIO II.

## *De ſuccis Terræ, & in ſpecie de ſale.*

Explicata natura corporum foſſilium & metallicorum in genere, ad particularia deſcendimus ad ſuccos, quæ mediæ quaſi naturæ ſunt inter metalla & lapides, de quibus in ſubſequentibus agemus. Hæc corpora pleraque ſunt friabilia, hoc eſt, in minutiſſimas partes & pulverem fere redigi valent. Horum alia liquari poſſunt, alia vero non; molliora tamen ſunt, ut in lapides indureſcant. Primi generis ſunt ſucci quidam concreti veluti ſal, bitumen, & vitriolum. Secundi generis ſunt auripigmentum, ſandaracha, calx, gypſum, creta, ochra, argilla, terra ſigillata, terra armenia &c. de omnibus diſſeremus breviter, & in præſenti quidem Quæſtione de ſale.

Concluſio prima. Sal eſt corpus metallicum, friabile ex ſucco humido, aqueo & craſſo terreo mixtis & decoctis genitum. Volunt alii ſalem à ſaliendo dici, quod in igne exſiliat; alii ſalem à ſalo & ſole vocatum exiſtimant, quoniam aquis maris ſponte gignitur, ſpuma in extremis littoribus vel ſcopulis derelicta, & Sole decocta. Hinc cauſa efficiens ſalis eſt calor Solis & reliquorum aſtrorum, qui ex materia ſalſa partes tenuiores, & dulciores extrahens, terreas relinquit, easque percoquens, & magis adurens ſalſas reddit. Duo enim ad ſalſum ſaporem requiruntur, partes ſiccæ & terreæ, & earundem aduſtio. Ex primo fit ſapor, ex altero ſalſus ſapor. Hinc erronea eſt illorum ſententia, qui ſalem concreſcere putant, ut gelu à frigore, habereque ſimilem illi generationem. Si enim ſal à frigore concreſceret, calore diſſolveretur, quia celebratiſſimum eſt apud omnes Phyſicos, à contrariis diſſolvi rem quamcunque iis, è quibus compacta eſt. Jam vero ſal à re nulla minus diſſolvitur, quam à calore. Siccatur enim magis & induratur ab igne, diſſolvitur vero ab aqua, ut propterea à frigiditate non conſtringatur. Materia igitur eſt ſuccus terreus aduſtus, & calore exſiccatus. Forma eſt vaporum exſiccatorum cum aqua concoctio.

Concluſio ſecunda. Sal alius eſt naturalis, alius artificialis. Illum natura gignit, & dicitur alias foſſilis, de quo potiſſimum hic ſermo eſt; hunc ars facit, & nominatur factitius vel coctus. Foſſilis reperitur vel in terra, vel extra terram. In terra repertus aut cæditur in montibus, vel è campis effoditur, arenis, quibus tegitur, prius remotis. Extra terram repertus effoditur ex aquis, & dicitur vel fontalis, quando fontes aut rivuli, calore Solis exſiccati in ſalem convertuntur; vel fluvialis, quando fluvius aliquis ramenta fert, quæ in ſalem denſantur; vel ſtagnalis à ſtagnis, quæ ſale æſtuant; vel denique Marinus, quando in extremis littoribus tenuis quidam ſal gignitur, quem Dioſcorides ἁλὸς ἅλμην vocat. Plinius ſpumam interpretatur; juniores ſalis ſpumam nominant. Sal vero coctus fit ex aquis, vel marinis, fluvialibus, lacuſtribus, ſalſis fontanis, putealibus, vel etiam ex muria nativa fontium, ut in Hallis Saxoniæ, in Salinis Thuringiæ, Haſſiæ, Auſtriæ, Styriæ, & Tyrolis.

Concluſio tertia. Sal foſſilis quatuor potiſſimum ſpecies numerat, nempe *ſalem ammoniacum*, Salem *Gemmæ*, ſalem *Nitrum & Indicum*. Sal *Ammoniacus* eſt ſal foſſilis amariſſimus ſub arena ardentiſſima in Cyrenaica erutus, unde etiam Cyrenaicus dicitur. *Sal gemmæ* eſt ſal foſſilis è fodinis erutus, cryſtalli in morem translucens & candidus. Sal *nitrum* ſeu *petroſum* eſt, quod ex coagulato humore in locis ſubterraneis humidis inſtar Stiriæ ſalſæ dependet, aut inſtar frigoris congelati in parietibus nitet. Hodie etiam arte Nitrum colligitur. *Sal Indi-*

*cus* eſt ſal nigricans, vel ſubrufus in India ex monte Oremento exciſus. Hinc ſequitur

Concluſio quarta. Sal diverſi coloris eſt; ſed ut plurimum album, eſt enim quaſi terreſtris ſpuma, quæ ſcilicet candorem præfert; quamvis propter admixtionem alicujus heterogenei aliquando rubeſcat, aliquando nigreſcat; quod ſiccius eſt, candidius eſt; humor enim ſali affuſus non parum de candore detrahit; purpureum tamen, ubi teritur, albeſcit; idem prorſus marmori rubro & vitro accidit. Quod ex ligno fit, nigreſcit, ſemper enim aliquid fuliginis ineſt, quæ nigrorem conciliat. Lacuſtris in Sicilia tanti eſt ſplendoris, ut, quod tradit Plinius, recipiat imaginem & ſpeculi vicem obeat. Qui in Cypro ex certa terra in monte Olympo extrahitur, formam & colorem ſanguinis concreti habet. Ruber ex Alepo, ſanguineus ex Barbaria, croceus ex Hiſpania verſus Majoricam venit, naturamque Halonitri & aluminis obtinet. Ita Unzer. c. 17. de ſale. Colorum hanc varietatem varia terræ mixtura conciliat.

Concluſio quinta. Finis & uſus ſalis inter omnia vitæ præſidia præcipuus & multiplex eſt. Unde recte dicitur: *Sole & ſale* nihil eſſe utilius. Hinc Homerus ſalem divinum nominavit, quoniam ad varios uſus eſt accomodatus, quos in ſua Meteorologia omnes fere ſequenti modo deſcribit Garceus. Primo prohibet ſal putrefactiones in ipſa nutricatione; ſine ſale enim coctio minus fieri poſſet, ſi relictæ maſſæ chyli & Chymi putreſierent. Salis vero natura abſumit in noſtris corporibus ſuperfluas illas humiditates, aperit & abſtergit, ac corroborat partes leviter deſiccatas, denſat etiam & cogit partes. Deinde manifeſtus uſus eſt ſalis in arcenda putrefactione carnium, quæ ad uſus longi temporis ſervantur. Propterea ab omnibus corporibus vita deſtitutis putrefactionem arcet & cavet, neque ſinit prorſum interire, diu morti veluti reſiſtens; animæque, quoad licet, vice fungitur. Sicut enim anima tuetur animantia, & continet, neque ſinit compagem membrorum dilabi; ita ſal animæ exemplo continet corporum harmoniam, cum ad tabem declinant, & membrorum inter ſe amicitiam conſervat. Adde, quod & in medicatione vulnerum frequens etiam ſalis uſus ſit. Habet & illud quaſi divinum ſal, quod vi quadam gignendi ſit præditus, vigorem enim ſeminalem expergefacit & acuit. Quare qui canibus alendis dant operam, ſalſis carnibus eos paſcunt, quo ad gignendum reddantur alacriores. Unde Poëtæ fingunt, Venerem genituræ Principem è ſale natam; nec ullum animal perinde fæcundum eſt, atque marinum. Hæc Garceus.

Obſervatum etiam eſt eos, qui febribus putridis obnoxii ſunt, cibis liberalius ſalitis à corruptione præſervari, quia noxios humores corruptionis fomitem exſiccant. Ob eandem cauſam ſale per intervalla paſtæ oves & hirci pingueſcunt; ſed & humanæ vitæ conſervationi, victuique neceſſarius, inſulſi enim ſine ſale cibi. Venenis obeſt ſiccitate & calore, illa enim natura frigent. In peſte frequens nec inutilis ſalis uſus, quia poros claudit. Teſtantur etiam agricolæ moderata ſalis conſperſione campos reddi fertiliores, fortè hac de cauſa, quod calore ſuo ſemen ejectum foveat. Salſa tamen nimis nocent oculis, eo quod in illis debitum humorem conſumant. Pariter obeſæ mulieres moderato ſalis in condimentis uſu fæcundæ fiunt. Abſtergit enim uliginem, matricemque plus ſatis udam exſiccat, ut ſemen cohæreat. Generationem pretioſiſſimarum unionum & coralii ex ſaxis emergentis in brachia & ramos veluti arboris divaricati, ſali adſcribit *Quercetan. de Medic. priſc. Phil. 2.* Ad hæc ad os Epilepticorum admotus eos excitat. Ore detentus vel deglutitus, ne in ventriculum aſcendant Lumbrici, prohibet. Denique ſitis & famis antidotum eſſe, Caroli V. in obſidione Tunetana exercitus teſtatus eſt. Periiſſet, niſi unusquisque unum aut alterum granum linguæ ſuppoſuiſſet. Ita Bicker in præfat. lib. de ſanit. conſt.

Quæres primo: Cur granum ſalis oleo injectum faciat, ut minus olei conſumatur, quemadmodum experientia conſtat. Reſpondeo, rationem eſſe, quia ſal adſtringentia quædam corpuſcula ſuppeditat, quæ oleum in ellychnio diutius retinent, atque adeo faciunt, ne tam cito avolet. Alii rationem dant ex eo, à ſale nonnihil uliginis ſeu pinguioris ſucci ſubminiſtrari lucernæ, & conſequenter facere, ne tam cito oleum exſugatur. Contra tamen videtur eſſe primo, quia ſal plus ſucci exſugit ab ipſo oleo, quam oleum ab ipſo Sale. Secundo, quia licet aliquid ſuppeditet pinguioris ſucci ad nutriendam flammam, illud certè tam parum eſſet, ut pro ſenſibili ſubſidio vel additamento haberi non poſſit.

Quæres ſecundo: Cur Sal in prunas jactus diſſiliat cum crepitu? Reſpondeo, rationem eſſe, quia tantulum humoris & aëris, quod ineſt, calore attenuatur & rareſit, atque adeo majorem locum quærit, & cum crepitu erumpit. Quod ſi tamen majori igni injiciatur, non crepitat, quia magna caloris vis ſuperior ſtatim vincit.

Pro complemento Quæſtionis & hiſtoricâ notitiâ ſequentia habe: Narrat Ramuſius t. 2. l. 2. c. 38. Tanti in Tabethana Provincia pretii eſſe ſalem foſſilem, ut auri loco monetæ ſerviat. Siccatur in lacu Tarentino æſtivis ſolibus, totumque ſtagnum in ſalem abit. Summa etiam fluminum denſantur in ſalem, amne reliquo veluti ſub gelu fluente, ut apud Caſpias portas, quæ ſalis flumina appellantur. Sed & in deſertis Podoliæ lacus eſt, cujus aqua ſereno Sole in ſolidum ſal concreſcit tantæ craſſitiei, ut jumenta & homines ſuſtineat, & in plura fruſta diſſectum, avehatur. *Thuan l.* 56. Sal cæduus copioſus eſt in Dacia. In Arabia domus integræ è ſalis lapidibus conſtructæ habitantur. Mons Oxomenus apud Indos, in quo lapicidarum modo cæditur renaſcens, majus vectigal ærario Regum invehit, quam quod ex auro & margaritis provenit. Non procul Aſtracano duo ſurgunt ingentes montes tanta ſalis copiâ abundantes, ut quamvis ſingulis diebus viginti millia fruſta decidantur, tamen ne minima quidem pars decuſſa eſſe videatur, imò quo plus aufertur, tanto majori quantitate ſuccreſcit; *Petrus Petreius in deſcript. Ruſſiæ.* Idem de monte quodam ſalifero in Hiſpania Tarraconenſi *Joannes Gerundius* affirmat. Ratio hujus eſſe poteſt, quòd copioſa ibi debeat eſſe materia exhalationum, quæ rurſus in ſalem concreſcunt.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Maximum Reipubl. bonum à litteris.

72.

N. 72.




W. J. Kadoriza del. Lincy · J. S. K. f.

FAceſſat ruſtica C. Valerii Licinii ad ſtivam nati, ad aratrum educati, ab agraria lege deſumpta gnoma: *Peſtis Reipublicæ litteræ.* Laurum non meretur, qui Artium liberalium Magiſtros propulſat. Conſeneſcat cum coronato hoc vertice, inter ſarculos

& ligones, qui litterarum Studioſos virus & venenum civitatum appellat. Cæcutit nimirum ſcientiarum oſor, ut ſanum non formet judicium, & Ariſtotelis cenſuram confirmat : *Litterarum expertem etiam videntem non videre.* Stat ſententia Regis Alphonſi in Regem litteras, litteratosque extra aulam condemnantem : *Hac vox bovis eſt, non hominis.*

Quibus cardinibus res quævis publica vertatur ; quibus condiatur analectis civilis politicæ ſtatus ; imo quibus curiæ aulæque inſtruantur ornamentis, enunciet Ladiſlaus Hungarorum Rex : *Non videri ſibi homines eſſe, qui bonas litteras ignorarent.* Diſſipit ſine ſalis condimento Apicii menſa, vel ſaliarem in modum epulari ſine ſale, nauſea eſt. Palatum recreat, cibum temperat, & præparat eſcas : *Sapor omnis abinde.* Opſonium communis vitæ ſal, imo ſalis flos, litteræ ſunt. Vel mortua corpora à putredinis labe ſal ſervat : *Vita ſine litteris mors eſt, & hominis vivi ſepulchrum.* (Sen.ep.83.) Acephalum eſt ſine capite corpus, quod à Capite regitur, cui ſapientia non reſidet. Capitale enim damnum eſt, gubernari à Capite, quod cerebro caret. Qua re differat doctus ab indocto edixit Ariſtoteles : *Qua vivi à mortuis.* Mortua jacent regna, quibus anima deeſt ſapientia. Malè lauro coronatur caput litteris vacuum : bacca enim lauri ſolum ſapientibus creſcit. Quomodo enim mereatur cingi tempora ſertis, qui nec verborum tempora novit, nec caſus coronarum ? (Cicero.) *Litteræ & temporum, & locorum, & ætatum ſunt omnium. Quippe quæ ſtudia adoleſcentiam regunt, & ſenectutem oblectant.* Erubuit in purpura Nero, probro ſibi datum, quod pro roſtris in defuncti Claudii laudem dicens, (Tacit.l.13. annal.) *alienæ facundiæ eguiſſet.* Omnia Romanorum prœmia capiti ſunt deſtinata, etiam quando dextra victoriam tulit. Nihil enim ſine capite præclari geritur, quando ibi artes naſcuntur, & victoriæ concipiuntur. Capitibus præſertim, quæ in membra imperant, ſcire convenit ; hoc enim gemmeum decus eſt, quod eorum coronas adornat. (Æneas Sylvius.) *Scientiæ plebejis argenti, nobilibus auri, Principibus gemmarum loco ſunt.* Turpe eſt Principi, per alios loqui, cum per ipſum ſtet Reſpublica. Si coronæ graves ſunt, optime geſtantur à vertice ſapientia gravi. Auguſtus Cæſar, (Suet.c.84.) qualis, quantusque fuerit, nemo non novit. *Ipſum*, author eſt Suetonius, *eloquentiam ſtudiaq; liberalia ab ætate prima cupide, & laborioſiſſimè exercuiſſe.*

Id autem vel maxime, quod Alphonſus Aragonum Rex ſincere faſſus eſt, quis non ſuſpicetur ? (Panormit l.4.) *Ex libris & arma, & armorum jura didici.* Jovis cerebro Pallas genita eſt ; ſed eadem quæ Pallas, Minerva eſt, ut neque ſine Minerva Jupiter regnare, nec ſine Minerva Pallas poſſit bellare. In Minervæ natali aurum ſi pluit ; diſce, aurea ſæcula tunc ferro comparari, quando armatæ Palladis dextræ Minervæ cerebrum jungitur. Nunquam Alexandri gloria tot laureis fœcundam meſſem tulliſſet, niſi Minerva ejus enſem rigâſſet. Ipſe Magiſtro (Plutarch.) Ariſtotele gratus non erubuit dicere : *Malle ſe doctrina, quam imperij magnitudine cæteris anteſtare.* Neque diffitetur de eo Plutarchus : *Alexander armis fortiter, ſed magis ſapientia pugnavit.* Si ſcientia non cudit miſſilia ; at cudit conſilia, ut ne temerè illa jaciantur. Non eſt Vulcano genita ſapientia, unde non vomit incendia, nec fabricat fulmina. At Jove nata eſt fulminum Moderatore, qui arma novit cum ſpe victoriæ tractare ; ut & ſapienter dimicetur, & fortiter vincatur. Ars & Mars quam bene conveniunt : Sinè arte immitis eſt Mars ; ſine Marte inermis eſt ars. Primi Martis Pulli, ut feliciter bellarent, artium Diſcipuli fuere. Habet C. Jul. Cæſar dicendi Magiſtrum Apollonium, Auguſtus Apollodorum, Tiberius Theodorum, Mecænas Arium, Arcadius Arſenium, Carolus Magnus Albinum. Et quum totus ferreus eſſet Carolus V. id tamen indoluit, quod Geutherio à Latinis dehortanti, morem geſſiſſet ; Hadriani vero monitis de Latino idiomate non paruiſſet. Mirandus ſuis in victoriis Hercules, quod ipſi etiam vincula injecit Cerbero ? at non ſine cerebro. (Heraclides diſp. od Homeri alleg.) *Minime putandum eſt, Herculem viribus & armis tantum præſtitiſſe ; ſed cum prudens, & ſapiens eſſet.*

## QUÆSTIO III.

### *De reliquis ſuccis & Terris pretioſis.*

Concluſio prima. Alumen, definitore Plinio, eſt ſalſugo, vel ſalſus ſudor terræ, ex aqua, limoque concreſcens. Eſt Candidum, aut nigrum communiter. Candidum, quod optimum cenſetur, aut eſt liquidum, aut ſpiſſum. *Liquidum*, molle, pingue, & limpidum exiſtit, cui immerſa charta etiam peſſima & ſiccata atramentum retinet, ne perfluat. Barbaris Roche, id eſt, rubrum dicitur. Ignem hoc olet, ut lapides, quando eorum attritu ignis elicitur. *Spiſſum* vel rotundum eſt, vel ſciſſile. Illud formam habet ſacchari, hoc in capillamenta quædam caneſcentia dehiſcens videtur. Cum in carbones ardentes poſitum, vel ollæ incluſum ſuccenſis torretur ignibus, in bullas tumet, & aliquid de ſua deperdit ſubſtantia. Plin. l. 31. c. 10. *Nigrum* in Cypro invenitur, quo purgatur aurum. Re-

Reperitur etiam flavum inſtar butyri molle, quod in foro Vulcanio prope Neapolim foditur. Refert Matthiolus, ſe illud vidiſſe, contrectaſſe, guſtaſſe, nec quicquam unquam magis adſtrictorium percepiſſe. Eſt alumen etiam factitium, quod fit ex omni aqua aluminoſa; primum in cortinis cocta, tum deinde per canales ducta, concreſcit enim aqua illa in alumen, quod ipſis canalium lateribus adhæret, & hoc eſt alumen, quod vulgò *Rupis* vocant. Saccharinum ex alumine Rochæ, albumine ovorum, & aqua roſarum, in maſſæ turbinatæ formam, ſacchari inſtar effingitur. Uſus aluminis varius eſt primò aqua fortis, quam ſtygiam vocant, ex aluminis portione fit; illud enim ſatis acria corpuſcula ſuppeditat. Secundo æris colorem aqua aluminoſa conciliat: tertio librarii aluminoſam aquam adhibent, ut charta inde imbuta fortior evadat, ut ſuperius annotavimus, rigore illius mollities chartæ adſtringitur. Aurificibus quoque uſui eſt, cum ex aluminis portione illa aqua fortis deſtilletur, quam ſeparationis vocant. Denique lanis tingendis vel inficiendis alumen ſervit, quia corpuſcula illius texturæ facile adhærent, ſecumque colorum pigmenta tenacius implicant, & affigunt.

Concluſio ſecunda. Nitrum (quod in quæſtione priore definivimus) ſeu ſalnitrium, halinitrium ſeu ſal petræ, hæc enim pro eodem communiter accipiuntur, aliud foſſile, aliud factitium: illud educitur ex fodinis vel efflореſcit in ipſa ſuperficie terræ, vel aquæ, vel adnaſcitur ſubterraneis cameris ſeu fornicibus ad inſtar oſtrearum. Factitium autem efficitur ex aqua nitroſa, qualis eſt aqua Nili, quæ concreſcit in nitrum, derivata in nitrarias. Fit etiam ex lixivio cineris quercini, vel terræ nitroſæ, vel fimi, vel terræ multo ſtercore & multa urina ſubactæ. Multo igne conſtat, quia facilè accenditur, unde pulvis tormentarius ex nitro conficitur. Includit tamen aliquid humoris, quo fit, ut facilè abeat in flatus. Aſperſum etiam aceto ebullit, analogia eſt in calce. Singularis illius proprietas eſt ſummum frigus conciliare vino vel aquæ; ſi enim lagena vitrea, cujus collum ſit longius & venter ſphæricus, intra ſal nitrum probè tritum volvatur, vinum intenſe frigeſit, quod ſanè mirum eſt, cùm conſtat, illud multâ virtute ignea eſſe præditum. Fæcundum etiam eſt, unde terræ nitroſæ ſunt uberiores. In clivis Macedoniæ optimum eſt, Calaſtricum vocant, candidum, proximumque ſali. Lacus eſt nitroſus exiliente è medio dulci fonticulo. Fit ibi nitrum circa canis ortum novenis diebus, totidemque ceſſat, ac rurſum innatat & deinde ceſſat. Illis autem diebus, quibus gignitur, ſi fuere imbres, ſalſius nitrum faciunt, Aquilones deterius, quia validius commovent limum. Ægypti ſuo nitro raphanos aſpergebant, non aliter ac nos ſale. Macedones aliquid de Calaſtræo ad farinam addunt, cum eum, ut faciant panem, ſubigunt.

Concluſio tertia. Bitumen eſt ſuccus terræ, lentus, tenax, pici ſimilis, facillime ignem concipiens. Eſt *durum & liquidum*. Durum, quod fortius concretum & tenax eſt, inſtar terreæ glebæ & carborum apparet. Hujus generis ſunt *Aſphaltus*, *Piſſaſphaltus*, *& ſuccinum*. Aſphaltus eſt bitumen nigricans, pici ſimile, ſed durius & magis inſpiſſatum, ſplendidius, & minus male olens. Atque hæc ſpecies in tota Babylonica Regione naſcitur, & in lacu Aſphaltite, referente Plinio l. 35. c. 15. Tenacitas illius diſſolvi dicitur ſanguine menſtruo, quod ſi verum ſit, ratio ab acrimonia & mordacitate ſemicorrupti ſucci petenda eſt. Piſſaſphaltus eſt bitumen quodammodo nigricans magis terrenæ concretionis. *Succinum* eſt bitumen & pinguis terræ ſuccus, cujus maxima pars invenitur in Pruſſia ad littus maris Balthici, de loco ejusque virtute fuſius in Quæſtione ſequenti differemus.

*Liquidum* bitumen eſt, quod ut oleoſus liquor diffluit; cujus ſpecies præſtantiores ſunt *Naphtha* & *Ambra Arabica*. Naphtha eſt bitumen liquidum olei lentore, & craſſitie, tantam vim ignis habens, ut ignes ex longinquo ad ſe trahat, & inflammetur, nec ab aqua infuſa reſtingui poſſit propter tenacitatem, quæ ab aqua ſubigi non poteſt; imo ab eo magis per antiperiſtaſin accenditur. Hinc tempore pluvio bituminoſæ terræ accenſæ magis ardent. E petris fluens dicitur *petroleum*, quaſi dicas *Naphtha petræa*. Dixi, quod ad ſe trahat, id eſt, non quod reverà, trahat, ſed quòd viſcoſum halitum, inſenſibili effluvio emittat, qui facile concipit ignem, ita ut continua accenſione, ut fit in pulveris tractu, ignis etiam ad naphtham perveniat. Ambra eſt bitumen fragrantiſſimum, ut cum pretioſiſſimis conferatur mercibus. Ex terra ſubmarina fungorum inſtar naſci quidam exiſtimant; nonnulli piſcem Aſelum nomine, avidiſſime eam proſequi ſcribunt, ejusque eſu necem ſibi conſciſcere, quod cum ſciant piſcatores, funibus conſtrictum, exenterare mortuum ſolent: Matthiol. in Dioſcor. l. 1. Alii putant excrementum eſſe piſcium aliquorum, analogiam dantâ muſco & aliis odoramentis, quæ ex quibusdam animalibus educuntur, v. g. Caſtoris, Martis &c. verior ſententia exiſtimatur, quæ docet, quod ambra defluat de fontibus in mare, ibique induratam ejici in littora. Emplaſtrum ex ambra calvis & imbecillitatem ex frigore capitis ſentientibus commodum eſt. Cordi, niſi à frigida cauſa occupato, nocere poteſt; ſcilicet ſi ſpiritus incaleſcunt, & juſto magis

gis attenuantur, morbi exiſtunt. Heurn. l. 2. Medic. Vino infuſa temulentos reddit. Illud etiam experientia conſtat, quod, quo debilior eſt fœmina, mobiliorque, eò facilius ab ambra & moſcho ei convellitur uterus, & caput dolet.

Concluſio quarta. Vitriolum eſt ſuccus concretus, perſpicuitatem vitream obtinens, Latinis appellatur atramentum ſutorium, dicitur & chalcanthum. Nativum in terræ venis, aut ſaxorum commiſſuris concretum reperitur; aut dum ex iis guttatim deſtillat, partim ex iis ſtiriarum inſtar dependet, partim in canalium fundum incidit. Acerbiſſimus hic ſuccus eſt, eſtque veluti quoddam excrementum metallicum, æris præſertim. Optimum vitriolum Romanum & Ungaricum; bonitas probatur cultro ubi affricueris, ſi enim cupreo eum inficit colore, laudatiſſimum habetur. Quercet. de Capit. affect. c. 30. Spiritum illis ineſſe cauſticum dicit Riolanus, ut vitrum, in quo inſit, exedat. Cum oleo Tartari antipathiam habet: uterque enim illorum, licet ſit acutiſſimus & acidiſſimus, ubi commiſcentur, utriusque acrimonia perit, & liquor fit inſipidus. Boët. lib. 2. de lapid. Omnes metallorum venæ in Chalcantum deſinere videntur, unde foſſores, ubi ad illud proveniunt, ultra non pergunt, ne operam perdant; eſt enim, ut dixi, quoddam excrementum metallicum, in quod ſuccus concreſcit, eroſâ ſcilicet exteriore venæ ſuperficie; quid mirum ergo, ſi venam terminet. Dignum relatu eſt, quod de eo & ſuccino refert *Cunradus in medulla diſtillatoria*. Repone, inquit, ſuccinum flavum in tabulam è Biſmutho factam, & trium ſpithamarum vitriolum colloca. Mirum viſu! vitriolum & calore & acrimoniâ ſpoliabitur; quæ in ſuccini præparatione viciſſim deprehendentur. Adhibetur etiam ad extractionem quarundam aquarum fortium cum nitro & ſale. Varia vi medica pollet, v. g. caleſacit, cùm multo igne conſtet; maligna ulcera detergit, quia exſiccat; ſanguinem ſiſtit, quia vi ſua adſtringente orificia venarum obſtruit.

Concluſio quinta. Camphoram ſcribunt Mauri lachrymam eſſe arboris, adeò patulis diffuſæ ramis, ut tantum locum reddere poſſit opacum, quantus centum homines capere queat. Addunt, lignum eſſe album, ferulaceum, & Camphoram in fungoſa continere medulla. Verius tamen eſt, Camphoram ex bituminis Indici quodam genere fieri, quod in vaſe coquitur, cujus halitus in operculum incidentes condenſantur in tenuiſſimas partes candidi coloris, in eamque, quam videmus, figuram ſe transformant. Nativam in India darii, teſtantur mercatores. Igni amica eſt, unde accenſa jugiter ardet uſque ad ultimas particulas. Odor illius repugnat Veneri; pota imo attacta genituram extinguit. Heurn. l. 2. Medic. teſtatur, quod ſi cyathus aquæ, in qua tantum camphoræ conflagrarit, quantum nucem avellanam æquet, exhibeatur cardiacis & hyſtericis, ſtatim liberentur. Garzias vero inquit: experimento didici, in oculorum inflammationibus nivis frigiditatem à diſſoluta camphora retuliſſe.

Concluſio ſexta. Stibium vulgari nomine Antimonium appellatur. Liquabile ut metallum eſt, non tamen malleo ductile. Reperitur in fodinis argenti, cui interdum admixtum eſt, unde & venæ latentis argenti ſignum eſt. Conſtat multa terra, igne modico, humore modico. Colorem habet, quem plumbarius lapis, magis tamen nitet. Præſertim altera illius ſpecies, quæ fœmina dicitur; illa enim, quæ maris nomine appellatur, minus ſplendet. Vitro etiam affine eſt, quia fragile eſt. De mercurio participare dicitur, quod ſcilicet eos motus excitet in corpore, qui mercurio duntaxat tribui poſſunt, unde & mercurius ex ſtibio educi poteſt. Aurum purgat, quia cum facile exhaletur, ſordes ſecum abripit. Admiſceri ſolet ſpeculis metallicis, ut lumen melius reflectant, uti etiam campanis, ut melius ſonent, cùm ſuperficiem æris planiorem reddat. Præſertim vero mirifica vi purgante pollet tum per alvum, tum per vomitum, laxat enim meatus arteriarum venarumque, ut proinde humores ex iis facilius extrudi poſſint. Exempla ſi requiris, conſule Jonſtoni Thaumatographiam naturalem. Unde Chymici pro univerſali medicina ſtibium agnoſcunt. Vitrum ejus in vinum injectum, vim ipſi catharticam, & emeticam communicat, nunquam deficiente ſubſtantiâ. Adverrit tamen Pater Honoratus Fabri, quod ſicut metalla, quorum mixtio imperfectior eſt, vitiat, ita homines paulo debilioris indolis nimis purgat, & perniciem affert.

Concluſio ſeptima. Alii ſucci, qui liquari nequeunt, in lapides tamen non indurantur, ſunt auripigmentum, ſandaracha, calx, gypſum, creta, ochra, argilla, terra ſigillata, terra armenia. Auripigmentum ſeu Arſenicum eſt ſuccus concretus, lutei coloris, in picturis aureum colorem referens; calidum eſt & ſiccum in quarto gradu, & venenum præſentiſſimum. Vide Scaliger. Exerc. 104. ſect. 22.

Sandaracha eſt terra ruſa, cinnabaris colore, nonnihil ad luteum vergens, in metallicis venis plerumque cum auripigmento naſcens, redolens ſulphuris virus; de hac Scal. Exercit. 104. ſect. 22.

Calx

Calx eſt terra ſiccior, lapide cocta, quæ poſtquam arſerit, aqua incenditur, oleo exſtinguitur. Viva dicitur, quia intus occultum ignem continet.

Gypſum eſt terra candida, tenax & levis, calci cognata, ſed non ita calida, quæ ex ſumma tellure effoditur. Factitium è quodam lapide fit, in laminas ſciſſile, eoque tectoria parietibus inducuntur.

*Creta eſt terra tenax albiſſima, in Inſula Creta foſſilis.*

Ochra terra eſt leviſſima & lutea, è qua exuſta in ollis novis luto circumlitis fit rubrica fabrilis, quæ dicitur Rödelſtein / quæ etiam eſt nativa.

*Argilla eſt terra pinguis & lenta, è qua fiunt figulina vaſa.*

Terræ ſigillata vel Lemnia eſt portio terræ valde rubens, in Inſula Lemnio & effoſa, & Dianæ ſacerdotis ſigillo, ut Magirus refert, obſignata. Effoditur hodie etiam in Sileſia & Haſſia, terrâ Lemniâ non deterior. Venenis reſiſtit.

Terra Armenia eſt portio terræ in Armenia effoſſa, colore pallido, egregie ſiccans. Agendum hic adhuc foret de ſulphure, ſed quia jam alibi, dum de ſubterraneis ignibus ageremus, naturam ejus incidenter explicuimus, hic brevitati ſtudentes ſuperſedemus.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Cognoſce te ipſum.

73.

N. 73.




Wolfg. Jos. Kadoriza del. Lincij.

Conſulenti Crœſo Lydorum Regi potentiſſimo Delphicum oraculum, quanam ſemita poſſet ad felicitatem pervenire, reſponſum tulit: *Si te ipſum cognôris*, ſive ut Poëta habet: *Plut. Solon.*

*Cognoſcens te ipſum fueris ſic Crœſe beatus.* *Herod. 1.*

Nemo

Nemo enim miſerior ignorante ſe ipſum. Oculari captum lumine infelicem dixeris, at infeliciorem longe illum, qui mente cœcus, ſe non videndo, nil videt. Quærit cœcus ducem, utiturque aliena luce, dum propria ſe carere noſcit, & errores vitat; hic, quia ſe cœcum non retur, ducem ſpernit, & in foveam incidit. Nihil in hac vita omni ex parte beatum, aut perfectum eſt, *Quisq; ſuos patitur manes.* Varios terræ ſuccos in medelam humani corporis ordinavit natura, nec quisquam ea ferrea fruitur valetudine, quæ non quandoque ſua patiatur Synptomata, medicoque potu habeat opus. At & *ſuus*, veriſſime ait Catulus, *cuiq; attributus eſt error, ſed non videmus id mantica, quod in tergo eſt.* Et vel ideo difficulter ad ſanitatem perveniemus, quia nos ægrotare neſcimus. Fatuam novi, inquit Seneca, quæ cum cœca foret, neſciebat tamen ſe eſſe cœcam. Subinde pœdagogum ſuum rogabat, ut migret ex domo, ajebat enim, domum illam nimis tenebroſam eſſe. Irrides hanc irridendus illa amplius, qui non naturæ vitio, ſed perverſa mente cum cœcus ſis, pro cœco haberi nolis. Ad aliorum nævos Lyncium te eſſe non negavero, at dum omnia luſtras, ſi tamen te ipſum non vides, talpa manes. Dic enim, amabo, quid recte vides, ſi teipſum non vides, dumque omnia ſcis, quid te ignoto proficis? hercle nihil. Cum vate canito:

*Catul.* *Senec. lib. 1. Ep. 50.*

*Ovven.*

*Quêis oculos videam ipſe meos, oculi mihi deſunt,*
*Quâ mentem videam, mens mea mente caret.*
*Si mens, una mei pars optima, neſcio quid ſit,*
*Unde tibi poſſum dicere, ſim quid ego?*

Pro primo ſcientiæ objecto, ut ſapiens ſis, te ipſum, quo nihil majus habes, ſtatue, & Lynceus actionum tuarum cenſor eſto. Notabis ocyus, quam ſit tibi curta ſupellex; quam amor ſui vitia, quæ amat, defendet; & malit excuſare illa, quam excutere. Iraſcimur illis, quibus ipſi nomen noſtrum maculamus, omnesque præpoſteri motus noſtri nunquam bene alienum ſuſtinent exemplum. Divortium animorum facit conſenſus vitiorum, unius avaritia alterius avaritiam odit, ſuperbia ſuperbiam offendit; & alieno exceſſu ſe ipſa damnant vitia. Quid, quod & illis faveamus, & virtutum nomen, quæ proximæ illis ſunt, adaptemus, ut non tamen, quæ recta ſunt, probentur, quam quæ prava dilaudentur? Aſtutia hæc eſt, quæ prudentiam ſe eſſe ambit, at ab ea diſtat plurimum; nec enim *ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quam cum in malitia ineſt ſimulatio*, inquit Cic. Maximus abuſus in hoc mundo eſt, quod vitia veſte virtutum amiciantur. Unde monet eadem Tulliana eloquentia: *Cernenda ſunt diligenter, ne ea nos fallant vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & religionem ſuperſtitio, ſtudiisq; bonis ſimilia videntur, quæ ſunt in eo genere nimia.* Quare

*Cic. 3. offic.* *Cic. 3. de officc.* *Th. Mez.*

*Lynceus eſto tibi, tua cenſe teq; ſevero*
*Ante alios omnes perſpice judicio.*

*Senec. lib. 1. de clem.*

Neminem cito judicaveris, neminem facile accuſaveris. *Quotus enim quisque accuſator vacat culpa?* Senec. Quidquid in alio reprehenditur, id unusquisquis fors in ſuo ſinu inveniet. Sapienter Plinius in Panegyrico vult, ut magiſtratus non minus ſe hominem eſſe, quam hominibus præeſſe cogitet. Tam qui imperat, quam qui imperium capit, errorum obnoxii ſunt. Alter alterius portet onera, neceſſe eſt. Miraris & reprehendis vicini lapſum, audi Comicum:

*Mimus.*

*Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.*

Stetit ille, ut modo tu ſtas, quem ille paſſus lapſum, hic te exſpectat. Dum Minerva inter canendum in undas oculos conjicit, ſe, qualem non credebat, inflatis buccis deforme monſtrum ſpectat. Deteſtata hinc ocyus arundinem deformitatis inſtrumentum. *Tantum ſeſe cognoſcere prodeſt.* Omnia vitia in aperto leviora ſunt; & morbi tum ad ſanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt, vimque ſuam produnt. Sordes, quia vides in ſpeculo, vultui adimis. Etiam tigris ab incœpto furoris curſu *propriæ tardatur imagine formæ.* Concludo igitur cum Juvenali.

*Claud. l. 3. de raptu Proſerp.* *Juven.*

*Credite, de cœlo deſcendit, noſce te ipſum;*
*Hinc benè qui ſeſe noverit, ille ſapit.*

QUÆ-

# QUÆSTIO IV.

## *De ſuccino & virtute Electrica.*

CONcluſio prima. Succinum, ut dixi in Quæſtione præced. eſt bituminis ſpecies, & pinguis terræ ſuccus, qui in ora maris Balthici in Pruſſia reticulis tanquam piſces capitur. Cùm enim Favonius aut Corus vehementius mare commovet, omnes ad littus convolant, reticula lino intexta in manibus gerentes; Ventis deinde ſedatis & fluctibus, ex fundo ſuccinum hauriunt. Ita Agricol. in lib. de foſſil. Ex quo patet, ſuccinum non arborum ſuccum eſſe, ut quidam exiſtimant, nullibi enim ſtant à mari ſtillantes reſinis arbores, quæ decidant in mare, ut ex iis fiat ſuccinum; nec ex ſemine Balænæ generatur, ſed concreſcit ex diverſis terræ liquoribus cum aquæ marinæ, bituminoſæ & ſulphureæ permixtione. Colore reperitur vel flavo, vel pellucidiore, vel candido & obſcuro; candidum autem pretioſiſſimum eſt. In littore ad Pucecam cinereum eſt quondam effoſſum, quod poſtquam fuit attritum ferro, folia quæ humi jacebant, duorum pedum ſpatio ab iis remotum, in ſublimi ſublata ad ſe traxit. Medetur Podagræ, quia ſubtili fluvio acrem illum humorem temperat, qui dolores podagræ conciliat. Elicitur ex ſuccino oleum magni in medicina uſus, Balſamo enim ſubſtituitur. Peſte correptos ſeptem guttæ cum aqua Cardui bened. & ſale artemiſiæ reſtituunt, & ſolius ſuffitu, ut Doring. de opio ſcribit, ſenex quidam in arce Altenburgenſi Conſul apoplecticus ex mortis præſentiſſimo diſcrimine poſtlimino quaſi ad vitam revocatus eſt. Effigies ex eo formantur pretioſiſſimæ. Romani in tantis deliciis has habebant, ut hominis quamvis parva effigies vivorum hominum pretia ſuperaret, ut teſtatur Plin. Hiſt Natur. ſed de his ſatis.

Quæſtio nunc & difficultas potiſſimum eſt explicare virtutem electricam, quod antequam faciam, nota, non ſolum ſuccinum ſive electrum pollet virtute corporum aliorum tractiva, ſed & alia foſſilia: quia tamen hæc virtus in ea præcipuè reperitur, ideo virtus electrica, & corpora ipſa, quibus competit, electrica appellantur, ſicut autem non unum eſt corpus electricâ virtute præditum, ita non unum eſt corpus quod ab iis trahitur, trahuntur enim tum ab electro, tum ab aliis corporibus bituminoſis, tum etiam à plerisque gemmis omnis ferè generis corpora, modo ita ſint exigua, ut facile poſſint dimoveri, & præterea niſi ſint nimis calida ac inflammata, adeoque non paleæ ſolum & feſtucæ, ſed etiam charta, lignum, metallum, & præterea omnes humores: Hinc ſit

Concluſio ſecunda. Vis electrica non conſiſtit in ſpeciali corporum trahentium & tractorum Sympathia. Ratio eſt, quia in corporibus tractis non ſpectatur natura, ſed ariditas & levitas. Accedit, quod nulla affinitas explicari poſſit intra corpora tam diverſorum generum ac naturarum, ſicut ergo, quia vis tractiva machinarum ad omnia pondera ſe extendit, nemo dicit eam in Sympathia eſſe reponendam, ita pariter vis electrica in Sympathia reponenda non eſt. Secundo. nec modus ille ſubſiſtit, quem alii ſtatuunt: reducentes tractionem hanc ad vacui metum; volunt enim ab effluvio electri aërem expelli, & amoveri, & metu vacui feſtucam v.g. adduci. Contra enim eſt, quia modus hic purè fictitius eſt, annon enim aër lateralis longè facilius accurreret ad vacuum occupandum, quàm feſtuca? præterquam, quod nil ſe moveat ab intrinſeco metu vacui, ſed tantum moveatur ab extrinſeco ad vacuum impediendum. Quare ſit

Concluſio tertia. Vis electrica per halituum emiſſionem è corpore electrico benè explicatur. Ratio eſt primo, quia electrum non exerit vim tractivam, niſi modico calore & affrictu excitetur, affrictus vero videtur neceſſarius, ut pori à pulvere extraneo tergantur atque ita apertiores ſint, calor vero, ut pars corporis attenuetur in halitum & exſpiret, quemadmodum enim effluvia odoroſa, ita Electrica per calorem exſpirant. Secundo, quia dum ſuccinum præparatum tenuiſſimo pulveri admovetur, illum huc illuc ſpargit, quod eſt evidens ſignum erumpentis effluvii, tanquam ventuli pulverem disjicientis. Hoc vero poſito facile intelligitur, quomodo ab hac ipſa exſpiratione perficiatur tractio, halitus enim hi cum uliginoſi ſint, & viſcoſam tenacitatem in ſe habeant, feſtucarum corpuſcula ſibi implicant. Deinde, cúm hi halitus ſua habeant filamina, qualia in fumo apertè conſpicimus, poris adhærentia, & cum impetu erumpant, fit, ut poſt validam tenſionem, ex prima illa emiſſione derivatam, ſtatim redeant etiam cum impetu idque eo modo, quo fidium chordæ nimium tenſæ, ac deinde ſibi relictæ ſeſe illico cum impetu ad priorem menſuram reducunt.

Ex quo colligitur primo, tenſionem hanc halituum fieri ex calore, qui ubi ita ſe remittit, ut non prævaleat, ad ſuum principium filamina illa illico regrediuntur, idque juxta naturam uniuscujusque corporis ſua raritate vel denſitate ſpoliati; hinc fit, quod vehemens calor tractionem impediat, ita enim halitus extendit, ut vel urat, vel rumpat, ut redire amplius in ſe non poſſint, ſed attollantur in altum ob nimiam extenuationem.

Colligitur ſecundo: quod uti prædicta halituum filamina ſe ad poros corporis reduxerunt, poſſint & debeant rurſus egredi, cum perſeveret idem in corpore calor, qui ſemper eſt ibi major, quam in aëre circumſtante propter ſulphuream materiam, quæ & citius concipit, & diutius retinet caliditatem.

Colligitur tertio: Cur, ſi ſuccinum poſt affrictum vento validiori exponitur, vel valido perfletur anhelitu, deinde non trahat, quia ſcilicet hac ratione halituum filamenta diſſipantur. Idem contingit, ſi valide ſuccutiatur, aut aquæ immergatur, aut manu humidiore, vel pinguiori poſt frictionem attrectetur. Tempore etiam pluvio minus trahit, quia nempe humoris particulæ partim poros obſtruunt, partim tenuiſſima filamenta ſolvunt. Nihil etiam trahit, ſi corpus aliquod, quantumque exiguum, interjiciatur; hoc enim obice ſiſtit halituum filamina, in quo maximè à magnetica virtute diſcrepat.

Quæres tamen, quo facto palea attracta retineatur, ratio dubitandi eſt, nam ſi halitus alternatim prodeunt, & rurſus ſeſe recipiunt, cur corpora ſemel rapta non rejiciunt? Reſpondeo, facilè hoc explicari, conſiderando naturam filaminis viſcoſi, ex hoc enim ſtatim apparet, quod dum corpus ad ſuccinum eſt adductum, illicò ſeſe implicet & involvat usque ad radicem in ſuccino implantatam, ac conſequenter non poſſe amplius ab eo ſeſe expedire, & quod ulterius ſequitur, non valere amplius illud repellere.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Morum comitas neminem deſpicit.

VIrum publicum non ſatis agit Politicus, qui privatum, etiam infimum, ſuo è gremio excludit. Omnibus hoc patere debet, ut Patriæ Patrem ſe eſſe audiar. φιλανθρωπία ſive Benevolentia nullum hominum ſtatum ſuo influxu prætergreditur, fontis inſtar dives in omnes. Eodem intutu, quo obſervat Principum aulas, plebeculæ reſpicit mapalia. Eadem aurium facilitate & Magnatum præſtolatur imperia, & populi preces excipit; quaque manu januam reſerat diviti, eadem pauperi recludit. Reveretur & in pretio habet Regum purpuram, ſed & lacero palliolo amictum amplexatur clientem. Nihil enim à dignitate ſua alienum putat, quod benignitas ſui muneris proprium eſſe ducit. Virtute æmulatur ſuccinum: *Attrahit hoc paleas, attrahit ille Codros*, ut Poëta non ignobilis cecinit. *Ille* namque *verè incrementis ſuis major eſt*, inquit Symmachus, *quem ſublimitas parti honoris inclinat.* Impar eo ipſo majoribus, qui ſolis grandibus par ſibi viſus, minores deſpicit. Commune ſubjectum agit Politicus, in quo nobilis æquè ac ignobilis forma ſuum ſuſtentationis fulcrum habere oportet. Gregorius Pontifex cognomento Magnus, ut ſuperbiam retunderet, Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui univerſalem ſe Epiſcopum inſcribere auſus, primus *Servus ſervorum DEI* ſeſe appellavit. Merito dictus Magnus credentium Pater, dum ſe ad omnium obſequia demiſit Servus. Nullam nempe perſonarum diſtantiam benevolentiæ oculus conſiderat, qui in unaquaque dignum virtutis exercendæ reperit objectum. Benè Tragœdiographus Græcus:

*Symmach*

*Sophocles.*


*Magnus parvis ſæpè jungitur,*
*Sæpè à parvis magnorum res*
*Confirmatur.*

Nemo tam eſt exiguus, ut ad magna non ſerviat, famam & affectum publicum. Nihil enim jucundius his, qui reguntur, eſſe poteſt, ſi Franciſco Patritio credamus, quam cum intelligunt, aures illius, qui regnat, patere non ſolum Optimatibus, ſed & plebeculæ, nec ullius querelis clauſas eſſe. Incuſantibus amicis Trajanum Imperatorem, quod parum memor Imperatoriæ Majeſtatis nimium omnibus expo-

*l. 8. de Regno.*

expoſitus eſſet, ſapientiſſimè reſpondit: *Talem præſtabo me imperatorem privatis, qualem optarem eſſe privatus.* Quod, quam facto impleverit, Plinium Panegyricum auſcultate: *liberum eſt*, inquit, *ingrediente per publicum Principe, ſubſiſtere, occurrere, comitari, præterire; ambulas* *Plinius Paneg.*

74.




*inter nos, non quaſi contingat, & copiam tui, non ut imputes, facis. Hæret lateri tuo quisquis acceſſit, finemque ſermoni ſuus cuique pudor; non tua ſuperbia facit.* O Regiam morum comitatem, quâ conſecutus, ut omnium animos adamantinis ſibi obſtrictos vinculis tenuerit. Et verò quis, Marpeſia licet rupe ſatus, non amaret talem principem, quem cum dignitas altiorem conſtituit omnibus, morum begnignitas infimis facit parem. Hinc & Titus *deliciæ generis humani* nuncupari meruit, cui alte illud menti inſcriptum erat: *Non oportere à ſermone principis quemquam triſtem diſcedere.* Teſſera hæc Auſtriacorum Principum propria, cum quibus jam à cunabulis adolevit Regia humanitas, quæ nemini non ad gratiarum ſinum advolanti ſternit aditum, omnium querelis pandit aures, dumque omnes Auſtriaco in corde incluſos tenet, nullius inopiam ac ſolicitudinem benignitatis curâ excluſam patitur. Vide Rudolphum primum, ut ſtipatoribus pauperes à Principe arceri volentibus indignetur exclamans: *Per Deum, ſinite eos ad me venire; non enim ſum ad imperium vocatus, ut in arcula includar.* Æmulati hunc ut ſanguinis, ſic humanitatis *Auſtriacæ* Hæredes ſucceſſores Auguſtiſſimi, ex quibus imprimis Caroli V. & Ferdinandi ſecundi ita virtus eminuit, ut magnetis inſtar primo aditu ſummorum æquè ac infimorum corda raperet, timidos erigeret, perturbatos tranquillaret, ſolaretur afflictos, nullum denique à ſe triſtem abire ſuſtineret. Ad exemplum horum & tu Politice te Auſtriacum humanitate proba. Devince tibi morum comitate omnes, ut in omnium amore Auſtriacus vivas. Nullius affectus obeſſe poteſt, poteſt vel unius nocere odium, & etſi vilis ſit, proditionis tamen capax eſt; habet linguam, quâ te proſcindat, habet manum, cui furor arma miniſtrat; honoratum te gaudebunt omnes, quem honorantem experti ſunt ſinguli. Perennat dignitas, quam comitatur benevolentia.

*Suet.* *Zenor.*

# QUÆSTIO V.

## *De natura & proprietatibus lapidum generatim.*

Concluſio prima. Lapis eſt corpus perfectè mixtum, inanimatum, durum per ſe minimè liquabile, nec inflammabile, nec ductile. Et etſi contrarium fieri aliquando videatur, id tamen duntaxat contingit ratione metalli, aut rei cujuslibet liquabilis admixta. Poſſunt tamen plerique lapides friari malleo, & igne in cineres & calcem reſolvi.

Concluſio ſecunda. Generatur lapis ex ſicca terreſtri exhalatione, unctuoſitate quâdam aquoſa permixta per temporis diuturnitatem vi caloris & frigoris, atque virtute minerali conglutinata. Unde materia lapidis eſt humor aquoſus, terraque unctuoſior & craſſior. Neque enim ex ſola terra confici poteſt, utpote cujus partes ſunt ſicciores, & in pulverem facilè diſſipabiles, & ob id ad congelationem ineptæ; ſed humidum quoq; unctuoſum requiritur, quod tanquam gluten terreas partes connectat. Neque etiam humor ſimplex per ſe, ſuaque natura fluens lapides conſtituere poteſt, ſed neceſſaria eſt terra, quæ illum veluti repagulo cohibet & ſiſtit. Ea propter ex terra craſſiore, humente ſicco perfuſa, lapides naſcuntur. Quæ tamen ita intelligenda ſunt, non quod duo reliqua elementa, ignis ſcilicet & aër ab illorum mixtura ſint ſeparata, ſiquidem conſtans eſt Phyſicorum ſententia, omne mixtum ex quatuor elementis conſtare, ſed quod duo enumerata elementa, terra ſcilicet & aqua, in quovis lapide præcellant; inprimis autem in lapidibus, qui non ſunt perſpicui, terram prædominium obtinere, ex ſoliditate & gravitate illorum colligere eſt, quo fit, ut mergantur ſub aqua, & non ſupernatent.

Concluſio tertia. Cauſæ efficientes diſpoſitivæ (principales enim ſunt ſidera, præſertim Sol, item ignes ſubterranei, & virtutes minerales) ſunt calor & frigus. Calor in materia perſiſtens, humidum, tenax & unctuoſum per terreæ molis tenuiſſimas quasque partes diducit, digerit, & percoquit, & ſingulorum elementorum, terræ præſertim & aquæ, portiones aptè & ad amuſſim confundit, ab omnibus excrementoſis partibus purgat, & pro lapidis forma producenda materiam ipſam ritè præparat. Hanc deinde frigus ſuâ conſtrictione denſat, omnemque ſuperabundantem humorem exprimit, & in lapidem indurat.

Dices: frigiditas potius eſt cauſa corruptionis, quam generationis. Item, ſi à frigido lapides coaleſcant, ſequitur eosdem à calido liquari & reſolvi. Reſpondeo ad primum, in corporibus animatis verum hoc eſt, at in inanimatis meteoris ſcilicet & metallis, frigiditas etiam eſt cauſa generationis. Pariter ad ſecundum, lapillos à calido citra alterius humoris appulſum liquari non poſſe, propterea, quòd tanta, & tam exquiſita in illis humidi & ſicci naturalis ſit commixtio & neceſſitudo, ut ſuo omni ex parte contrario affici recuſent, nec non niſi familiaris qualitatis illicio ad externæ qualitatis actionem conniveant.

Concluſio quarta. Sal ad lapidificationem plurimùm etiam conducere videtur. Ratio eſt, quia materia omni ſale exhauſta vix unquam lapideſcit: econtrà ſal ubivis pænè corpora coagulat & indurat, Unde ſuccus ille viſcoſus ad lapidum geneſin requiſitus ſale opportuno probabiliter conſtat. Res confirmatur experientiis, ſic ex ſale chymicè inducitur durities; unde ſalita caro durior eſt; ſic ovorum teſtæ, & marina conchylia & Corallia ex ſale nitroſo ſuam repetunt duritiem. Sic nitrum & quædam lixivia lapideſcunt. Ulteriorem analogiam exhibent ad rem noſtram quæcunque liquida concreſcunt; itemque molles fructus, qui ſaccharo conditi indurantur; prætereà lapides, qui in viſceribus animalium progignuntur, ac denique aqua, quæ perfluens canales plumbeos, relinquit veluti fornicem lapideum in eorum parte concava, nimirum fumos terreos, quos ſecum advexit, aqua ibi concreſcentes.

Ex dictis colliges, improbabilem eorum ſententiam eſſe, qui opinati ſunt, lapides non à natura produci, ſed à Mundi origine eſſe procreatos, & ex terræ viſceribus duntaxat hominum labore & induſtria extrahi. Contrarium enim rationes allatæ, & oculi teſtes oſtendunt. cùm teſtentur metalliſoſſores, qui novos lapides iis in locis inveniunt, ubi antea non niſi arenam aut argillam repererant. Quanquam tamen facilè crediderim, maximam lapidum partem ſimul cum terraqueo globo fuiſſe conditam.

Colliges ſecundo: Augeri pleroſque lapides per accretionem, ſeu juxtapoſitionem etiam in fodinis, hoc eſt, novæ particulæ lapideæ accedunt, & agglomerantur jam concretis. Nonnulli tamen lapides quaſi per introſuſceptionem, non tamen vegetativam increſcunt, ſcilicet percolatione & ſuctione ſucci lapidifici per internos meatus corporis jam concreti; cujus analogiam habes, ſi tubum expleveris gypſo, per illum enim exſugitur, & aſcendit aqua tubo ſubjecta, quemadmodum evenit quoq; in filtris chymicis, in tubis capillaribus, ac deni-

denique in virga auri mercurium imbibente. Ex his enim exponi ritè poteſt introſuſceptio ſine vegetatione, Confirmat hoc utrumque, ut obſervat Hamelius phyſ. part. 2. tr. 3. de foſſil. c. 5. in determinata lapidum figura, vix enim corpus certam & regularem figuram adipiſcitur. Ita ſilices aliquando alios lapillos pellucidos ex ſucco puriori & percolato coaleſcentes intus concludunt, interdum aliis ſuccreſcunt, & plures velut ex eadem matrice exſurgunt. Hinc vel in ipſo adamante interdum commiſſuræ & fibræ conſpiciuntur, ut transverſim juxta eas velut fibras à peritis artificibus findi poſſint; ſic etiam diſtinctè videmus in lapicidinis noſtris vulgaribus, ubi craſſiora ſaxa eruuntur, plures ejusmodi planiores ſuperficies, ad modum laminarum ſibi invicem commiſſarum, coalitas & concretas transverſim poni. Idem videmus in lapidibus, qui in animalibus reperiuntur, qualis eſt ille admirandæ virtutis lapis in capris Indicis & Perſicis generari ſolitus & *Bezoar* dictus; aut illi, qui ex felle boum tantopere eruuntur. Hi enim plerique tunicatim & quaſi per membranas concreſcere ſolent.

Quæres primo: Unde lapidum oriatur figura? Reſondeo, Chymicos figuram hanc in vim plaſticam & formatricem referre. Alii adſcribunt accurratiori percolationi, qua unius tantum certæ figuræ particulæ in unum colligantur, & coagmententur, quod ex cubica chryſtallizatione ſalis communis colligi poteſt. Cenſent alii figuram hanc à loci ſitu deſumi, nam ſuccus lapidificus ſui loci figuram induit, adeò ut neceſſe non ſit ad ſpiritum lapidificum, vel rationes ſeminales recurrere. Non tamen omnes omnium lapidum figuræ à loco ducuntur, ſed partim ab ipſo loco, cum ejus tanquam vaſis figuræ materia ſeſe accommodat, partim à caloris vel materiæ diverſitate oriuntur. Hinc *Hamel* Rotunditatem lapidum calori æquo humorem expellenti, & materiam ſui ſimilem ſubigenti adſcribit. Unde hujus figuræ lapides ex parvis primum initiis incrementa ſumunt, ſive æqualiter ſuccus affundatur, ſive ex minutiſſimis compingatur arenulis. Quando vero non caloris vi, ſe aliunde humiditas exhalat & exſpirat, tunc dicit hic Author, quod lapides in diverſos abeant angulos, idque eo ferè modo, quo videmus nitrum atque alia ſalium genera in varias efformari cuſpides; ſiquidem humore paulatim ad interiora confluente partes leviores ad exteriora vel angulorum apices protruduntur.

Quæres ſecundo. Unde colorum in lapidibus varietas? Reſpondeo, oriri illam ex diverſa ſucci lapideſcentis percolatione, unde diverſus opaci, & diaphani gradus inducitur. Analogia eſt in floribus, ubi ex ſola ſucci diverſa percolatione tam verſicolor ſpecies oculo infunditur. Cæterum certum etiam eſt primo, quo ſuccus lapidum purioribus veluti ſeminum particulis conſtat, pellucidiores etiam lapides conſurgunt, quo vero impuriori miſcella fœtus eſt, eo etiam obſcuriores naſcuntur. Secundo, certum etiam eſt, quod ſæpè, ſucco lapidum, dum adhuc fluidus eſt, minerale quoddam coloratum admiſceri poſſit, eoque adventitio pigmento imbui Unde gemmæ coloribus variegatæ non longè à fodinis mineralium eruuntur. Hinc quædam aliquando partim tincturæ expertes ſunt ob defectum pigmenti. Tertio, refundi etiam lapidum colores poſſunt in varium eorum temperamentum, variamque luminis externi reflexionem ob diverſam corpuſculorum figuram, ex quibus lapides compinguntur.

Quæres tertio: Unde lapidum proveniat friabilitas? Reſpondeo, deſumi hanc à leviori mutuo partium implexu. Unde per microſcopium inſpecti apparent in illis veluti arenulæ pellucidæ. Contrarium experiri eſt in metallis, quam ob cauſam malleo contuſa vix diducuntur.

Quæres quarto. Unde magnitudo & diſtinctio lapidum? Reſpondeo, haberi hanc partim à materiæ diverſitate, partim à loci naturalis diſpoſitione, majores enim exſurgunt, cùm locus eſt ſolidior, & ſucci copia uberior. Cùm autem locus multis hiat meatibus, tum calor per hæc ſpiracula difflatus ipſam materiam dividit, nec tantæ molis lapides efformari ſinit.

Quæres quinto: Quis locus lapidum concreſcentium ſit? Reſpondeo, hunc varium eſſe, primo enim in fodinis illorum potiſſima ſedes eſt. Secundo in aquis ut corallium & quidam ſilices. Tertio, in humano corpore, ubi ſæpe ovo grandiores inveniuntur. Quarto, in aliis corporis animati partibus, ut in buſonis capite, cancris &c. Quinto demum in ipſa etiam nubium regione, ubi fulminei lapides, ut ex dictis patet, cuduntur.

Quæres demum ſexto. Quem in finem à natura lapides ſint inſtituti? Reſpondeo primo, ut terra inde ſolidior evadat, ab humore enim alioquin facile ſubigeretur, & maceraretur. Secundo, ut adverſus æſtuantis maris inſultus firma repagula, & conſtantes aggeres attollerentur, ſine quibus jam dudum mare pleroſque terrarum tractus inundaſſet. 3. Architectonicæ plurimum deſerviunt: utpote è quibus ſublimis ædificiorum moles & longiorum pontium fornices aſſurgunt. 4. Non parum faciunt lapides ad mundi ornatum, nam præter lapillos inſigniores, quis non videt, quantum ornamentum ædibus præſertim ſacris diverſa illa & variegata marmora concilient. Adde ſtatuas aliáque artis ſpecimina. Denique rupes faciunt ſolidiorem montium portionem, quaſi quandam oſſium compagem.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Leges ut floreant, continuò reſtaurentur.

75.

N. 75.




*Wolfg. Jos. Kadoriza del. Lincy.* *J. S. K. f.*

VEtuſtate res pereunt, & tempus edax rerum etiam aurum arrodit. *Maxima eſt vis vetuſtatis*, dicebat eloquentiſſimus Romanorum. Paulatim ferrum rubigine abſumitur; & quæ æternitati ædificata videbantur palatia, alluvione deteruntur. Quæ diu ſteterunt, propria cadunt antiquitate, & *mala per longas invaluere moras.* Hæc civilis providentiæ œconomia eſt: ruinam domus minatur, aut in fundamento labaſcit? malo remedium admovet, collapſa reſtaurat. *Sapientis enim eſt, malorum initiis occurrere.* Leges & conſuetudines vitæ moratæ fundamenta ſunt. Per has ſtat reſpublica. Illis elaboratur publica ſalus, fundatur ſolidiùs. Illis compaginatur murus politici corporis, hac baſe ſtat regnum. Ipſum tempus tinea eſt, quæ leges arrodit: aut maligna hominum fragilitas Æolus eſt, qui ſtatuta è fundamento concutit, & vel invertere tentat.

*Cic. in Lælio.* *Ovidius.* *Ariſt. l. 4. pol. c. 4.*

tentat. Providus Politici oculus cautè malo occurrit, ut in ſemine elidat, adornat tempeſtivè remedia, cumque incipiunt curvari leges velut ova immanium calamitatum in cunabulis contundit. Dum in herba lolium eſt, exterminat. Primis legum rupturis medetur, ne integer caſus ſubſequatur. Non natas adhuc domuum rimas prævertit, qui non vult videre muros terræ æquatos. Quando labaſcere nititur Reipublicæ compago, calcem admovet vir publicus, Legum vincula. *Leges ſunt Rerumpublicarum vincula*, ajebat Plato. Lapis lapidi cæmento; nervus nervo junctura; membrum civile civili Legis vinculo nectitur, quo integra bonorum catena trahitur, ſi ſervantur: malorum ilias ſubſequitur, ſi violantur. Violantur? Renoventur. Renoventur dico, non innoventur. Quid enim novæ leges, ſi veteres corruerunt? Novæ leges nonniſi cum evidentia utilitatis condendæ, ſuaſit Ulpianus. Rex durus omnis, ſceptra qui tractat nova. Tota cura ſit, ne priſcæ antiquentur, non novæ inveniantur. Renovare oportet, quæ ſeneſcunt, non condere, quæ iterum tempore langueſcunt. Emori ſi cœperint veteres leges, florem adde, ut revireſcant. Oculo ſolerti in violatores indaga, & ne in ſuo flore lex veteraſcat, ſpinam adde, pœnam ſume. Hæc peſſima eſt bonitas, quæ reis parcit, unde leges collabaſcunt. Primos ruinæ authores juſtitia perſtringat, ne ſecundus ſequatur. Lapſum proſequitur, qui primis motibus non prævertit. Si primus legis contemptus rigore non compenſatur, ipſa miſericordia ſcelus auſpicatur. Hoc ſolenne eſt Legislatoribus, ſi boni publici Zelotes ſunt, totam ſeveritatem in primos exonerare peccandi magiſtros. Brutus recentem patriæ libertatem etiam filiorum cervicibus ſuſtentavit. Alexander auſpicia Perſici Imperii dedicavit Beſſi jugulo. Timore urgeatur legum amor, quum affectu cogi non poteſt. Timori velut Deo aram ac templum à Laconibus erectum Plutarchus teſtatur, hoc enim Leges ac Rempubl. conſervari credebant. *Res italas armis tuteris, moribus ornes, Legibus emendes.* Qui ſe legibus eximit, pœna redimatur: aut legi aut judici obtemperet. Perdunt Reges & Leges Authoritatem, ſi transgreſſio habet immunitatem. Tanto cautius ſervantur, quanto citius in primos violatores advertitur. Neque infirmam patere remp. quæ ſolum in debiles ſciat romphæam tractare, potentes ſinit pro libidine jura violare. Non ſolas vexet cenſura columbas. Dicere ſolebat Anaxarchus: *ut Aranearum telas corvi perrumpunt, muſcæ implicantur: ita leges plebeculam vexant, ac à potentibus violantur impunè.* Etiam magna capita legum vinculis ſtringantur.

*Plat. l. 1. de legib.*

*Valerius Flaccus ad Auguſtū Cæſ.*

*Anaxar. apud Plutarch.*

Vel optimè illæ florebunt, aut aliquando labefactatæ reſtaurabuntur, ſi ipſe Rex viva ſit lex. Id quod optimus æque, ac juſtiſſimus Cæſar M. Aurelius Claudius in proverbio habuit. Senſit nimirum, quod Solon Philoſophus dixit: *Si Princeps ſecundum leges vivat, univerſam remp. optime tunc regi, adeoque ſingulos cives in officio contineri.* Civitas ſine lege, & regnum ſine Rege, quid eſt niſi corpus ſine anima? at anima regni nonne Rex eſt? *Et anima Reip. tanquam corporis cujuſpiam eſt lex.* Aſſentiente pariter Demoſt. *Leges civitatis animam eſſe. Quemadmodum exanime corpus corruit, ſic civitas ſine lege non conſiſtit.* Animet Rex Regni anima civitatem legis obſervantia, ipſe ſit ſpirans lex, ejus exemplum ſequitur Grex.

*Trebell. Pollio.*

*Epicharmus apud Plut.*

*Cicero pro Cluent.*

# QUÆSTIO VI.

## *De Natura & Proprietatibus lapidum in ſpecie.*

DE notioribus & potiſſimum vulgaribus non pretioſis lapidibus hac in quæſtione diſſerendi locus erit, duplicis enim generis lapides ſunt, nempe vel vulgares vel pretioſi pro diverſa ſiquidem terræ ac materiæ vel impuritate vel puritate, ſubtilitate, craſſitie, viſcoſitate, lapides quoque generantur puriores, vel impuriores, nobiliores vel ignobiliores: Ita vero de his procedam, ut ſingulis concluſionibus ſingula lapidum genera comprehendam. Quare ſit

Concluſio prima. *Marmor* eſt lapis ſolidus, nitidus & eximius, maculis & coloribus variis commendatus. Unde ejus compoſitio ſeu commixtio eſt accuratior, id eſt, miſcibilium particulæ ſunt accuratius diviſæ, percolatæ & implicatæ. Lævor illi proprius accuratiorem partium plexum & unionem notat, ubi enim majores pororum cavitates, ut in topho, pumice, & aliorum rudium lapidum generibus, inde corporum aſperitas reſultat. Difficillimè ſculpitur & expolitur propter ſoliditatem & frigiditatem. Ad ſpecies unguentarias & aromaticas cuſtodiendas utiliſſimum, Pro colorum autem & macularum varietate multæ marmoris traduntur ſpecies, ſed præcipuæ ſunt: *Alabaſtrites, Ophites, & Porphyrites.* Alabaſtrites eſt marmor perſpicuum, candidum, è quo pyxides pro odoratis unguentis fiunt.

Ophites eſt marmor maculis ſerpentum ſimile. Porphyrites eſt marmor rubeis & quaſi candidis maculis diſtinctum; ſeu potius rubeis cum maculis internitentibus. Colores vero hi varii marmorum diſtributi ſive tanquam venæ, ſive ut maculæ ſunt ex ſucci diverſa percolatione ſcilicet per diverſum colum, vel cribrum. Analogia eſt in lacte, chylo & ſanguine, quorum color diverſus ex diverſa percolatione ſtatuitur. Cœterum etiam ſuccus (ut in q. præc. annotavimus) mineralis diverſus, vel mineralis exhalatio in ipſum ſuccum lapideum ante concretionem ſubiens, recte dicitur inducere diverſos colores. Quod confirmari poteſt ex eo, quod ignis vi plerique lapides ſuis coloribus exuantur, igitur extranei erant, & non ex intima lapidis natura.

Quæres, quis ſit modus marmor lævigandi? Reſpondeo, lævigari & poliri arena, cujus affrictu extantes particulæ atteruntur, cum enim præ duritie majores particulæ excuti vel decidi non poſſint, affrictu arenulæ minores excutiuntur, hæ namque facilius, quàm illæ decidi poſſunt. Adhibetur etiam humor, quo ſcilicet arena ſubigatur, & maceretur, ut facilius ſeſe in cavitates illas inſinuet, quæ dejiciendæ ſunt.

Concluſio 2. *Cos* lapis eſt ſolidus, nitore carens, & granulis conſtans, cujus in acuendo ferro uſus eſt. Hujus ſpecies eſt *Coticula* ſeu *Lydius* lapis, quo metalla affricata, ſincera ab adulterinis dignoſcuntur. Optimus cenſetur, qui hominis halitu protinus ſudat, nubemque diſcutit. Duriſſimus eſt ex plexu. Habet denticulos acutiſſimos velut ſubtiliſſima lima, quæ tactui ob ſubtilitatem aſpera non videtur. Aſpergitur aqua coti, ut in ea ferrum ſubigatur, complanat enim humor majores illas aſperitates, alioquin nimium partium ſtragem facit; imo ut lenius acies exacuatur, Cos ungitur oleo. Lapis hic tempore Theophraſti in Tmolo inveniebatur; in rivis Hildisheimiis hodie & Goſelarianis.

Concluſio tertia. *Silex* eſt lapis ſolidus & marmore durior. Diverſos colores habet & mixturam opaci cum diaphano ob diſpoſitionem variam particularum ex percolatione. Validè reſilit projectus, nimirum propter duritiem elaſticam cum nec cedat, nec comminuatur. Ferramenti incuſſu ignis elicitur. Unde revocatur ad genus lapidum *Pyrites* dictum, qui chalybe percuſſus ſcintillas ignis edit. Quidam Silices liqueſcunt ob mixturam vitrei ſucci.

Concluſio quarta. Lapides poroſi ſunt, qui ex materia non valde compacta conſtant, ideoque partes habent raras. Tales ſunt *Tophus & Pumex*. Hic lapis eſt rarior ſpongiæ modo fiſtuloſus, unde aëre poros oppletos habet. Hinc innatat aquæ, & Inſulis natantibus pro fundamento eſt. Vi caloris plerumque concreſcit, propterea ex montibus ignivomis eructari ſolet. Ad lævigandum valde accommodatus eſt, ſua enim aſperitate & comminuto pulvere extantes marmoris partes complanat. *Tophus* ſpongia item lapidea eſt, ſed denſior, graviorque pumice, unde non ut prior aquis innatat, percolatione concreſcit, defluente enim aqua relinquntur particulæ lapideæ. Sic ex Topho concameratæ plerumque ſpecus ſunt, ex quibus aqua diſtillat. Frigidusne ſit, an calidus, diſputatur. Hoc Cardanus adſtruit, quem refutat Scaliger inquiens: *Tophum calidum eſſe, quis tibi dixit? nam neque guſtu, neque tactu, neque medica experientia id vel inventum, vel repertum eſt.* Exercit. 57.

Concluſio quinta. Lapides ex laminis compacti variarum ſpecierum ſunt. 1. *Petroſtilbe* vulgò *Lavagna* ex laminis concreſcit, quia prima concretio fit veluti in ſubtilem cruſtam exudante ſupra, infraque humore; mox novus ſuccus lapidificus expanditur & accreſcit primæ cruſtæ. Nigra eſt, unde aqua per ſodinam Petroſtilbes fluens eſt valde atra, & turbida, quia cum hic lapis ab humore facilè ſubigatur, multam particularum vim aqua præterfluens ſecum aſportat. Hinc ſi deinde aqua prædicta quieſcat, limpidiſſima & ſaluberrima evadit, corpuſcula enim lapidis ob gravitatem ſuam deorſum tendentia reliquas etiam ſordes ſecum aſportant. Uſus ejus præſertim ad tecta formanda deſervit. 2. Lapis ſpecularis vulgo *Talco* dictus, concreſcit ex ſucco accuratè depurato. Oritur ejus perſpicuitas ex ordinatione pororum; ſcilicet lamellarum, cùm invicem ſeparantur, nam ſimul conjunctæ opacæ ſunt (quem admodum aqua profunda obſcura eſt) nempe ob inordinationem pororum unius lamellæ cum lamellæ alterius poris.

Concluſio Sexta. Lithophita ſunt, quæ ex ſucco lapideſcente ad inſtar plantæ creſcunt per introſuſceptionem, unde & lapides plantæ nominantur. Ex his primo loco numeratur Gloſſopetra, id eſt, lapis ad modum linguæ concretus ut plurimum denticulatæ, qui ſuæ matrici adhæret, vel radici, ex qua ſenſim ſine ſenſu ſugit alimentitium ſuccum, apparentque nativæ fibræ; hinc facilè in longum finditur, ut lignum, id eſt, ſecundum fibrarum longitudinem. Dicitur hic lapis arcere venenum. Secundo revocantur

cantur huc Teſtæ & conchylia, quibus oſtrea & ſimilia integuntur. Tertio loco venit Amiantus, qui Asbeſtos à nonnullis appellatur. Hic duci in fila poteſt, ex quibus tela & ſtrophiola contexuntur igne incorruptibilia. Multa enim ſunt, quæ ab igne minime ſolvuntur, ut pumex &c. Imitatur linum, aut cannabim, & affinitatem habet cum alumine plumæ, quod foſſile eſt ſalinum. His merito annumeratur *Corallium* lapis ramoſus, de quo quidem in ſequenti Quæſtione, cùm numeretur inter lapides pretioſos, diſſerendi locus foret, ob affinitatem tamen materiæ, huic concluſioni inſerimus. Græci hunc lapidem vocant λιθόδενδρον quaſi dicas lapideam arbuſculam, dicitur enim eſſe frutex marinus. De hoc varia varii Authores habent. Sunt, qui dicunt, quod ſub aqua marina ſit frutex viridis & mollis, baccas habeat ſimiles cornis nativis, ſpecie & magnitudine, item molles, ſed candidas; ex mari vero extractus ſtatim induretur, & concreſcat in lapidem offuſo aëre, unde Ovidius lib. 15. Metamor.

*Sic & Corallum, quo primum contigit auras*
*Tempore dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.*

Cujus rationem dant, quod aër tenue illius humidum exſiccet, & frigus etiam partes cogat. Refrigeratur autem ab aëre æſtate etiam mediâ, quia pars, quæ intus penetrat, frigida evadit, aër autem, cùm diſſipatur, refrigeratur. Non ſolum vero ad ambientem aërem induratur, ſed etiam rubeſcere dicitur; interdum tamen unius Coralli ſtirpes ramique partim ſunt rubri, partim candidi, partim nigri. Alii volunt ſolo tactu lapideſcere; opinantur alii, Corallia fulminibus reſiſtere, à faſcinationibus infantes tueri, dæmones infenſos arcere, quæ ſuperſtitioſa omnino credenda ſunt. Addunt alii, aquam maris ex ſalſa dulcem per illud fieri; collo admotum turbulenta ſomnia propulſare, & nocturnos puerorum terrores compeſcere; ſi à viro geſtetur, rubeſcere exuberantius, in pallorem vero degenerari, ſi á fœmina portetur, utpote in qua fuliginoſi reſident ſpiritus. Pariter Sinapis ſemen Coralli-um ſi obruat, rubicundum efficit. In mari mediterraneo maxima colligitur quantitate, & Maſſilienſes quotannis abeunt piſcatum, retibusque ex imis Oceani viſceribus extrahunt. Ad caput Bonæ ſpei ſcopuli etiam dicuntur, in quibus Corallium invenitur acutiſſimum.

Concluſio ſeptima. Generantur quoque in corporibus animatis lapides, è quorum numero recenſetur Bezoar, de quo in præcedentibus aliquid dictum. Hic ventriculis certi caprarum Indicarum generis innaſcitur, tunicatus inſtar ceparum, nimirum ob ſuccum viſcoſum & lapidificum ex herbis, quibus animantes illi paſcuntur. Hinc frequenter in medio hujusmodi lapidis deprehenſa eſt mera herba nondum petrificata, eaque odore ſuaviſſimo. Venenis potenter reſiſtit, pulvis ejus vulneri impoſitus à mortiferis animalibus ictos liberat, in peſte venenum exſugit. Valet adverſus inveteratos morbos melancholicos, ut ſcabiem, lepram &c. Nihil etiam curioſius eſt, quàm è ſerpentibus lapides extrahi. Coluber fluviatilis, teſte Hollerio, lapidem eructare dicitur, qui adverſus caducum morbum eximiè probatur. In India & Regno *Quanſi*, ut P. Michaël Boimus memorat in ſua Flora Sinenſi, in quorundam certi generis ſerpentum (quos *Gobras de Cabelo*, id eſt, capillatos ſerpentes Luſitani vocant) capitibus lapis reperitur contra morſus ibidem à ſerpentibus inflictos, homini alias ſpatio 24. horarum interituro. Pariter in Chinæ Provincia *Xantung* è vaccarum ſtomacho lapis educitur lutei coloris, magnitudine ſubinde anſerinum ovum æquans, ſoliditate Bezoartico cedens, levioris autem ſubſtantiæ eſt, & illo præſtantioris virtutis à Medicis judicatur. Habuit ejusmodi lapidem Kircherus, ut in China illuſt. indicat. Concreſcit hic in ventre animalis ad modum lapidis Bezoartici. Solent & in aliis animalibus reperiri lapides magnæ virtutis, ut ſunt *Alectorius* gallorum gallinaceorum, *Chelidonius* hirundinum; *Bufonius* à bufone. Deferuntur quoque ex Indiis magni pretii lapides ex *porco ſpinoſo*, optimum febribus propulſandis remedium. Sic etiam animalia, quæ *Zibethi* vocantur, lapidem producunt, ſeu potius liquorem, qui in lachrymam induratus pretioſum odorem, quem Zibethum vocant, profert.

Denique in diverſis humani corporis membris ac partibus generari quoque lapides nimis quàm conteſtatum eſt experientia. Sic *Mœbius in Fundam. Med. Phyſiolog. c. 14.* teſtatur, lapillos teſſerarum figuram repræſentantes, & inſtar marmoris variegatos quamplurimos è Chiliarchæ cujusdam uxoris hepate poſt obitum ſe contemplatum fuiſſe. *In Ephem. Germ. Medico-Phyſ. Dec. 1. anno 8. obſerv. 29.* memoratur, in quadam virgine excreviſſe calculum cryſtallina duritie & ſplendore, tantaque magnitudine, ut pro ſigillo potuiſſet uſurpari. Ni-

colaus Tulpius l. 2. obſerv. Medic. c. 47. refert, defatigatam aliquamdiu à febre, ac dolore lumborum anum quandam ſeptuagenariam, tandem unico impetu, quaſi relaxatis renum repagulis egeſſiſſe trecentos amplius calculos. Lipſienſis quidam tenuis fortunæ homo per multos annos acerbiſſimo capitis dolore affectus, quem eſu mori ſe contraxiſſe affirmabat, incaſſum curatus, poſt mortem ſectus, in cujus cerebro lapis cinereo colore, forma & magnitudine moro ſimilis deprehenſus eſt. *Schenckius in ſuis obſervationibus.* Joannem de With, Senatorem Amſtelodamenſem enecatum à calculo & ſectum deinde, habuiſſe in veſica viginti novem calculos recenſet citatus Tulpius, qui omnes, ut figura & magnitudine diſpares, ſic forma, glabritie, ac levitate adeo invicem & lapidi Bezoartico fuerunt ſimiles, ut facilè oculatiſſimo Aromatario impoſuiſſent. Etiam intra muliebrem uterum fœtum in ſaxum converſum teſtatur *Schottus phyſ. curios. l. 5. c. 17.* quem Thuanus lib. 76. hiſt. aſſerit viginti octo annos in utero portatum, tandem poſt mortem matris exciſum hodie adhuc *Agendici* miraculi cauſa exhiberi.

Quæres primo. An calculus ſingulis quaſi horis generari poſſit? Reſpondet Daniel Crugerus affirmative, colligens hoc inde, quod datis aptis medicamentis cuidam matronæ ſexagenariæ expulerit ſingulis diebus ad minimum quindecim lapillos, æquales una quaſi forma & magnitudine piſorum; continuata vero hac excretione expulſorum lapidum tandem ducenteſimum numerum expleverit. Poſt ſemeſtre ſpatium, cum eodem parturiendi calculos morbo affecta fuiſſet, iterum eodem modo ducentos edidit lapillos. Ephem. Germ. Curioſ. Dec. 2. Ann. 4. obſerv. 14.

Quæres ſecundo: An arte quæcunque corpora ſicca & poroſa in lapides converti poſſint? Reſpondet affirmative D. Morean, qui ſequentem modum præſcribit: *Accipe*, inquit, *ſalis gemmei, aluminis rupei pulveriſatorum, pulveris ſilicum non uſtorum, calcis extinctæ, aceti albiana, partes æquales, commiſceantur cuncta, ubi fermentatio inceperit, adde corpus, cui lapidis formam inducere cupis, ſive ſint oſſa humana, ſive lignum admodum aridum & poroſum, ſive os ſepiæ, aut quicquam ſimile à materiis prædictis, mediante fermentatione penetrabitur; hæc ſimul in unum corpus coalitura ſunt, adeo, ut duritiem & ſoliditatem lapideam intra quatriduum, aut ad ſummum, ad ſex dierum ſpatium ſibi ſint comparatura.* Juxta eundem vulgares lapides produci poſſunt ope cereviſiæ, glutinis, ſalis, calcis, arenæ & fragmentorum ipſorummet lapidum; imò ipſum etiam marmor mediante compoſito quodam ex gypſo, calce, ſale, ſanguine bubulo additis maſſæ variis coloribus, quæ ſponte exſiccari & indurari ſinitur, ad uſum deinde expolienda.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Quanto depreſſior, tantò ſublimior virtus aſſurgit.

PErpetuâ quâdam viciſſitudine ſe conſervat rerum univerſitas: Deprimit & erigit. Solis naturam, utprimum ſingula fiunt, induunt: ab occaſu ad ortum. Turbidum manè ſerenus excipit meridies: & quæ nigra nocte ſepultæ expiràſſe videbantur hortenſes deliciæ; jucundioris auroræ puerperio in meliorem auram emergunt. In profundum condemnata jacent corallia, ac velut illorum oblita fuiſſet natura, deliteſcunt in obſcuro: at tandem prodeunt *ex imo ad ſummum.* In auras extracta dureſcunt in gemmas: producta in cœli aſpectum, purpuram induunt, reges unionum. Quid virtus eſt, niſi animæ unio, pretium orbe dignum. Corallium eſt, quia cordis decus, mentiſque ſoboles, cœlo obſtetricante producta, at deſpicatui habetur, quia amat obſcurum; & vel ipſo perſequentium odio ad tenebras damnatur, velut aura & luce indigna.

*Cic. lib. de Republ.*

Nam *aut ingrati, aut invidi multi, aut inimici potentes ſuis virtutem præmiis ſpoliant.* Sæpe Socrates in ſentina jacet, & ignavus ad clavum ſedet. Virtus ludibrium eſt mundi, & ſpina in oculis reproborum. Non audet ad lumen invidorum prodire, quia hiophthalmiæ vitio laborant.

*Lipſ. manuduct. l. 1 diſſert. 13.*

*Improbis & ſervilibus animis diſplicet, quidquid probum, honeſtum, & erectum eſt.* Patitur virtus, ſed alieno vitio: contemnitur, ſed intuentium culpa.

*Cicero pro Cluent.*

Sed tandem *multorum improbitate depreſſa virtus emergit, & innocentiæ defenſio intercluſa reſpirat*, ablegatur in ſolitudinem vox ore deprompta, quaſi æterno exilio in oblivionem cogenda: at tanto emergit feliciús, ipſa reſonantis Ecchus panegyri celebrata. Ad miſerias virtus detruditur; & velut illa calamitatum matrix eſſet, calamo & lingua proſcinditur: miſera tamen ideo non eſt, ſed ut Sol nubibus tectus, diſſipato ſipario clarius eluceſcit.

*Virtus*

*Virtus in tempeſtate ſæva quieta eſt , & lucet in tenebris & pulſa loco manet tamen & hæret in patria,* Cic. pro
*ſplendetq́, per ſe ſemper , nec alienis ſordibus obſoleſcit.* Inter urticas diutius foliorum vigorem ſer- Sextio.
vat roſa , quam ipſos inter flores. Invidiæ ſtimuli vulnera infligunt virtuti, ſed hæc linea- Fl. Valer.
menta ſunt , quibus formoſius pingitur, & in majorem gloriam purpuraſcit. *Virtus dum* Conſtant.
76.

N. 76.




*patitur, vincit.* Errat, qui virtutis ſplendorem tantiſper deponit, & colorem vitii induit, ut
mundo amabilis ſit, qui virtutem odit. Tu nunquam habitum virtutis depone, tandem tem-
pus te in lucem trahet, & meliore ſede collocabit. Plerumque id Ferdinando II. Imp. eve-
nit, qui in maximis periculis affirmabat: *Malle ſe imperio , fortuniſq́, omnibus exui , & cum uni-* Lamorm
*verſa ſua familia ſtipem oſtiatim colligere, quam Majeſtatis tuendæ cauſa contra jus , faſq́, aliquid admit-* in vit.
*tere.* Non poteſt illum caſus evertere , qui fundamentum poſuit in virtute. Submittet A-
riadnam æther, Ariadna filum , ut clarius in lucem educat è labyrintho ; ſi lux virtutis ani-
mo non fuerit extincta. Semper in fronte & apice ſtetit virtus domui Auſtriacæ , & vel
per miraculum ſe adjutam eſt experta , nubesque diſſipavit. Solidius ſtare non poteſt ſoli-
um , quàm quod virtute firmatur. Nam licet *premitur , non opprimitur ; quia ipſa potius ſe pre-* Liv. Dec.
*mentes tandem opprimit.* Quisquis hactenus laceſſivit Auſtriam , ſuperos contra ſe provoca- 3. lib. 2.
vit, quia virtutem oppugnavit. Conſumptam qui illam volunt luciferum extinctum cu-
piunt: nam cùm occidiſſe creditur, oritur; cum ei virtus lumen accendat. Crede Senecæ:
*Nulla virtus latet , & latuiſſe , non ipſius eſt damnum. Veniet , qui conditam & ſeculi ſui malignitate* Sen. ep. 79.
*compreſſam , dies publicet.* Viget in pectore Auſtriacorum Carolinum illud : *Quo plus periculi ,* Carolus V
*eò plus gloriæ.*

*Hectora quis nôſſet , felix ſi Troja fuiſſet?* Ovid. l. 5.
*Publica virtutis per mala facta via eſt.* Triſt. eleg.
6.

*Si nihil infeſti durus vidiſſet Ulyſſes,*
*Penelope felix, ſed ſine laude foret.*
*Scilicet adverſis probitas exercita rebus*
*Triſti memoriam tempore laudis habet,*

# QUÆSTIO VII.

## *De Cryſtallo, Gemmis & Lapillis pretioſis.*

CONcluſio prima. Pretioſi lapides ex ſubtiliore, & tenuiore materia ſingulari cœli influxu congelaſcunt, & dicuntur gemmæ. Eſt autem gemma proprie germen nitens & rotundum, principio veris ex ramis & imprimis vitis protuberans. Ad hujus igitur ſimilitudinem lapilli pretioſi gemmæ appellari ſolent, quia plerumque ad parvam & rotundam ejuſmodi figuram proxime accedunt. Effectus vero & virtutes gemmarum ſanè mirabiles ſunt, ſi credimus Cardano *lib. de ſubtilitate.* Aliæ enim vitæ longitudini, aliæ incolumitati, aliæ divitiis, aliæ robori ſavent; aliæ venenis reſiſtunt, aliæ juvant coctionem ventriculi & hepatis. De quibus omnibus gemmarum viribus vide Scal. exerc. 116.

Concluſio ſecunda. Præclaras has & mirabiles virtutes & proprietates cœlum potiſſimum in gemmas profundit, ut recte obſervat Triſmegiſtus, cujus ſententiam his argumentis confirmare licet. Primo, quod magnos mirificosque parvâ mole promant effectus, cum nulli elementorum conceſſum ſit, parvo corpore plurimum ſubito præſtare, ſicut nec paucus ignis magnam lignorum congeriem unico impetu conſumere, nec paucillum aquæ terræ plurimum perfundere poteſt. Secundo, quia in terris & regionibus orientalibus lapides omnium pretioſiſſimi generantur, ut in India & Æthiopia, quia ibi Solem orientalem, & meridionalem præcipuè ſentiunt, in noſtris autem terris, à quibus Sol eſt remotior, lapides minus nobiles naſcuntur. Tertio quoniam lumine, claritate, atque omnis fecis experte puritate cum cœlo conveniunt, ut vel hinc facilè conſtet, cœlum ſuas virtutes in gemmas liberius, copioſiusque transfudiſſe. Ad quas tamen mirificas virtutes, & gemmarum operationes edendas, materiæ præparatio *Symmetrica*, puritas & confuſio concurrit, quippe cùm influxus cæleſtes ob ineptitudinem materiæ minui, vel etiam omnino impediri poſſint, quod pulchrè illud Platonicum docet; *Secundum merita materiæ infunduntur vires cæleſtes.* Quare ut gemmarum proprietates & ſpecies recenſeam, initium duco ab eo lapide, qui ambigit inter pretioſos & vulgares, cujusmodi eſt cryſtallus, pro quo ſit

Concluſio tertia. Cryſtallus lapis eſt relucens aquei vel glacialis coloris. Diaphanus, figura hexagona. An vehementiori gelu fiat ex nive vel glacie; vel verò ſit ſuccus intra terram à frigore condenſatus, controverſia inter Authores eſt. Utriusque ſententiæ rationes breviter adſeram, deciſionem lectori relinquens. Primi fundamentum potiſſimum eſt, quia invenitur in iis locis communiter, ubi hibernæ nives ſunt in montibus nempè adeò inviis, ut plerumque fune pendentes eum attrahant. Unde teſtatur Sebaſt. Verro, Cryſtallum provenire ampliſſimè ab Alpibus, quæ Helvetiam ab Italia dirimunt. Secundæ opinionis fundamentum eſt, primo, quia ſi eſſet ex aquis ſummo frigore congelatis ac induratis, calore liqueſceret; ad quod quidem reſpondet Scaliger. exerc. 119. glaciem nondum ad lapidis duritiem evectam, adhuc eſſe aquam, & propterea facilè ab igne ſolvi, quoniam momentaneo frigore eſt congelata. Ubi autem magno & diurno frigore tam fortiter & robuſte concrevit, ut lapidis duriſſimi ſubierit & induerit formam, non liquefieri. Quamvis & alii experientiis confirment, etiam Cryſtallum poſſe liquefieri. Secundò nulla eſſet ratio, cur Cryſtallum, ſi glacies foret, figuram hexagonam aſſumeret, hanc enim in glacie videre non eſt. Tertio, ex Cryſtallo ignis chalybis affrictu elicitur, ut patet experientia, quod de aqua congelata dici non poteſt. Quartò, cryſtallus in calidiſſimis etiam Regionibus, uti in Inſulis Madagaſcar copioſe foſſilis ſcilicet, cum ibi nullum gelu rigeſcat. Ipſe Scal. exerc. 119 teſtatur, in Aſia & Cypro ex agris aratro erui. Denique cryſtallus glacie longe gravior eſt, quod ſignum eſt, multa terra potius conſtare.

Cœterum ineſt illi interdum argentum rude plumbaginis colore. In India tam ampla eſt inventa ejus materia, ut ex ea vas fieret quatuor capiens ſextarios. Hinc Livia Auguſta inde amphoram librarum quinquaginta in Capitolio dicavit. Mirabilius eſt, quod refert hiſtoria regni Chili, eſſe nempe per eos tractus in profunda quadam valle, quam Andium juga diſterminant, in media prægrandis fluminis Inſula ingentem rupem totam cryſtallinam, in qua fa-

num

num integrum ab ejus loci incolis mira arte exſculptum & ex omni parte diaphanum ſpectatur. Multis viribus & virtutibus Cryſtallus pollere dicitur. Vertiginis inprimis putatur hoſtis, & ex ejus poculo, illius bibitur gratia, quia contra venenum præſens remedium cenſetur. Ad ſitim & ardorem levandum virtutem habet.

Concluſio quarta. Adamas lapidum fermè omnium & gemmarum præſtantiſſimus, duriſſimus & ponderoſiſſimus, inſtar aquæ diaphanus & translucidus. Illius durities communem cauſam habet, hoc eſt multam terram cum arctiſſimo partium plexu ac præterea ex humore optime digeſto. Hic (ut quidam volunt) vel extra aurum naſcitur; vel in auro. Extra aurum naſcitur *Indicus* avellanæ nucis magnitudine, & *Arabicus* illo minor, in *auro* naſcitur 1. Adamas *Cenchros* dictus, milii grano magnitudine reſpondens. 2. Macedonicus cucumeris ſemen æquans. 3. *Cypricus* ærei coloris. 4, *Siderites* ferreo colore fulgens, quorum poſteriores duo degeneres habentur. Adamantis perſpicuitas & fulgor in pororum & lamellarum, ex quibus conſtat, diſpoſitionem aptam ad refractionem fulgurantem lucis refunditur. Cœterum puriores adamantes illi ſunt, qui ex montibus eruuntur, & ii, qui quandoque concreti in medio alterius lapidis deprehenduntur. Præfertur Indicus è rupe potius, quam terra effoſſus; quidam tamen optimum cenſent, qui in fluminibus reperitur. Varius illis color eſt, quandoque enim flaveſcit, ut *Topacius*, quandoque ſubviridis & cœruleus. Confricatus noctu lucet, & ſcintillat colliſus ob igniculos, ex quibus conſtat. Teſtatur Joannes Bapt. Tavernier celebris gemmarius in itin. Orient. l. 2. c. 18. in Indoſtan ſibi grandem Mogol exhibuiſſe adamantem eximie pellucidum in forma ovi dimidii gallinarii. Hujus pretium idem taxavit 117232. 78. Francorum 14. ſtibiorum, 3. obolorum. Magnus quoque Dux Florentiæ alium aſſervare dicitur eximiæ venuſtatis, computat ejus pretium Joan. Henr. Seyfrid 1304167. florenorum. *In Medul. Mir. nat. l. 2. c. 5.*

Quæres, num verum ſit, quod tanta ejus ſit durities, ut ne mallei quidem ferrei ictibus cedat, neque ignibus atteratur, ſed ſolum hircino ſanguine calido & recenti frangatur; maximè ſi aliquot ante dies hircus petroſelino, & ſilere montano, & vino ſit educatus? Reſpondeo, ita quidem nonnullos etiam ex recentioribus ſentire, profitentes, magnum hoc eſſe naturæ miraculum, miramque hanc Adamantis & hircini ſanguinis vim & diſſenſionem ex occulta cauſa promanare. Verum contrarium jam experientia conſtat, nam & in Scobem malleo redigitur, & ferreo atteritur piſtillo; igni pariter cedit, & in calcem flamma diuturna redigitur.

Varias tamen alias proprietates & effectus habet Adamas. Primo enim vi electrica pollet, ut ſuccinum. Secundo, pulverem illius propinatum dyſenteriam gignere, paulo enim acrius inteſtina vellicat, ac lædit, cum digeri nunquam poſſit. Quamvis & hoc multi in dubium revocent teſtantes, quod mancipia quosdam devoraverint, ut furtum tegerent, integrosque illæſa exegiſſe valetudine. Hinc drachmæ unius pondere ſub forma ſcobis propinatus non magis, quam panis obfuiſſe dicitur. *Cardan. l. 2. tract. 5. contrad. 9.* Fabuloſum vero omnino eſt, quod ferrum Adamante tactum ad ſeptentrionem ſe ſe convertat; quod à magis portatus ſit gemma reconciliationis, fortitudinis & conſtantiæ, quod ſiniſtro brachio alligatus nocturnos arceat timores & terrentia ſomnia.

Concluſio quinta. Reliquæ ſpecies gemmarum præcipuæ ſequentes ſunt. Primo Sapphyrus eſt gemma transparens, magna duritie & cœleſti colore prædita. In oriente potiſſimum & India naſcitur, & optimus habetur, qui albis quaſi nubeculis refulget. Cœterum quoniam aureis punctis collucet, interdum etiam alba eſt; minus rectè à Scribonio refertur inter gemmas eundem in omnibus ſpeciebus colorem retinentes. Virtute pollet confortativa cordis ac lætificativa. Dicitur ſordeſcere, cum portatur ab homine impuro. Venenis valdè reſiſtit, prodeſſe creditur oculis, viſumque conſervare.

Secundo, Smaragdus eſt gemma transparens, fragilis, dura tamen, viridis coloris imo omnium gemmarum virentium princeps. Scythici melioris notæ multiplicis ſpeciei ſunt. Optimos dicunt coti Lydiæ affricatos æream maculam relinquere. Genuæ cuſtoditur ſanctus Crater in ſacrario templi maximi, refertque immenſi pretii Smaragdum, gemmam ſcilicet hexagonam, eſcariæ patinæ modo excavatam, partumque id munus fuit ex Syriaca victoria, & D. Laurentio conſecratum. *Jovius in Gonſalvo.* Fertur etiam Neronem Imperatorem gladiatorum pugnas Smaragdo tanquam ſpeculo ſpectaſſe; unde etiam Neronis gemma vocari ſolita eſt. *Andr. Baccius de gemmis.* Virtus illius mira eſt. Diarrhœam & omnes ſanguinis fluxus ſanat. Morſuum venenatorum hoſtis, & ſi ab iis vincatur, rumpitur. Coxæ mulieris alligatus partum promovere; ventri impoſitus retinere dicitur. *Sennert. l. 5. epitom. ſcient. Natur. c. 5.* Annulo incluſus, aut à collo ſuſpenſus, ſi nudam contingat carnem, ab apoplexia conſervat. Plater. l. 1. def. Fertur etiam laſcivos motus compeſcere, imo in corporum commixtione, ſi contingat cutim, frangi. Unde caſtus hic lapis nominatur.

Tertio. Hyacinthus eſt gemma lentis magnitudine, fulgorem violaceum referens. Sereno cœlo clarior, nubilo obſcurior eſt. Pariter juxta ignem poſitus rubicundior & obſcurior apparet, ab eodem remotus ſplendeſcit. Pertinaci frigiditate denſat corpora, atque reficit, eſt virtutis confortativæ, & venenis reſiſtit. Dicitur & hilaritatem excitare. Deteriores habentur hyacinthi, qui propiores Chryſolitho ſunt, quam qui Amethyſto.

Quarto. Amethyſtus eſt gemma, eundem fere cum Hyacintho obtinens colorem, niſi quod in hoc emicans fulgor purpureus, in illo languidior & dilutior ſit. Umbilico admotus vini vaporem primo ad ſe trahit, poſt diſcutit, & ſic à crapula vindicat. ita Ariſt. Dicitur etiam efficere ſedatos, acuere ingenium, & ſomnum minuere.

Quinto. Carbunculus vel Pyropus eſt gemma lucidiſſimi ignis flammam repræſentans. Hujus tria potiſſimùm ſunt genera. 1. Quod in tenebris ſplendet, unde Pyropum vocant. 2. Quod dum in vaſe nigro ſplendente ponitur, ſuperfuſa aqua in tenebris lucet. 3. Viliùs eſt, cujus lux ſolùm eſt conſpicua alieno lumine, diei ſcilicet, aut candelæ. Joſephus Venetus Legatus miſſus ad *Uſuncaſſanum* Regem Perſarum, narravit, Regem ſibi oſtendiſſe Carbunculum tantæ pulchritudinis, cui, ut Rex dicebat, nullum pretium pecuniæ poſſit adæquari. Engelgrave in Luc. Evangel. part. 1. Refert etiam *Ludovicus Virtonæ*, Regem Pegæ (quæ Provincia eſt Indiæ) tantæ magnitudinis & ſplendoris habere pyropum, ut ſi quis eum in tenebris conſpicetur, haud aliter eum videat, quàm ſi ſolaribus radiis illuſtraretur. Cœterum gemma hæc venenis & toxicis inimica. Fertur etiam coërcere libidinem, exhilarare animam, infortunio inſtante colorem mutare, verùm commentum hoc Poëtarum eſt. Huic ſubjicitur Chalcedonius, qui eſt gemma lucida & pulchra inſtar ſtellæ refulgens, cujus vis eſſe perhibetur contra triſtitiam & timorem. Rubinus eſt gemma rubea per tenebras in ſpeciem ſcintillæ alicujus micans. Tanta interdum ejus magnitudo, ut ex eo vaſa ſextarium ferè capientia fiant. Venenis pellendis prodeſt.

Sexto. Chryſolithus eſt gemma lucida, aurei coloris, varietate & nitore lucis nitens, poſt Adamantem ferè lapis duriſſimus. Sub lingua tentus ſitim febricitantium mitigat, & melancholiæ dicitur adverſari. Se vidiſſe teſtatur Agricola ex metallis Germaniæ erutam glebam, quæ è Chryſolitis ampliùs ſexaginta conſtabat, quadratæ figuræ omnibus. Maxima lata erat unciæ unius, longa digitorum duorum; poliri propter mollitiem non poterat.

Septimo. Aſterites eſt gemma dura, ſplendida, quæ dum convertitur, Solem aut etiam Lunam intus lucentem oſtendit.

Octavo. Achates eſt gemma tam varii generis, ut unum lapidem vix eſſe credas; eſt enim candidus, rubens, croceus, cinereus, viridis, niger, cœruleus, imo huic uni nec omnium gemmarum colores ſatisfaciunt. Diſcurrunt præterea in illo venæ & maculæ, ut modo plumbum exprimat, modò cornu, modo arbuſculam unam, duas, pluresve, prout nimir. appareat; interdum flumina, hominesque oſtentet. Notiſſimus eſt in hiſtoriis Achates Pyrrhi Epirotarum Regis, novem Muſas cum Apolline in medio citharam pulſante referens, ſingulasque cum propriis ornamentis, ut videatur tunc natura cum pictore certaſſe. De Alexandri M. gemma refert *Piccart. in orat. de luſibus naturæ*, quod poſita in lance, omnia in alterius lancis pondera ſuo vinceret; unde triumphantem dixêre; vincebatur, ſi quantum primoribus digitis capi poteſt cineris, adjiceret. Venenis peſtiferis, viperarum atque ſcorpionum ictibus adverſari dicitur; prodeſt oculis, ſedat æſtus febrium; accenſio ejus eſt odorifera.

Nono. Onyx eſt gemma pellucida, unguis digitorum humanorum carnibus impoſiti colorem referens, & mollis. Ex India & Arabia defertur. Refert Albertus Magnus, expertum ſe eſſe, ſi lapis ſit è collo ſuſpenſus, vires omnes corporis roborare, quod haut eſt incredibile, nam frigiditate ſuâ conſtringit ſpiritus, atque unit, luce vero & caloris temperie confirmat. Eadem ratione Venerem, collo ſuſpenſus, cohibere fertur, in quem uſum Indi paſſim ferre conſueverunt. Polycrates Samiorum Tyrannus tanti æſtimavit, ut, cúm faventi perpetuo fortunæ, iratam ſubjungere vellet, annulum gemma hac inſignitum in mare abjecerit. Coloniæ in templo trium Regum palmo eſt latior. Ejus venæ lacteæ ita diſcurrunt, ut duorum juvenum exprimant capita; nigræ vero ut ſerpentem, & caput Æthiopis, cui barba nigra, repræſentent. Duo Onyches confricati, adeo inardeſcunt, manus ut ferre nequeant

Decimo. Jaſpis eſt gemma viridis maculis aut guttis ſanguineis interpuncta. Durities ejus pulverulentam ſcabritiem habet, ut exactè poliri non poſſit. Optimus, qui invenitur in montibus Scythiæ, & qui ex oriente advehitur. Si è directo ventriculi ſuſpendatur, eundem confirmare dicitur; ſic & femori alligatus uteri & ſanguinis fluxum ſiſtit; hæmorrhagiam autem narium à collo ſuſpenſus. Sennert. l. 5. Epitom. ſcient. natur. Super os ſtomachi adſtrictus per diem ac noctem ab Epilepticis portatus, ſi ſubſequatur ſudor, à paroxyſmo liberat; ſi minus, concidit æger. *Baccius de gemmis.* Plinius c. 9. teſtatur, undecim unciarum

à ſe

à ſe viſum, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. Reperitur in ſilice cœrulei coloris. *Agricola l. 6. de foſſil.*

Undecimo. Lapidi prædicto annumerandi ſunt ſequentes: *Sardius* gemma fulva ſeu carneo colore rubens. Semidiaphanus in Sardinia probæ notæ reperitur. Acuit ingenium, excitat animum ad hilaritatem, & ſanguinem profluentem è naribus compeſcit. Dentes etiam dealbat. *Turcois* gemma eſt obſcurior, coloris cœrulei ex viridi relucentis, viſum & cor recreans. *Topazius* gemma, cui fulgor colore ſimilis auro. Magnitudine cæteras vincit gemmas; inde enim Arſinoæ Ptolomæi Philadelphi uxori facta ſtatua quatuor digitorum, & in delubro, quod nominatur aureum, ſacrata. *Nephriticus* à renibus, quibus confert, nomen habet. Variis coloribus imbuitur uti Jaſpis. Natale ſolum huic Hiſpania nova. Calculos collo appenſus ita comminuit, ut per utrumque etiam oculum & totum habitum corporis quærant ſibi exitum.

Duodecimo. Margarita eſt lapis è conchyliis marinis natus, corticibus rotundis conſtans. Modus generationis margaritarum ſequens ſtatuitur: Conchæ ſeu oſtreæ marinæ tempore verno ad deſiderium concipiendi fœtus incitantur, quare prodeunt ad littus, ſeque dilatant, & rorem cœleſtem attrahentes redduntur gravidæ, & in partu enituntur margaritas. Hinc pro ſua ætate, ac magnitudine, roris etiam concepti qualitate, puritate videlicet, vel obſcuritate, margaritæ etiam vel majores, vel minores, generoſiores vel ignobiliores naſcuntur. Ex conchyliis rotundis nobiliores, ſed tamen minus rotundæ; aliæ ignobiles rotundæ ex oblongis quaſi contraria ratione generantur. Margaritarum eæ etiam ſplendidiſſimæ putantur, quæ in profundo maris verſantur, at quæ in ſuperficie aquæ natant, eæ minus ſunt ſplendidæ. Cleopatra Ægypti Regina Antonio III. Antonii filio, in calice aliquando propinaſſe fertur uniones duos arte chymica liquefactos, & æſtimatos 50000. ſeſtertium. Anno 1633. in ſinu Perſico prope Catiſam reperta margarita præcellentis magnitudinis & venuſtatis; Delata ad Perſarum Regem, à quo 32000. *Toman* ſive 500000. imperialium noſtrorum pretio comparata eſt, ut teſtatur Tavernier in itin. ſuo orient. Cæterum lapis hic virtutem habet mire confortativam, valent contra Cardiacam, ſyncopen, debilitatem ex fluxu menſtrui, Item contra fluxum ſanguinis & ventris.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Amicorum & Conſiliariorum uſus in pretio ſit Politico.

Felicitas vitæ publicæ non tam illuſtri ſanguine aut æris & pecuniæ nervis compaginatur ac alitur, quam amicorum & conſiliariorum conſuetudine nutritur, & conſervatur. Hi politici corporis anima ſunt, qua vivit feliciter; hac recedente moritur, & in cadaver degnerat. *Non eſt aureum ſceptrum, quod regnum tuetur*; inquit Xenophon, *ſed amici fidi Regibus ſunt tutiſſimum, maximumq́ ſceptrum.* Ingens publici ſtatus moles eſt; ne in ruinam ſuo labatur pondere, non unius fulcientis, ſed plurium humeros expoſcit. Decumanis fluctibus Argo navis hæc exponitur, ut moderetur ſecure, alieno quoque conſilio & robore opus habet. Magna negotia magnis adjutoribus indigent. Etiam Atlas cœli fulcrum in ſuccollantem admittit Herculem. *Unus enim non ſufficit*, ait Philo Hebræus; *quantumvis alacer, fortisq́ corpore ſimul, atque animo, in tanta mole negotiorum ac multitudine quotidie aliis affluentibus ſuper alia. Proinde aſſumendi ſunt Optimates ſelecti, ſpectatæ prudentiæ, fortitudinis, juſtitiæ, pietatisq́ incorruptæ & ante omnia infenſi ſuperbiæ.* Hi ſunt amici, quorum fœdere reſpublica felicitati perenni vinculo adſtringitur. Habent magnatum Palatia, & aulæ Principum ſua gazophylacia, quibus Cimelia, & pretioſam gemmarum ſupellectilem ſtudioſè recondunt. *In pretio enim pretium eſt. Optimam vitæ ſupellectilem*, inquit Seneca, *ſibi comparavit, qui amicos paravit.* Hic Regum theſaurus eſt, in quo tot pretio inæſtimabiles adamantes rutilant, quot fidos miniſtros, prudentes conſiliarios, qui Principum amici primi ſunt, in eo numerat. His adamantibus ad Majeſtatem ſubditis, ad terrorem hoſtibus exornatur diadema & ſceptrum. Nec auguſtius ſplendere poteſt purpura, quam amicorum pyropis diſtincta. Hinc rectè Micipſa Rex Jugurtham, regiosque proles ſic ſub exitu vitæ monuit: *non exercitus, nec theſauri præſidia Regni ſunt, verum amici.* Horum ſapienti conſortio ſapiet Princeps; Horum conſilio non minus quam gladio hoſtium infringet potentiam. *Quid enim* (alloquitur concives ſuos Imperator Otho:) *Vos pulcherrimam urbem hanc domibus, ac tectis & congeſtu lapidum ſtare creditis, muta eſt hæc, & inanima, intercidere, ac ſeparari continue poſſunt; æternitas rerum, & mea cum veſtra ſalus incolumitate ſenatus firmatur.*

*Cyropæd. l. 8.*

*Philo Hebræus lib. de creat. Principis.*

*Senec.*


*Saluſtius Jugurth.*

*Tacit. l. Hiſt.*

Mutuis auxiliis opus habet. Cœcutimus ad placita noſtra, & in ſuo quisque negotio hebetior eſt. Sententia absque adſtipulatore ſolitaria, molimine proprio facilè labitur, atque deerrat. Expertus Octavianus Cæſar, qui quatuor & quadraginta annis rempubl. in altiſſima paçe gubernavit fidiſſimorum amicorum, Mæcenatis & Agrippæ, adjutus conſilio. His

*Suetonius*

77.




vero vitam cum morte commutantibus, & Imperii quantocyus immutatam intuebatur lachrymans felicitatem exclamando: *horum mihi nihil accidiſſet, ſi aut Mecœnas, aut Agrippa vixiſſet.* Ita & ad ſecundas, & adverſas nihil convenientius fidorum amicorum conſilio, & colloquio. Neque tamen temere hi deligendi, monente Seneca: *diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit; quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audacter cum illo loquere, quam tecum.* Sed neque te amicorum copia inopem reddat. Multorum auribus non tuto concreduntur ſecreta. *Regis conſilium*, ut ait Caſſiodorus, *ſolos decet ſcire graviſſimos.* Ipſa hamicorum raritas multitudinem negat, ut Poëta canit:

*Caſſiod. Epiſt.*

*Ovvenus.*

*Millibus ex multis unus vix fidus amicus,*
*Hic albo corvo rarior eſſe ſolet.*

Diu cognitus ſit, cui tua, diutius cui te committas. Quem vero elegeris, conſtanter ſerva, & cum novo non commuta, diſſuadente Sirachide; *ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit ſimilis.* Non in momento tam nobilis reſultat nexus. Longo uſu amicitiæ vincula firmantur. Quo pertinet illud Ciceronis: *Veterrimæ quoq; amicitiæ (ut vina, quæ vetuſtatem ferunt) debent eſſe ſuaviſſimæ, non enim amicitiis eſt utendum ut floribus, tamdiu gratis, quam diu recentibus.* Cum reconciliato tamen cautè age. Injuriarum ſemper eſt memoria. Gemma ubi rimam egerit, perit pretium. Non eluitur facilè macula, quam Chryſtallus imbibit.

*Eccleſiaſt. 19.*

Quid-

Quidquid oſtendit, ægrè eximitur, aut obliteratur, juxta tragicum illud: *Senecta nulla obtingit iracundia, niſi mors.* Nolo quidem, ut offenſarum priſtinarum ſemina foveas animo, verum ita cum eo agendum moneo, ut rurſus tibi inimicum fieri putes. Cautam diffidentiam ſuadeo, ſimultatem improbo. Cætèrum cedendo, & ferendo, etiam in amicitia vivitur. Qui facilè amici fidem in dubium revocat, diffidentiam & timorem parit, obſequio mutuo animorum harmonia conſervatur. *Sophocl. Oedip.*

# QUÆSTIO VIII.

## *De Magnete.*

DE magnete ſtupendo lapidum omnium in natura miraculo, ferri cognato, & ſyderum amico, tam multi multa ſcripſerunt, ut nihil penitus poſt ſe reliquerint, quod ſcribi poſſit, quales ſunt Plinius, Theophraſtus, Solinus, Scaliger, Gilbertus, Cabæus, Kircherus, Grandamicus, Zuchius, Carteſius, Nierembergius, Forerus, Dandinus, De Chales & plures alii. Verum cum opuſculum noſtrum ob materiæ integritatem etiam admirabili hoc lapide ornari petat, præſentem Quæſtionem de illo peculiariter inſtituere placuit, in qua tria potiſſimum breviter inquiremus. Primò, quid ſit? Secundò, quid faciat, ſeu quos habeat effectus & proprietates? Tertio, quomodo illos cauſet, ſeu quodnam ſit principium horum effectuum?

Concluſio prima. Magnes ſeu Siderites eſt lapis colore ad cœruleum vergente præditus, ferrum naturali facultate attrahens. Ita Ariſt. l. 7. Phyſ. Scal. exerc. 131. Dicitur magnes, (ut ait Laurentius) quod regio Magneſiorum hujusmodi lapidibus abundet; ſed & alibi eos copioſe inveniri perhibent Authores, præſertim in Illua Inſula, in Æthiopia, & in ima India, ad quas oras naves ubi propius acceſſerint, ſi ligneis non fuerint clavis compactæ, evulſo vi magnetum ferro diſſolvi dicuntur. Nonnulli cenſent, magnetem ab inventore, ita vocato in India paſtore, dici. Vocatur etiam ab aliis Herculeus lapis, ob dominatricem quaſi in ferrum poteſtatem. Multa materia metallica & chalybea illi immixta eſt, ut experti ſunt eruditi viri, qui ex analyſi chymica magnetis chalybem eduxêre. Coloris non unius eſt magnes, ille optimus, qui ad cœruleum, vel ferrugineum propendet, deterrimus vero eſt albus. Figura illi incerta naturalis, ſed plurimum confert arte inducta, informis enim magnes minùs attrahit, ille vero proprietates ſuas efficaciter exerit, qui ovalis eſt.

Concluſio ſecunda. Primus magnetis effectus eſt, quod rapiatur ab eo ferrum quaſi occultis catenulis, ab eoque detineatur in aëre ſuſpenſum absque ullo fulcro. Narrat Rufinus lib. 11. Hiſt. Eccleſ. Alexandriæ in templo *Serapidis* ſignum Solis fuiſſe è ſubtiliſſimo ferro manu artificis fabricatum, magnetemque deſuper in laqueari fixum, cujus vi, cum temperate ſub ipſo ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, aſſurgere ferrum, & in aëre pendere viſum eſt. Hinc licèt etiam nudus ſit & non armatus, ferrum tamen decies ſepties ſe ipſo graviùs ad ſe trahere poteſt & retinere, ut teſtatur Schottus in *magia magnet.* qui refert ex Kirchero Principem quendam Anglum habuiſſe exiguam & vix unius Unciæ magnetis particulam annulo incluſam tantarum virium, ut fere libram ferri traheret. Mirabilius vero eſt, nunquam magnetem fortiorem eſſe ad vincendam ferri gravitatem, quam ſi armetur ferro; ſic enim vim ſuam auget lapis & conſervat perennius, cujus rei exemplum adducit P. Kircherus in appendice ad l. 1. & 2. art. magn. ubi ait: magnetem illum famoſiſſimum Ducis Hetruriæ ferro munitum & in aëre à catenula ſuſpenſum pendere libras 29. & ſuſpenſas tenere ferri libras 65. Narrat etiam Martinus Merſennus *tom. 1. opp. Mathemat. tract. de magnet.* ſe ſcire magnetem, qui, cum nudus dimidiam tantum ferri trahat unciam, armatus verò decem libras, hoc eſt, trecenties & trigeſies plus, quam nudus ad ſe trahat. Incredibile pæne videtur, quod recenſet P. Schottus, & ſanctè affirmavit, teſtibusque adductis viris Religioſis confirmavit Carolus Du Lieu, cum Romæ eſſet; habere nempe ſe Lugduni in Gallia magnetem quinquelibrem chalybeâ laminâ armatum, & è tholo ſuſpenſum, tantarum virium, ut ſi ferrea clavis, aut aliud oblongum ferrum ſecundum longitudinem è longinquo applicetur, ea vi raperet ad ſe, ut vix bini aut terni viri retinere illud poſſint, & ubi ſemel ad ſe rapuit, adeo pertinaciter retineret, ut viri decem aut plures alligato ad ferrum fune abſtrahere nequeant, ſi tractio fiat perpendiculariter deorſum; ideoque ingentia pondera ferro oblongo alligata ſuſtinere, nec dubium eſſe, quin virum cataphractum appenſum teneret. *Ita ille in Mag. magnet.*

Dices: Magnes non ſemper trahit ferrum, nam ſi alliorum ſucco, aut hirci ſanguine perungatur, tota ejus virtus retunditur; neque ferrum deinceps allicit. Item ſi juxta eum ponatur Adamas, deſinit ferrum trahere, inquit Auguſtinus lib. 21. civit. c. 4. Reſpondeo, id fieri per accidens: quod antipathiæ adſcribendum putamus. Quamvis neget Cardanus, magnetem impediri poſſe vel ab Adamante, vel ab allio & cæpis, quin ſemper trahat ferrum.

Secundus effectus magnetis eſt, quod ferrum ab hoc lapide attractum vires accipiat, retineatque longo tractu ad trahendum aliud ferrum, adeo ut annulorum nonnunquam catena ſpectetur, quod merito ſuſpicit prælaudatus D. Auguſtinus inquiens: quis iſtam vim lapidis non ſtuperet, quæ illi non ſolum inerat, verum etiam per tot ſuſpenſa transibat, & inviſibilibus ea vinculis ſubligabat.

Tertius effectus eſt, quod acus magnetis attritu exterſa, ſeptentrionem ſemper reſpiciat; & ubi hinc inde in æquilibrio conquievit, polum arcticum commonſtret, ut videre eſt in pyxide nautica, & in ſolariis minutis, quibus ad Solem horas exploramus. Hujusmodi autem inclinatio tanto tamen minor eſt, quanto propior terræ tractus eſt æquatori, nam ſub æquatore perfecte perſtat in æquilibrio magnes. Hinc etiam deprehenſum eſſe à nautis, cuſpidem pyxidis nauticæ quibusdam in locis arcticum recta aſpicere, ut in freto, quo ab Æthiopico mari ad mare Auſtrale novi orbis penetratur, alibi vero pro locorum & Regionum diverſitate jam ad ſiniſtram, jam ad dextram ſive Orientem & occidentem vergere & à linea meridiana declinare.

Quartus effectus eſt, quod unus idemque magnes una ex parte vim habet convertendi penſilem mucronem acus verſus Septentrionem, ex altera eundem verſus polum antarcticum dirigendi; etenim in uno quoque magnete exiſtunt poli, ſeu puncta quædam certa, quæ ſuapte natura ad polos mundi, ſi magnes ſuſpendatur, convertuntur; inter illos vero polos intelligitur ducta linea, quæ eſt axis magnetis reſpondens axi mundi.

Quintus effectus eſt, quod virtus attractiva ferri major in polis, quam in reliquis ejus partibus.

Sextus effectus eſt, quod ſi ramenta ferri minutiſſima, qualis eſt pulvis ſcriptorius, habeantur in charta, cui ſupponatur magnes; ramenta illa per ſe ipſa ſeſe diſponant, & ordinent in circulos, ſeu in ſegmenta circulorum concurrentia hinc inde ad polos magnetis, ſeu ad partem ſuppoſitam his polis. Quod ſi magnetem ipſum pulveri ferreo admoveas, videbis utrimque magnetis polo appendi veluti barbulas plurimis videlicet ex particulis illius veris ſibi invicem adhærentibus filatim.

Reſtat nunc indagare cauſam virtutis magneticæ, quam explorare vix ullo hactenus humano ingenio licuit. Unde quod capita, tot ſere ſunt ſententiæ. Nugantur illi, qui animatum magnetem eſſe voluerunt; animatum enim eſt, quod ſeipſum movet; non quod movet aliud. Volunt alii, ferrum à magnete trahi tanquam à fine, non tanquam à cauſa efficiente, verum contra eſt, ut merito obſervat S. Thomas 7. Phyſ. textu 10. quod cauſalitatem finis nulla locorum intercapedo inhibeat; ferrum autem non trahatur ad quamlibet diſtantiam. *Libavius lib.* 1. *de bitum. c. 12.* bituminoſam in magnete naturam ſtatuit, ad ſingularitatem cum ferro redactam ſimilitudine conſpirationis, miſturæque, qua eadem principia in ferro coaluerunt. *Eſt*, addit, *ferreus ſpiritus bituminoſusque communis utriq;, ſed non effluit continenter, tamq; valide è ferro, ſicut è magnete propter diverſam coagulationem ſeu commiſtionem.* Alii occultæ iſtud tribuunt formæ: nonnulli mutuum rerum naturalium adferunt conſenſum. Et hi omnes videntur recurrere ad Sympathiam ferri & magnetis non improbabiliter, unde ſit

Concluſio tertia, Veriſimile eſt, ferrum trahi à magnete propter Sympathiam & ſubſtantiæ ſimilitudinem; cognatus enim eſt lapis duriſſimus metallo duriſſimo, & illud ad ſe rapit, ſicut etiam ſuccinum, Lychnites & Adamas trahunt paleas; chryſocolla trahit aurum, argentum vivum auri particulas, epithymum atram bilem, agaricum pituitam evocat; ſic Sympathia eſt, quæ ferrum trahit ad magnetem. Subſtantiæ enim ſimilitudine unaquæque res creditur trahere proprium alimentum. Unde cum ferrum ſit magnetis quaſi alimentum, illud ab hoc attrahitur; in ferri enim ſcobe, ut dictum eſt, magnes optime ſervatur, imò & alitur, nam repoſitus, tractu temporis ejus portio abſumpta obſervabitur. Hoc tamen in latiori ſenſu accipiendum, non enim verum eſt ejus pabulum, quoniam cum magnes non vivat, pariter vero nutriri nequit. Sed quemadmodum elementa moventur ad ſua loca, tanquam ad finem & perfectionem; ita magnes, quia ſervatur ſcobibus ferri, iisque veluti nutritur, ad ferrum movetur.

Verum

Verum difficultas adhuc eſt, quomodo per hujusmodi Sympathiam magnes agat in ipſum ferrum; utrum immiſſa & diffuſa qualitate aliqua occulta moveat ferrum, an vero immiſſis ſubtilibus quibusdam corpuſculis veluti hamulis & uncis apprehendat, vinciat, & trahat ferri pondus, ut quidam volunt, quod videtur non poſſe dici, ferrum enim ubi à magnete tactum fuerit, aliud etiam ferrum trahit, & tamen tunc non effundit corpuſcula & inſectiles ſubſtantias. Imò & ferrum eo modo tactum ad Septentrionem convertitur, quod per emiſſionem corpuſculorum à Polo Arctico difficulter intelligi poteſt. Unde probabiliter cenſemus conſiſtere in eo mirabilem hanc magnetis & ferri Sympathiam, quod magnes alteret ferrum impreſſa qualitate motiva ſolius ferri, non autem aliorum etiam metallorum, quâ imbutum ferrum currat, aſcendat, maneat ſuſpenſum, vertatur ad Aquilonem, nec quieſcat niſi adinvento polo.

Concluſio quarta. Non improbabile etiam eſt dari magnetiſmum ipſius globi terreſtris, vel ut totus ipſe globus ſit ingens quidam magnes, ut vult Gilbertus: qui è converſo magnetem terrellam appellavit; vel nucleus ipſius globi ſit verus magnes, ut ſentit cum pluribus aliis P. Zuchius; vel ipſa ſincera terra, & interior magnetica prorſus ſit, ut Carteſiani paſſim; vel vis magnetica etiam in ſuperficie promiſcue inſit elemento terræ, ut contendit Cabæus. Colligi hoc poteſt primo ex eo, quia ferramenta ex ſolo contactu, & applicatione ad terram vim magneticam acquirunt, præſertim ſi erecta ſuper terram diutius conſtiterint, unde forcipes, & ſimilia ferrea inſtrumenta, quæ ad ſcalpendum ignem apud focos erecta retineri ſolent, vim acquirunt ad attrahendas aciculas chalybeas; ſic etiam virgæ ferreæ, quæ diutius jacuerunt ſuper terram, præſertim ſi conſtitutæ fuerint in linea meridiana, vim converſivam ad polum acquirunt. Secundo in fodinis & rupibus lapidicinis videntur inter media immania ſaxa deſcriptæ lineæ, & quaſi fibræ longiſſimè protenſæ ab Auſtro in Boream, & diſpoſitæ paralellæ ad axem terreſtrem, ex quo ſatis probabiliter conficitur, magneticam vim illapſam illis tractibus, determinare diſpoſitionem illam à polo in polum.

Hinc deduci poteſt primo, cur inconſtans quandoque declinatio magnetis ſit, ut expoſuimus in effectu tertio, nempe oriri hoc poſſe ex inæquali magnetiſmo in diverſis tractibus terræ. Secundo, ob eandem rationem colligitur, cur acus magneticæ filo ſuſpenſæ inclinentur verſus globum terræ, perinde ac inclinari obſervantur ad magnetem ſeu terrellam. Tertio deducitur, niſum tonicum magnetis ſeu verticitatis non eſſe verſus polos cœleſtes, ſed verſus polos terreſtres.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Concordiæ ſummopere ſtudendum Politico.

HUmaniſſimum Senecæ præceptum eſt: *Pacem cum hominibus habeto, cum vitiis bellum.* Trux ira non homines, ſed cruentas feras decet. Odio habenda ſunt vitia, ſed non homines; nec ob quosvis naturæ nævos concordiæ vinculum eſt rumpendum. Nam ut vere Horatius: *Vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur.* Homines ſumus, humani nil à nobis alienum putemus. *Non eſt prudentis*, inquit citatus Romanus morum Inſtitutor, *errantes odiſſe, alioquin ipſe ſibi odio futurus eſt.* Satius eſt ad multa connivere, & humanæ imbecillitati tot erroribus obnoxiæ ſæpiùs ignoſcere, nec tam qui ſint alii, quam quales nos eſſe deceat, conſiderare. Græcorum proverbium eſt: *mores amici noveris, non oderis.* Injuriæ privatæ tranquillitati publicæ officiunt, & domeſtica mala factionibus utrinque excitatis in Rempublicam redundant; quemadmodum vice verſa animorum concordia mater omnis felicitatis, & firmiſſimum Reipublicæ munimentum eſt. Magnus ſit Politicus; *trahit unus in unam* hic catenam disjunctos ferreos annulos; ille efferatos animos in unum jungit concordiæ vinculum, cui illud Homeri liceat inſcribere: *Scutum haſit ſcuto, galea galeæ, atque viro vir.* Hac nobili unitorum animorum catena Reipublicæ illigatur felicitas. Quod ſi funiculus triplex difficilè rumpitur, quæ vis hoſtilis concatenatam civium confœderationem evertere poterit? vulgo notum Philoſophorum placitum eſt: *Virtus unita fortior*; ſeu ut Cæſaris Othonis ſymbolum habet: *Unita virtus valet.* Juncta renitent ſydera Galaxiæ, quæ diſperſa oculos luce ſubterfugiunt. Etiam aquarum guttulæ in unum collectæ intumeſcunt in flumina. Concordi fidium ſono Thebas adverſus hoſtium incurſus communit Amphion. Et quid Rempublicam niſi concordia munit, ornat & amplificat. *Reſpublica tutior nullo muni-*

Seneca. Horatius. Seneca. Homerus. Reuſn. in Symbl. Imp.

*Plutarch. in apopht.* *mento eſt, quam virtute civium conſentientium.* Plutarchus. Hoc munimentum fundatore Lycurgo urbis Spartæ fuit, interrogatus enim Rex Ageſilaus, cur Sparta mœnibus non cingeretur? Oſtendit ei cives unanimes; *Hi*, inquiens, *ſunt Spartanæ civitatis mœnia.* Significans

78.




urbes nullo propugnaculo munitiores eſſe, quam incolarum concordia. Inexpugnabile has magis facit animorum unio, quam armorum. Recte Jovius: *Inſuperabilem civitatem non arma, non pecunia, ſed unus publicus decoris conſenſus efficit.* Et vero, ſi nec Hercules contra duos, quomodo adverſus conſtipulatam multorum virtutem prævalebit inimicus impetus. Geryoni tricorpori inſcripſit Poëta: *Genus inſuperabile bello.* Figmentum hoc veterum Alciatus ſequenti epigrammate exponit: *Jovius.*

*Alciatus.*

*Ter geminos inter fuerat concordia fratres,*
*Tanta ſimul pietas mutua, & unus amor,*
*Invicti humanis ut viribus ampla tenerent*
*Regna, uno dicti nomine Geryonis.*

Reddit nempe conjunctio tutos. Nihil Erinaceus pavet in unum collectus. Concors animus murus aheneus eſt. Nec deeſſe quidquam felicitatis Regnis poteſt, ubi regnat concordia. Quam ob cauſam Camillus huic ceu Numini templum exſtruxit, omniumque rerum copiam, & ubertatem acceptam tulit. Quod idem & antiquitas conteſtari voluit, quando eam numiſmatibus incidens nunc craterem dexterâ, læva cornucopiæ tenentem, nunc ſceptrum ex quo fructus progerminabant, porrigentem effigiavit. Ut verè Silius cecinerit: *Dives concordia rebus.* At ut nihil melius civitati, quam unio, ita nihil pernicioſius quam diviſio; quas enim illa civitates conſtruit, hæc evertit. *Diſcordia & ſeditio omnia facit opportuniora inſidianti-* *Livius.*

*ſidiantibus*, auctore Livio. Simultatibus civium occulta panduntur hoſti, dumque hi ſe animis ſeparant, ille robur colligit. Singula haſtilia facile franguntur, conjuncta non item. Docuit hoc Scilurus 80. filiorum Pater; hic vicinus morti jaculorum faſcem ſingulis porrigens confringere juſſit, quod cum nemo eorum præſtare conando poſſet, ipſe ſigillatim ea extrahens, jacula omnia ſine negotio confregit, eos his verbis admonens: *Si concordes eritis, validi, invictique manebitis, contra ſi diſſidiis & ſeditione diſtrahemini, imbecilles eritis, & expugnatu faciles.* Manet nimirum conteſtatum nimis, quod Saluſtius edixit: *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur.* *Plut. Stob ſerm. 82.* *Saluſtius.*

# QUÆSTIO IX.

## *De modo inveniendi mineras & de magiſterio transmutandi metalla.*

ACtum de mineralibus hactenus, ſuccedunt metalla, de quibus generatim quædam jam dicta ſunt, reſtat ut de iis etiam in ſpecie agamus, prius tamen de modo inveniendi mineras, & de magiſterio metalla transmutandi pertractanda nonnulla ſunt; Unde ſit

Concluſio prima. Signa, è quibus metalla latentia reperiri poſſunt, ſequentia ab Authoribus recenſentur. 1. Quo in loco humidiores herbæ non congelantur à pruinis, ſed immunes virent, venas ſubeſſe indicant. Venæ enim, quia ſiccum & calidum exſpirant halitum, pruinæ concretionem impediunt. Quod ſi exhalationes valde calidæ ſunt, fert ea terra humiles valde herbas, easque colore ſublanguido. 2. Arborum ſuper mineras adultarum folia verno tempore ſubcœrulea, rami nigredine ſqualentes, bifidi ſtipites, rami diſcolores, ſpirituum varietatem ſubeſſe notant. 3. Non leve etiam latentis venæ indicium deſumitur ex coruſcationibus, & cœruleis flammis, quæ identidem terram allambunt; ſoletque ſulphureus quidam & calidus vapor ex iis locis erumpere, qui facilè percipitur. Unde iis in locis ſtatim nives colliqueſcunt, nec ros concreſcit, & ſterilis ac exuſta terra comparet. 4. Color pariter montium & lapidum ac terræ non ſolum metallum, ſed & ejus ſpeciem indicat, ſic viridis color in monte diffuſus ab ære, niger ab argento & auro, purpureus à pyrite, lividus à ferro, vel plumbo, cinereus à ſulphure latente promanat. 5. In locis metalliferis aucti pondere plus gravitant lapides, & aliqua ſui parte ſplendent. 6. Aquæ ex montibus, atque aliis locis ſubterraneis effluentes, ſi odorem quendam & colorem alienum præſeferunt, mineræ metalliferæ dant conjecturam, maxime ſi & particulas quasdam metallicas ſecum evehant. 7. Acerrimi præterea metallorum ſpiritus montem in rimas cogunt. 8. Stelliones bufonibus grandiores aureæ mineræ incubant, quia delectantur antimonio, quod eſt flos auri. 9. Terra argillacea nigra & tenax plerumque mineras circum vel ſub ſe habere ſolet.

Ex modis his metallum inveniendi non minimus eſt virga divinatoria, quæ bifurca, & pro metalli inveniendi ratione diverſa eſſe debet, nimirum pro argento colurna, pro ære Fraxinea & pro plumbo è piceaſtro ſumpta. Nec hoc naturæ vires ſuperare videtur, cùm conſtet mineras exſpirare halitus calidos, quibus & herbæ & arborum folia aduruntur. Contingere proinde poſſet, ut virga ex Sympathia innata eò ſe inclinaret, unde exhalationes amicæ aſcendunt. Illud tamen minimè probandum, ſi quædam aliæ vanæ obſervationes, quæ de ſe nullam cum effectu relationem habent, adhibeantur, v. g. quod nulli niſi die Solis nato obediat &c. Hoc enim ſuperſtitioſum eſt, & quia communiter ſimiles conditiones apponuntur, cenſeo cum Patre Honorato Fabri tract. 7. Phyſ. l. 2. prop. 30. virgam hanc eſſe meram ſuperſtitionem, vel verius (ut is loquitur) anilem fabulam.

Concluſio ſecunda. Venæ metallicæ in varias dividuntur ſpecies; aliæ enim dicuntur *profundæ*, aliæ *dilatatæ*, aliæ *cumulatæ*. Profunda nominatur, quæ à ſuperficie terræ in imam ejus ſedem deſcendit. *Dilatata*, quæ per medium inter ſuperficiem terræ & ejus profunditatem excurrit. Cumulata vero appellatur, quæ ſat notabilem telluris partem ſecundum longitudinem & latitudinem occupat. Rurſus profundarum venarum aliquæ diverſæ latitudinis ſunt, & in nonnullis locis ſubinde usque ad duodecim paſſus excurrunt, ſubinde tamen vix ultra duos digitos ſe extendunt. Et hæc iterum variè dividuntur, aliæ enim ſunt *rectæ*, aliæ *curvæ*, nonnullæ *obliquæ* & *tortæ*, item *transverſæ* & *circulares*. Appellantur etiam Orientales & Occidentales, Auſtrales & Boreales, prout nempe ad has partes excurrunt. Quod autem eſt medium inter duas venas, *intervenium* nominatur. Vide de his Agricolam, ſi fuſiorem explanationem cupis.

Obſervandum præterea primo, pleraque metalla in certis lapidibus ſedem ſuam natalem figere, quales ſunt pyrites, qui fulvi coloris ſunt, venas aureas; ſi albicantis argenteas deſignant. Secundo inventâ argenti venâ tam diu inſiſtere quærendo poteris, quosque non occurrat minera aluminis, quæ finem argentariæ venæ indicat, quod idem obſervatum eſt in mineris cupreis, cùm ad pyritem ſpurium pervenitur. Tertio, in unâ eademque vena plura deprehenduntur metalla, ita ut eadem materiæ portio & aurum, & argentum ac æs contineat. Plumbum nigrum uti & ferrum exiguam argenti partem continent, è contra ordinariè quanto plus venæ argenti verſus ſeptentrionem ſe extendunt; tanto amplius plumbo abundant. Nunc ut ad alteram quæſtionis partem decidendam veniam, utrum ſcilicet per artem chymicam applicando activa paſſivis verum & purum aurum fieri poſſit; neceſſarium duxi, præmittendum eſſe 1. Artem hanc Alchymiam vocari, quæ vel ex aſperſis pauculi pulveris aurei ramentis aurum multiplicat, vel ex non auro verum aurum producit ignis beneficio, ſive id fiat per lapidem (ut appellant Philoſophicum,) ſive aliter. Ubi duo modi artis hujus inſinuantur. Primus ex auro auget aurum. Secundus omnino producit aurum de novo.

Præmittendum ſecundo. Multi artis hujus originem vetuſtiſſimam eſſe volunt; quidam enim ab Adamo, alii à Moyſe, alii à Salamone, nonnulli ab Hermete Triſmegiſto, Ariſtotele, Pythagoreis deducunt. Cenſet Suidas vellus aureum, quod ab Argonautis obtentum eſſe fabulatur antiquitas, libros fuiſſe Alchymiæ, doctrinam in arietinis membranis deſcriptam continentes. Idem ſentit Lilius Giraldus de pomis aureis Heſperidum. Quæ omnia fundamento carent. Certum vero illud eſt, nullam hujus artis mentionem fieri ante tempora Caligulæ, ut teſtatur Plinius lib. 33. c. 4. Hinc refert Suidas, ætate Diocletiani Imperatoris flammæ traditos fuiſſe libros Ægyptiorum Alchymicos, ne illi facti ditiores, novis rebus ſtuderent. Illuſtrare tamen hanc artem rurſus conati ſunt Paracelſus, Theophraſtus, Blemmydas & Geber Arabs.

Præmittendum 3. Fallaces transmutationes tentatas á plurimis ad imponendum vulgo, quarum licet pleræque aurum viderentur exhibere, attamen ſerius deprehenſa impoſtura eſt, aut enim aurum fuit fictitium, aut ex auro ipſo calcinato ſumptibus majoribus, quam fuit lucrum, elicitum eſt purgatum. Norunt etiam hi, ita argentum, ferrum, ac plumbum tingere in aurum, ut verum aurum eſſe videatur.

Præmittendum quarto. Transmutationem hanc ex Alchymiſtarum opinione fieri poſſe primò mediante lapide Philoſophico, per quem intelligunt vel pulverem, vel oleum quoddam albicans plerumque, vel rubeum, quod cenſent eſſe auri ſemen adeo mirabilis efficaciæ, ut auſit Augurollus teſtari lib. de Chryſopoeja ad Leonem X. inquiens:

*Ipſius ut tenui projecta parte per undas*
*Æquoris, argentum ſi vivum tum foret æquor,*
*Omne vel immenſum verti mare poſſet in aurum.*

Quis hic non miretur hominis audaciam, ne dicam inſaniam. Secundo fieri poſſe per ſolam ignis attemperati efficaciam, mutando argentum vivum & ſulphur vel alia metalla præſertim argentum in verum aurum per varias liquationes & uſtiones. Utitur etiam hoc hominum genus, ut liberius incautos decipiat, peregrinis & obſcuris nominibus; ſic plumbum appellat Saturnum, ſtannum Jovem, ferrum Martem, aurum Solem, æs vel cuprum Venerem, argentum vivum Mercurium, argentum Lunam, vitriolum Calcolar, arſenicum Joſue, antimonium Muhiſar, Salem Ammoniacum Aquilam. Similiter ipſum lapidem Philoſophicum nominant humanum ſanguinem, jam aquam vitæ, jam elixis & medicinam morborum omnium. His præmiſſis ſit

Concluſio tertia. Non eſt phyſicè impoſſibile, ut per artem chymicam verum aurum efficiatur applicando activa paſſivis. Ita D. Thomas 2. 2 q. 77. act. 1. ut locuples teſtis eſt Cajetanus in eandem quæſtionem. Eandem tenet Albertus M. & plurimi alii graviſſimi Authores. Ratio hujus primo eſt, quia nulla hujus phyſica repugnantia adſerri poteſt. Secundo, quia non videtur excedere vires agentis ignis, ut ex argento vivo fiat aurum, nam ſi panis comeſti in carnem vi caloris naturalis fieri poteſt transmutatio, cur non & hydrargyri in aurum vi caloris ipſius ignis, præſertim cum metalla magis ſimilia ſint auro, quam panis carni & nervis. Tertio, quia applicatio hujusmodi ſecundum ſe operoſior non eſt quoad converſionem metallorum, quam ad animationem pullorum, qui calore clibani in certo gradu præparato, & applicato, excluduntur ex ovis in Ægypto; quâ item induſtriâ apud Sinas anatũ geneſis procuratur; neque item impoſſibilis magis eſt, quam applicatio illa, quâ ex lixivio anatum

tum intra paucas horas buſones procreantur, aut apes ex cadavere boum, aut ex herba baſiliſco rite præparata & collocata ſcorpiones, ut refert Pererius *l. de magia* & Scaliger exercit. 106. Et ut rem iis, quæ minus controvertuntur, ac propiores ſunt, confirmemus, ex ferro efficitur chalybs, imitante arte illud, quod natura præſtat in plurimis ferri fodinis, ſic & æs in æruginem, plumbum in ſtannum arte mutatur. Pariter ex plumbo, cui miſcetur acetum, dicitur confici ceruſſa, hæc ſi aduratur, fieri ſandaracha fictitia. Orichalcum omnino ſimile naturali & foſſili fit ex ære, vitri pulvere, & lapidis calaminaris tinctura per ignis aduſtionem in fornace, cur non igitur & metallorum in aurum converſio phyſice poſſibilis foret? Quarto demum non videtur denegandum Angelis, quod ſcientia hâc polleant, quâ applicando activa paſſivis poſſit fieri aurum; cur ergo Angeli non poſſint permittente Deo hanc artem alicui homini communicare.

Concluſio quarta. Non videtur etiam moraliter impoſſibile, per applicationem artificioſam activorum cum paſſivis, aurum verum fieri, effectio tamen hæc admodum difficilis & perrara eſt: Ita cenſet Delrio l. disquit c. 5. ſect. 2. Biſciola, Andreas Libanius, Antonius Mirandolanus, Cardanus, Fernelius & complures alii. Ratio eſt, quia ſat probabile eſt de facto plures per artem verum aurum feciſſe; plurimi enim probati, periti & fide digniſſimi viri aſſerunt ſe vidiſſe, ac ritè probaſſe verum & ſincerum aurum factum per artem chymicam; ſic Arnoldus Villanovanus virgulas aureas per artem effecit, easque omnium examini Romæ ſubjecit, ut referunt Juris Conſulti graviſſimi apud Delrium. Idem perhibetur præſtitiſſe Bernardum Treviſanum in Gallia, Raymundum Lullum in Anglia. Kelius Anglus libram unam argenti vivi unicâ liquoris rubicundiſſimi guttula in aurum convertit; imò tantarum hic pulvis perhibetur fuiſſe virium, ut uno grano quinque tingeret millia, & uno decem circiter auri puri extraheret uncias. *Sennert. de conſens. & diſſens. c. 2.* Quid & Theophraſtus fecerit, notum ex *Neandro* in *Geographia*. Picus Mirandula Apollinaris plus quàm viginti ſe tenere aurum conficiendi modos ſanctè affirmabat. Hinc illi Romæ epitaphium: *Auri ex plumbo collectori*. Sic etiam habetur clavus quidam in Muſæo magni Ducis Hetruriæ, cujus altera medietas ferrea eſt, & altera aurea. Teſtantur autem olim totum ferreum fuiſſe, ſed alteram medietatem ipſius contactu lapidis philoſophici evaſiſſe in aurum, alteram autem de induſtria manſiſſe intactam in perpetuum argumentum lapidis Philoſophici. Unde quod plures feliciter aſſecuti ſunt ex directione Præceptorum, quæ uſu & experientia didicerunt, moraliter impoſſibile eſſe non poteſt. Præterea, ut ſuperius in concluſione ſecunda obſervavimus, experimenta plurá ſunt, quibus conſtat facta fuiſſe per artem chymicam metalla inferioris ordinis. Non minus autem continentur in natura cauſæ factivæ auri, quam aliorum metallorum, igitur & aurum fieri poterit, quia applicatio agentium non eſt difficilior, pro auro, quàm pro argento, & licet etiam ſit ſcientiæ hujus acquiſitio difficilior, non tamen propterea omnem humanum intellectum & induſtriam ſuperat. Vide ſuperius dicta, quæ pleraque huic concluſioni pariter applicari poſſunt.

Argues tamen contra primo. Joannes 22. Pontifex in extrav. damnat inter impoſtores & falſarios Alchymiſtas, ut rem omnino falſam hominibus pollicentes, ſimulque declaravit, vendentes tale aurum pro vero, teneri ad reſtitutionem. Unde ſignum eſt, quod Pontifex cenſuerit, non poſſe per artem verum aurum fieri. Reſpondeo, etſi Pontifex hanc artem tanquam pernicioſam damnaverit, eamque prohibuerit, ne homines cupiditate auri illecti poſt ingentes ſumptus fruſtra expenſos occaſionem arriperent, dœmonem in auxiliatorem invocandi; ex hoc tamen non deducitur, cenſuiſſe hanc artem impoſſibilem. Nec obligatio ad reſtitutionem hoc evincit, nam hæc duntaxat in hunc finem inducta eſt, ut impoſturæ occaſio tolleretur; paſſim enim aurum chymicum in tribus deficit; primò quod non ſuſtineat vim ignis. Secundò quòd color ejus facilè diſpareat & mutetur. Tertio, quod recuſet extendi in laminas tenuiſſimas; unde aurum, quod his defectibus obnoxium eſt, inique pro vero expenditur.

Argues ſecundo. Materiam neceſſariam pro auro conficiendo eſſe ſolum halitum incluſum in terræ viſceribus, hunc habere nequeunt chymici, ergo. Reſpondeo, poſſe metallis halitum illum ſubterraneum inhærere, qui ad confectionem auri requiritur, eumque, ubi vis ignis in fornaculis decoxerit, ſufficere poſſe ad formationem auri.

Argues

Argues tertio. Ad productionem auri concurrit calor Solis & ſyderum influxus, qui non poteſt ſuppleri per calorem ignis applicati, ſicut hic non poteſt ſupplere calorem naturalem, alias etiam mediante igne ex pane poſſet fieri caro, & ex vino humanus ſanguis. Reſpondeo negando, quod calor ſolaris non poſſit ſuppleri, ut patet in floribus, qui ad calorem fornacis in hyeme generantur, & in multis aliis effectibus, de quibus experientiam habemus. Sic pariter poteſt per artem medicinæ & virtute pharmacorum ſuppleri defectus caloris naturalis. Calor tamen ſtomachi ad transmutationem ſubſtantialem à calore ignis non ſuppletur, cum hoc nobis nulla ratione conſtet. Deinde ad generationem carnis & ſanguinis plura requiruntur, quam arte ulla effici poſſint. Tradunt tamen nonnulli, fieri poſſe carnem ex pane per aliquod dies defoſſo in ſterquilinio; quod quidem ad fabulas rejiciendum ego exiſtimo. At vero ad metalli transmutationem in aurum nihil amplius requiritur, quam ars, quæ jam adepta eſt, ut apud hujus artis peritiores pro certo eſt.

Argues quarto. Non poſſunt chymici unam gemmam transmutare in aliam v. g. Adamantem in Smaragdum, Chryſolithum in Carbunculum, ergo nec aliud metallum. Reſpondeo, me hujus artis nullam videre repugnantiam, quod id ipſum multi docent Authores; vel certè nondum ars illa inventa eſt, ſicut eſt inventa transmutatio metallorum, ut conſtat ex probatis hiſtoricis & adductis exemplis.

Argues quinto. Vivens perfectum extra matricem nequit generari, ergo etiam metallum perfectum, quale eſt aurum, nequit produci extra mineram matricem. Reſpondeo, vivens imperfectum poteſt ex quacunque materia extra uterum generari, cur non & aurum illo longè imperfectiùs? deinde diſparitas eſt, quod primi non habeatur experientia; quæ habetur de ſecundo, ut ex allatis patet, quibus ſequentia in confirmationem adde. Notus eſt libellus, ut inquit *P. de Rhodes Phil. Perip. l. 2. Diſp. 1. q. 2. ſect. 3.* ſuperioribus annis editus, ubi accuratè diſputatur de aureo dente, qui ſponte ſuccreverat cum aliis dentibus in ore militis Hungariæ in caſtris Imperatoris, quod aurum omnium judicio viſum eſt probatiſſimum. Refert Alexander ab Alexandro lib. 4. genial. dierum in Germania citeriore vites juxta Danubium totâ hyeme terræ inſepultas, ſæpè in æſtate capreolos aureos & pampinos germinare. Cauſa hujus addit, cùm ibi inquit auri fodinæ ſint, ſubtus coaleſcere in radicibus aurum, & una ingenitum, ac condenſatum occulta origine, dum germina emittunt vites, mirabili naturæ conſtituto, aut decreto ſtellarum, aurum ſimul erumpere. Narrat & Ariſtoteles *lib. de admirandis auditionibus*, alicubi æs Cyprium ab agricolis ſeminari, & meti.

Argues denique ſexto. Alchymiſtas ſæpius in manifeſtis impoſturis fuiſſe deprehenſos. Item ferè ſemper mendicum eſt hoc hominum genus. Conſtat etiam opulentiſſimos etiam, hac arte ad majores divitias anhelantes, bene parta prodegiſſe, & ad pauperiem redactos eſſe. Reſpondeo, me ultro fateri, non paucos in hac arte impoſtores fuiſſe, ſed hoc non evincit, chymicos omnes eſſe fraudum & mendaciorum fabricatores. Fateor pariter difficillimam hanc eſſe artem pauciſſimisque hactenus cognitam, unde & meum conſilium eſt: Chryſopoejam ſpeculativè ſors veram, minimè tamen in praxim deducendam ob prædicta incommoda, communiter promanantia. Quare eorum Principum ſapientiam commendare oportet, qui ſubditos ſuos ab hujusmodi artibus ſerio avocant, prudenter rati, veram artem ditandi urbes & provincias eſſe laborem & induſtriam civium. Chymicus excellens Penotus erat, quàm miſerè in extremo ſuos canos depoſuerit ſenio, notum doctis; vox illius fuit: *Se ſi alicui malum vellet, quem aperto vi aggredi non valeret, authorem ipſi chymicæ exercendæ futurum.* Sennert. de conſenſ. & diſſenſ. c. 2.

Quæres tamen curioſitatis ſtudio, quæ ſit materia lapidis Philoſophici? Reſpondeo, multiplicem de hoc Authorum eſſe opinionem; aliqui cenſent eam eſſe auri ſcoriam; alii vitriolum & arſenicum; nonnulli alumen, magneſiam, chalcantum. Peritiores judicant, aptiſſimum eſſe ſulphur & hydrargyrum, utpote quæ conſtant potiſſimum temperamento requiſito ad generationem auri; hydrargyrum enim potiori ex parte conſurgit ex humido pingui & aëreo; ſulphur vero naſcitur ex terræ pinguedine & viſcoſitate.


Quæres

Quæres ſecundo. Quis proximus modus ſit producendi aurum. Reſpondeo: ſi hunc ſcirem, tibi eo ipſo non manifeſtarem. Unde credibile eſt, neminem hactenus ſcriptis hunc ſincerè commiſiſſe: Plures quidem circumferuntur, ſed quibus nihil præter verborum ſtrepitum ineſt ponderis. Talem Fernelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis c. 18.* ſic præſcribit: *Auri puriſſimi uncias duas, argenti vivi magno artis ſtudio præparati, decuplo permiſce, igneque languido diſſolve, donec argentum vivum prorſus exſpiret, priſtinumque auri pondus remaneat in atrum pulverem redactum, qui tamen liquatus in propriam poſſit naturam redire: ex hoc deinde pulvere igne acerrimo vaporarij aquam continenter elicies, donec pulvis totus in cinerem candidiſſimum, & in calcem redigatur; deinde calcem hanc ſive pulverem ſepties aqua reſperge, poſtremò puram illam calcem obturato vaſe recondе fimo equino calente diebus 40. dum in humorem album & craſſum liqueſcat; in hunc humorem juſtis dierum intervallis aquam ſenſim infunde, ut calx aquam ſuam omnem ſenſim imbibens, quaſi illinc enutrita in lapidem verum concreſcat. Hoc eſt* (inquit Fernelius) *frugiferum auri ſemen, cujus drachma, ſi in 250. plumbi vel ſtanni drachmas infundatur, totum illud in aurum convertetur.* Videre poteris etiam Vecherum lib. 10. c. 7. Raymundum Lullum, & Fallopium. Hic modus, an verus ſit, praxis docebit, pro qua fidem meam minimè interpono. Hoc certum eſt, dari de facto quandam artem extrahendi ab auro animam, ut ajunt, auri; quæ deinde refuſa in maſſam vilioris metalli, tantundem auri efficit, vel etiam aliquid minus, quantum erat illud, à quo extracta eſt, ſed in hac nihil eſt lucri, multum laboris & vigiliæ.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Juventutis inſtitutio Reipublicæ perutilis.

79.



OMnibus natura virtutum quædam ſemina indidit, quibus ad heroica adoleſcant decora, innato impetu illuſtris præſertim indoles ad decurrendam glorioſam Majorum ſemitam incitatur. Jam prima vultus lineamenta Martialem depingunt animum, & ex cunabulis, ut ex ungue Leo, Hercules agnoſcitur. Verùm niſi optimi Præceptoris inſtitutio accedat, in nobili ſemine omnis fructus opprimetur; ut ex ſulphure & hydrargyro rudis confecta maſſa *formetur in aurum*, Philoſophico lapide, ſive Alchymiæ tinctura opus habet. Factum quidem in illa jam fundamentum & ſemen auri eſt, at ſplendidam hanc metalli formam nunquam induet, niſi longa induſtria in Chymicorum Magiſterio deſudaverit: *Seneca Epiſt. 108.* Omnibus, inquit Seneca, *natura fundamenta dedit, ſemenque virtutum; omnes ad omnia iſta nati ſumus; cum irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur.* Vis quidem ab origine multum, fateor, pendet, attamen ut rudes naturæ dotes formentur in aurum, quo corona & ſceptrum fulgeat, atque Reſpublica decus mutuet, Alchymia Palladis apprimè opus eſt. *Caſſiod. 10. var. epi. 3.* *Hæc naturam laudabilem* (verba ſunt Caſſiod.) *reddit ornatam. Ibi prudens invenit, unde ſapientior fiat; ibi bellator reperit, unde animus virtute roboretur, inde Princeps accipit, quemadmodum ſubditos ſub æqualitate diſponat.* Verbo: Humanitatis ſtudia homines efformant, & quaſi à brutis diſcriminant, atteſtante Comico:

*Menand.* Doctrina, mores non ſinit eſſe feros.

Eapropter, *munus nullum Reipublicæ afferre majus, meliuſve Principes poſſunt, quam ſi docere ac erudire Juventutem curent, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda ſit.* Cicero. Summa vitæ politicæ eſt, à teneris bene aſſueſcere. Nobilius longè, rectè inſtitui, quam nobiliter naſci. Eadem terra, quæ inculta ſylveſcit, floret & fruges adfert exculta. Divino Cereris lacte nutritus Triptolemus, immortalis evadit. Minervæ rigati lacte Divini efficimur Platones.

Eſt vero primus diſcendi ardor excellentia Magiſtri, unde opera danda, ut ſcholarum frequentia & Profeſſorum numero, qui non minus eruditione, quam vitæ integritate ſint conſpicui, floreat Reſpublica. Carolus M. tot bellorum, & adminiſtrandarum Provinciarum mole oneratus, id habuit antiquiſſimum, ut iiſdem manibus, quibus templa Religioni exſtrueret, Minervæ Athenæa erigeret, maximè dum intelligeret, veram Religionem periiſſe in Gallia, quod ſtudia litterarum intercidiſſent. *Ant. Poſſevin. Biblioth. ſelect. l. 1. c. 8.* Scimus Romanos Julio maximè Cæſare auctore numeroſos Profeſſores, & liberalium Artium Doctores aſciviſſe, imò quo libentius & ipſi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donaſſe. *Suet. Jul. c. 42.* Quâ viâ Adrianus Imperium Romanum in eam formam reſtituit, ut nullus poſt Auguſtum tam utilis Reipublicæ Imperator exſtitiſſe prædicetur? non aliâ profectò, quam Academias erigendo, quibus Clariſſimos Magiſtros præfecit. Lamprid. *Lamprid.* De Conſtantino M. ait Aurelius Victor, fuiſſe nutritorem bonarum artium, & foviſſe ſtudia litterarum, ſcholaſque, teſte Gregorio Nazianz. orat. in laudem Baſilij, excellentiſſimis Oratoribus & Philoſophis fuiſſe refertas. *Nazian. orat.* De Sinenſibus refert Franc. Orono, illorum in regno ampliſſimo tot Athenas inveniri, quot ſunt Sinæ totius civitates & caſtella. Non Europæi his cedunt Principes, zeloſi litterarum fundatores. Auſtriacorum præcipuè ea laus eſt, ut vix ullam celebriorem urbem ſub ditione contineant, quæ non ſcholis publicis ad Religionis & boni publici ſplendorem ſit exornata. Noverunt nempe ſapientiſſimi Principes, illas Reſpublicas, ut Poſſevin. cit. loquitur, diutiſſimè ſemper floruiſſe, quæ optimorum ſtudiorum diligentem curam habuerunt. Nullo fræno aptiùs, quam litteratura ſubditorum animi cicurantur. Toga & ſago inclyti heroes ex hoc Trojano equo prodeunt in publicum. Mars & Ars ut nomine ita opere ſibi vicini ſunt. Ubi laureata viget Pallas, coronata triumphat Religio. Ut vero in primævo ſuo flore res litteraria conſervetur, præmia, animorum illicia, adjungenda ſunt. *Tacit. 11. Annal. l. 1.* *Sublatis enim ſtudiorum pretiis*, ut ait Tacitus, *ſcholæ frigeſcunt, imò etiam ſtudia peritura, ut minus decora.* Ut enim fruges non tam ſoli ingenio, quam cœli beneficio, & temperie lætius proveniunt, ita quoque artes bonæ, eximiaque ingenia Principium ac Magiſtratuum benignitate excitantur. Virtutis ſcilicet uberrimum alimentum honos & prœmium eſt.

# QUÆSTIO X.

## *De Auro.*

COncluſio prima. Aurum eſt metallum puriſſimum, ex argento vivo, puro, fixo, rubeo, & clariſſimo, puriſſimo pariter ſulphure rubeo, non adurente, optime inter ſe temperatis genitum. Inde nec ab aqua corrodi, nec à terra exedi, nec ab aëre alterari, nec ab igne

nec ab igne conſumi poteſt, imo quo ſæpius ardet, tanto plus proficit ad bonitatem. Limonis tamen ſuccus hoſtis eſt ponderi, teſte Lemnio occult. l. 2. cap. 36. & ſi auro liqueſcenti gallinarum membra, ut loquitur Plinius l. 29. cap. 4. miſceantur, conſumunt; calorem animalium aliquid in illud poſſe, Wendlerus teſtatur in prognoſtico Anni 1619. cui adſtipulatur Schnitzerus epiſt. 50. narrans: in occiſæ gallinæ ventriculo, nummos aliquot ad medietatem conſumptos inventos eſſe. Cæterum invenitur in terræ viſceribus inter ſaxa ſplendore candida potiſſimum in montibus Arabicis, in fodinis Germaniæ, quingentis orgyis ſeu paſſibus profundis, ſed & in fluminibus copioſe volvitur, ut in Tago Luſitaniæ & Edera Haſſiæ flumine. De Hungaria teſtatur Ortelius in Epitome in hæc verba: in pleriſque fluminibus auri optima ramenta inveniuntur; quin & in vitibus, in aurifero ſolo ſatis, aurum quandoque legunt. Repertæ in Hiſpania decem libras excedentes maſſæ. Inventum etiam aratro in Gallicia ſciſſum. *Juſtin. l. 44.* In montibus Gilovienſium pondo duodecim avulſam de ſilice maſſam, ſcribit *Dubravius*, quæ & Wenceslao Regi exhibita. A formicis apud Indos (magnitudine hæ Ægypti luporum) egeritur & conſervatur. *Jonſton. Thaumat. Nat.* In Æthiopiæ maris inſulis tanta ejus copia, ut equos talento incolæ permutarent. *Plin. l. 6. cap. 36.* Refertur & in Cranio ſepulti creviſſe aurum, quod fidem non excedit, nam perinde in humani Cranij commiſſura concreſcere halitus metallicus potuit, atque nunc in tenuiſſimis lapidum rimis. In capitibus pariter piſcium, quas Forellas ſeu Trutas vocant, generari vult *Magirus*.

Concluſio ſecunda. Proprietates auri ſequentes numerari ſolent. Prima. Omnium metallorum molliſſimum eſt, & tenuiſſimum, & propterea latiſſimè diduci & dilatari poteſt, ita ut uncia una auri tegere poſſit octo argenti pondo; vel melius, in ſeptingentas quinquaginta bracteas, ſeu folia quatuor digitorum longa & lata malleo artifice extendi. *Plinius l. 33. c. 3.* hujus ductibilitatis ratio deducitur tum ex mollitie, tum ex ſingulari partium plexu; mollities enim facit, ut partes cedant; accuratus autem partium plexus diviſionem prohibet. Analogia eſt in terra pingui, & cera molli. Accedit corporis ſoliditas, nam contingit quandoque, ut dum corpus aliquod ducitur in filum, rumpatur defectu materiæ, quæ cum rarior ſit, & majoribus vacuitatibus, ſeu poris pervia, ubi ad ſummam tenuitatem perventum eſt, nihil fere materiæ ſupereſt, ſed mera vacuitas, ut videre eſt in viſco; unde nil mirum, ſi diviſio ſequatur.

Secunda proprietas eſt, quod pinguedine careat, ideoque nec tingit, ſeu fœdat, neque igne conſumitur. Uni enim auro ex omnibus metallis maxime nihil deperit igne, ut ait *Ariſt. 3. Meteor. c. 6.* quod intelligas velim in ſenſu phyſico; jactura enim inſenſibilis, & evaporatio negari vix poteſt. Quod ſi certi ſales quidam commiſceantur auro, deſtruetur, aut certe calcinabitur. Ante liquatur, quam rubeſcat, & candet, quia citius rareſcit humor, quam colligantur particulæ igneæ ad ſtatum illium ignitionis. Accenſum vero difficile extinguitur, quia humor ſeparare non adeo facilè poteſt collectos igniculos.

Tertia proprietas eſt, quod ſit graviſſimum omnium metallorum, cum ſicut puritate, ſic & pondere eadem ſuperet. Oritur hæc gravitas ob ſubſtantiæ denſitatem, quia ſcilicet optimè calore compactum eſt. Eſt enim temperatè calidum & ſiccum. Unde cor hominis exhilarare, vitales ſpiritus corroborare, à corpore putredinem arcere, curare lepram, &c. dicitur. Vide *Plinium lib. 13. c. 1.*

His annumerandæ ſunt ſequentes qualitates. Aurum uſu vix atteritur. Chymicè reſolutum tam ſpiritoſum evadit, ut ſi ferrea agitetur ſpatula, vel alio incaleſcat modo, mox cum ſonitu flammam concipiat, & potentius unius ejus operatur ſcrupulus, quam dimidia pulveris tormentarij libra. *Crollius citante Sennerto cap. 18. de conſ. & diſſens. Chymicorum*, pauca certe ejus grana perpendiculariter centrum verſus ſi ferantur, menſam ligneam transverberare valent. *Quercetan.* Non eſt ſonorum, neque tinnulum, cum poros habeat anguſtiores, unde & quovis modo percuſſum nullum aut exiguum edit ſonum, ſui vel alterius coloris lineas non imprimit ſubjecto corpori, niſi coticula ſive Lydio lapidi atteratur; tunc enim lineas ſui ſimillimas reddit. Hinc nec attrectantis & numerantis manum inficit ob ſordium carentiam. Quando alteri metallo permiſcetur, cærulei coloris amœniſſimi rubiginem, qualem pictores Ultramarinum vocant, contrahit, & effundere ſolet. Si in aquis acutis, quas Aurifices ad ſeparandum aurum ab argento adhibere ſolent, ponatur, in limum minimè ſolvitur, ſed in particulas inſenſibiles dividitur, quæ ſiccata aqua priſtinæ denuò formæ reuniuntur. Non ita exquiſitè lævigari poteſt, & expoliri ut argentum: perſtant enim ſemper in eo monticuli, & cavitatulæ; inde flavum colorem nunquam deperdit, determinatum ab ea inæqualitate ſuperficiei. Si per bracteolam auri tranſpicias, viriditatem vides; hæc autem ſpecies, & color eſt ob paucos radios, & inordinatè traductos ex objecto per bracteolam ad oculum. Imbibitur usque adeò Mercurio, ut reddatur molle tanquam butirum, & hoc eſt, quod dicunt, *Amalgama*. Vulnera inſtrumentis aureis tractata feliçius curantur, nec aſperantur, quia optimi temperamenti cum

 ſit, ni-

ſit, nihil malignitatis corpori affricat, ob quod præſtantiſſimarum medicinarum compoſitioni adhibetur.

Quæres primo. Quomodo aurum ab extraneis corpuſculis defœcetur? Reſp. Si liquetur cum plumbo, vel ſtibio, ſeu antimonio, quia humor plumbeus dum exhalatur, avehit ſordes ex auro, ut ex cera vel tela humectata ad ſolem evaporatur quidquid inerat ſordium.

Quæres ſecundo. Quomodo aurum ab argenteis laminis ſeparari poſſit? Reſp. *cum Portal. 5. c. 5.* Si Sal amoniacus, Sulphuris dimidia pars tenuiter conterantur, & in aurata pars lamellæ oleo prius illita, hoc pulvere aſperſa, forcipeque prehenſa igni exponatur, futurum ſpondet, ut vaſe calefacto, leviter concuſſo, aurum in pulverem ſolutum in ſubjectæ paropſidis aquam decidat.

Quæres tertio. Quis modus in Peruvia ad purgandum & præparandum aurum adhibeatur? Reſpondeo, hunc ex eruditorum virorum relatu à Patre Ptolomæo diſſ. 5. de Metallis ſequenti deſcriptione exponi: glebam Mineræ minutiſſimis granulis aureis confertam contundunt & atterunt primo in mortariis, infunduntque aquam, ut molliſſima maſſa fiat, quam mox condiunt affuſo ſale & Mercurio; inde exſiccant, iterumque minutiſſime terunt; hinc lotiones plures aqua pura adhibent, quibus abit, quidquid metallum non eſt, & ſupereſt aurum vel argentum amalgamatum, ſeu imbibitum Mercurio; admoto vero igne mediocri evaporetur Mercurius, metallum vero relinquitur quaſi cinis, quod in crucibulis liquefactum mox tandem in virgas ducunt. Dicuntur autem iſta phraſi Chymica ita fieri ad liberandum metallum à matre ſua; aqua enim & ſal adhibentur ad lixiviandum metallicas particulas, Mercurius uſui eſt, ut ſimul coagmentet minutas moleculas, & granula, ne fortè lotionibus repetitis elabantur. Ita ille.

Quæres quarto. Num aurum reddi poſſit potabile? Reſp. Experientiam hoc oſtendere. Nam Clariſſimus Vir Franciſcus Antonius, Londinenſis Medicus in formam mellis redegit, ut probaretur, certas ad præcipuos Germaniæ Medicos doſes miſit. *Joan. Vincent. Finchius in Enchiridio Dogmatico Hermetico.* Major controverſia eſt inter Chymicos recentiores, & Galeni ſectatores, utrum aurum ita poſſit præparari & reddi potabile, ut innoxiè, utiliterque intra corpus ſumatur? Affirmant Chymici, atque ab ejusmodi auro cordis & principalium membrorum vires prorſus miraculoſe inſtaurari, conſervari, augeri, adeoque ætatis vitio deperditum robur reparari, juventutem revocari, vitam denique ad aliquod ſæcula produci ſcriptitant. Ratio potiſſima deſumitur tum ab optimo metalli hujus temperamento, tum ab ipſa experientia, quam experti ſunt ægri reparata valetudine. Refutant vero hos Galeni fautores, quibus ſubſcribit Scal. exercit. 272. Ratio horum eſt primo, quia inter alimenta & corpora nutrienda ſimilitudo quædam eſt neceſſaria, inter aurum vero & corpus noſtrum hæc non exiſtit; corpora enim noſtra ex elementis maximè miſtis ſunt concreta. Elementa enim per varias ac propè infinitas miſtiones infinite alterari, ſubigi ac mutari, priusquam animalium apta fiant materia. Metallorum verò paucæ præceſſerunt miſtiones, & proinde elementa leviter alterata, & mutata in eis exiſtunt. Secundo. Quidquid à calore noſtro vinci, & mutari non poteſt, illud noſtra corpora recreare non poteſt, tale autem videtur eſſe aurum, quia aurum eſt ſolidius & durius, quam ut coctione inſtar alimentorum emolliri & liquari poſſit. Hinc nonnulli, ut Turcæ in caſtris, ſuos nummos ſorbere ſolent, ut eos melius & ſecurius ſervent; illos enim deinde cum fæcibus integros, intactosque egerunt. Ex his duabus opinionibus eam ſelige, quæ tibi probabilior videtur.

Cæterum Patri Honorato Fabri, ſecundæ ſententiæ Patrono, videtur primo, aurum, niſi reſolvatur (ut ait Tract. 7. prop. 44.) nulla virtute medica pollere. Rationem dat, quia virtus medicamenti tota poſita eſt in iis corpuſculis, in quæ medicamentum ipſum reſolvitur, vel in halitu, vel in ſucco expreſſo. Hinc dicit, bracteolas illas, quibus pillulæ medicæ involvi ſolent, per ventriculum & inteſtina intactæ traduci. Secundo. Nec reſolutum vi medica pollere, ſed ſi quid effectus præſtat, id ſalibus & aquis fortibus ad reſolutionem adhiberi ſolitis adſcribendum fore. Unde ſic concludit: Igitur aurum ad rem Medicam quidem ſpectat, non tamen in remedium ægri, ſed in pretium Medici, & nullâ aliâ virtute Medica pollet, niſi quia neceſſarium eſt, tum ad emenda medicamenta, tum ad Medicum ſua mercede donandum.

Quæres quinto. Quid ſit aurum fulminans. Reſpondeo: nihil eſſe aliud, quam pulverem auri tenuiſſimum halinitro commiſtum, qui accenſus fulminis inſtar cum tonitru ruit, cujus cauſa eadē eſt, quæ de fulminibus & tonitru data eſt, quam proinde ibidem videre poteris.

Pro clauſula quæſtionis hujus ſequentia lectu curioſa ſubjungo. In Auguſtiſſimo Sac. Cæſ. Majeſt. Cimeliarchio inter alia rariora naturæ & artis aurum vegetabile inſtar fili contorti è terra prognatum, refertur *à D. Philippo Sachs à Löbenheim Ephem. Germ. Cur. Dec. 10. Obſ. 131.* hoc aurum obryzum à ruſtico quodam, ut loco cit. memoratur, iu fluvio *Tarza* prope pagum

gum ejusdem nominis, quatuor milliaribus à civitate *Eperies*, in ſuperiore Ungaria diſtantem, inventum fuiſſe dicunt. Narrat & *Petrus Martyr in rebus Oceanicis lib. 8. in Inſula Hiſpaniola Americæ* auri feraciſſimas in montibus quibusdam eſſe arbores, habentes vivam auri venam. Scribit & *Iſibordus ab Amelungen in Breviario rer. memorabil. Anno Chr. 1073. quendam* Eckenricum de Dado Witha ex Ungaria reverſum attuliſſe botros aureos, quos, niſi Fridericus Abbas toti Conventui, aliisque oſtendiſſet, pro fabula habuiſſet. *Picus Mirandulanus* refert, ſuis temporibus aurum in ventriculis perdicum fuiſſe inventum. Verum ut benè Kircherus in Mundo Subterran. ait: hoc nil mirum eſſe, quis enim neſcit gallinas, perdices, anates, ſimilesque volucres nil magis appetere, quam metallica corpora. *Acoſta lib. 4. c. 4.* memorat: indigenas in Peru ob auri abundantiam vaſis aureis, trullis, pateris, cyathis, lagenis, & hydris prægrandibus etiam minimè contentos, ſellas etiam & vehicula integra ex auro fabricari curaſſe, idolorum ſimulacra ex puro & obryzo auro feciſſe. *Pizzarus* quoque poſtquam *Atabalipam* ſuperaſſet, dicitur tantum in gazophylaceo Regis auri inveniſſe, ut inter laminarum aut earum longo ordine per ſtrues diſpoſitarum congeriem ad earum altitudinem vix gladio extento pertingere poſſet, jumentorum ungulis non ferreas, ſed aureas ſoleas ſubderent. *Ortelius in Theat. Orb. ad Gabr. Peru* memorat: *Atabalipam* Hiſpanis pro ſua redemptione obtuliſſe tantum auri, quantum locus, pro ipſe captivus detinebatur, capere poſſet. Erat autem hic viginti duos pedes longus, 17. latus; hunc implere promittebat in eam altitudinem, quam ipſe erecto brachio, ejusque ultimo digito pertingere poſſet. Aſſerit *Majolus in Colloq. in Colao* Provincia domus auro contegi, aureis filis velut paleæ contectis, ſed omnes domus, ut inquit, in hoc genere præcellit illa, quæ in inſula fluminis ibi ædificata eſt, cujus trabes, tecta, pavimentum, & muri aureis laminis tegebantur. Numerabantur in eadem urbe viginti domus, quarum quæque interius auro tecta viſebatur. Erat vero ipſius Atabalipæ Regis Theſaurus ingens, adeo ut tres domus aureæ glebæ maſſæque rudis impleverint. Numerabantur etiam in aliis quinque domibus centies mille auri laminæ, quarum ſingulæ quinquaginta aureis æſtimatæ. *Fournier Geogr. lib. 7. c. 1.* Fodinas in Hiſpania numerat prope 500. ex quibus Phœnices tantam aliquando copiam argenti exportarunt, ut cum navibus onuſtis adhuc ſupereſſet, anchoras ex ipſo conflaverint. Xerxes platanum auream habebat, ſub qua conſueverat ſedere. Rex quidam Ægyti filiæ cadaver in Vaccam deauratam condidit. *Agricola in Obſervat. Metallicis.*

# CONCLUSIO POLITICA.
## Sine labore nihil.

PRetioſa latent, & obvio ſe ſubtrahunt oculo, ut in eorum pretium inquirat induſtria. Non in plateis vel foro aut compitis, ſed alta ſub tellure ſepultæ minerales ſe pandunt venæ. In petroſam glebam, & vulgares lapides pes ultro offendit, *at opus eſt indagine longa*, ut manus aurum apprehendat. Eruenda eſt terra, perforanda telluris viſcera, deſcendendum ad inhoſpitales inferni orbis ſinus, ligonibus & ſarculis ſcrutandum diu, donec aurea detegatur vena. *Rebus maximis difficultatem ipſa natura propoſuit*, inquit Cicero. Quo fit, *ut non ſolum ars, ſed virtus etiam in eo potiſſimum verſetur, quod eſt difficillimum*, teſte Ariſtotele. Ad auream honoris & gloriæ venam non patet via, niſi per alios laborum cuniculos. Nihil enim præclarum niſi arduum, nil pretioſum, niſi ſudore partum, nil & animo ſalutare, quod corpori non videatur amarum. Armat ſpina roſas, mella tegunt apes. Claud. *Circa virtutes labor, ſumptusque*, ut loquitur Pindarus, *perpetuo implicatur, ut opus difficultate obtectum aſſequare.* *Pindarus in Olympiis.* Ad pulchra & honeſta facinora laborioſæ duntaxat curæ ſternunt aditum. Quisquis ad publica honoris aſpirat munia, ſeveri Cæſaris aſſumat Teſſeram oportet: *laboremus.* Sine exhauſto inter vulnera martiali pulvere, non coronatur palma & laureis Heroum caſſis. Quod facile ſuperatur, non laudis, ſed contemptus materiam præbet. Solus labor gloriæ verus Pater eſt. *Reuſner. in Symb. Impp.* Jam communi circumfertur adagio: *Per ardua virtus*, ut eleganter deſcripſit Poëta:


*Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni*
*Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.*
*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,*
*Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert,*
*Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.*

Minerva fingebatur ab antiquis armata, ut annuerent ſcientiæ lauream apprehendi à nemine, niſi acriter diſceptante. Eidem artium & armorum Præſidi templa in præruptis erigebantur

bantur collibus, ut docerent ſcientiarum & armorum gloriam in arduo eſſe ſitam, & in magnis tantum animis habitare, ad labores ignavis omnem viam eſſe interclusſam. Nempe

*Horatius* *Virtutem poſuere Dii ſudore parandam.*

80.




Novit hoc Maximinus Imperator, dum Tribunis, eum à nimia laborum aſſiduitate dehortantibus, præclare reſpondit: *Ego quo major fuero, hoc magis laborabo.* Novit hoc Trajanus, de quo teſtatur Plinius: *aſſumptus es in laborum, curarumque conſortium, nec te læta, & proſpera ſtationis iſtius, ſed aſpera & dura ad capeſſendam eam compulerunt.* Novit hoc Theodoſius, quem ita Panegyricus alloquitur: *ut indefeſſa vertigo cœlum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, & ſtare ſol neſcit; ita tu Imperator continuatis negotiis, & in ſe quodam orbe redeuntibus ſemper exercitus es.* Scilicet etiam Principes ad labores publicos juramento, quo ſe bono publico obſtrinxerunt, conducti ſervi ſunt. Ipſi coronæ quoque inſunt curarum aculei, quibus geſtientis verticem ad ſubditorum quærenda commoda identidem ſtimulant. Mutuis ſe ſuſtentant laborum auxiliis Magnates & ſubditi, hi manuum, illi cerebri induſtria. Nec deterreat laborum moles, labor enim omnia vincit improbus. *Nihilque tam altè natura conſtituit, quo virtus non poſſit eniti.* Et quamquam, ut monet Fabius, *non tentanda ſint ea, quæ effici omnino non poſſunt. Tamen laus eſt interdum, velle, quod non poſſis,* ut habet ſymbolum Fl. Claudii Conſtantini Cæſaris. In magnis voluiſſe ſat eſt, velle virtute præditum eſſe. Ut enim meditari punienda ad pœnam ſufficit, ſic ad laudem ſatis eſt conari prædicanda. *Magnarum rerum etſi ſucceſſus non fuerit, honeſtus ipſe conatus eſt,* teſte Seneca. Ita tamen animum & humeros ſubjice, ut te premi, non opprimi ſentias. *Interpone tuis quandoque gaudia curis,* vetus adagium eſt. Nam

*Plinius. Paneg. Pacat. Paneg. Curtius. Renſner. in Symb. Impp. Seneca.*

*Ovid. Ep. 4.* *Quod caret alterna requie durabile non eſt.*

Ex ipſo interpoſito otio, dum tollit faſtidium, major ad labores naſcitur alacritas juxta illud: Major poſt otia virtus. Moderatis laboribus adjuvatur animus, immoderatis obruitur.

QUÆ.

# QUÆSTIO XI.

## *De Argento & Mercurio, ſive Argento vivo.*

CONcluſio prima. Argentum eſt Metallum purum ex argento vivo, claro, albicante, & ex ſulphure fere fixo, puro, genitum. Hinc ejus natura frigida eſt & humida, varias illi figuras Natura tribuit. Interdum capillorum, virgultarum, arborum, piſcium, ſerpentum integrorum, ſcorpionum, nonnunquam globi quaſi filis candidis, & rubris involuti, vel aliarum rerum ſpeciem præſefert. In generatione ſua plus de argento vivo, quam de Sulphure participiat, quoniam illius colorem repræſentat, & dum liqueſcit, omnia fere ejus accidentia in ſe continet. Non enim liqueſcit, nec diffunditur ut aqua & oleum, nec tangenti adhæret, quæ ſunt conditiones argenti vivi. Hinc etiam fit, ut non ſit tam ponderoſum, & grave ſicut eſt aurum; unde liquefactum cum auro & plumbo, illis non ſecus ac oleum ſupernatat. Quod autem quædam Sulphuris portio ad argenti procreationem concurrat, ex eo colligitur, quia odor ſulphureus & gravis ferit nares, quando argentum depuratur & conflatur.

Concluſio ſecunda. Hujus metalli naturalis mixtio non eſt perfecta & abſoluta, ſicut auri. Unde igni, ſicut aurum non reſiſtit, ſed cúm funditur, ſemper aliquid ex eo deperit. Immenſum etiam illius depuratio laborem requirit, cum non ita purum è fodinis, ut aurum, colligi ſoleat, verùm terra & ſordibus valde permixtum. Facilius etiam ſentit corroſionem, quam aurum. Nec tam ſinceri manent liquores diutius ſtantes in vaſis argenteis, quam aureis, ſed fiunt quodammodo venenati tum odore, tum ſapore, præſertim ſi ſint liquores acidi. Purificatum malleo quidem dilatatur, ſed minus quam aurum, cum majorem duritiem & craſſitiem habeat. Manus collybo & lineis nigris inficit, quod ab impuritate metalli provenit. Magis cupro, quam aliis metallis ſociatur, imo in excoquendo ab eodem ad majorem puritatem evehitur. Refugit è contra commiſceri cum ſulphure, ſtanno & ferro. Maxime elaſticum eſt, & acute ſonat propter poros majores, quam in auro.

Concluſio tertia. Argentum reperitur in fodinis, & inter montium viſcera perficitur. Concreſcit plerumque in lapide cinerei vel griſei coloris, præterquam in duro quodam lapide non abſimili Tyburtino. Charius illud eſt, quod invenitur in lapide candido & plumbeo, tale enim facile à terreſtribus fæcibus purgatur. Plumbum nigrum ſeu cinereum ſignum eſt latentis argenti venæ ob amicam affinitatem, generatur enim plumbum ex halitu craſſiori plus humoris, minus ignis, & fere tantundem terræ continente; argentum vero puriore halitûs portione conſtat & plus de igne, minusque de humore participat, terram etiam probe diviſam vel præparatam habet. Reperiri etiam ſolet ſociatum Marcaſitis, ſeu pyridibus, qui quo magis ad aureum colorem accedunt, minus argenti ſpondent, ſecus ſi ad candidum. Ex Snebergenſi fodina in Germania tantum eſt extractum, quantum vicies centena aureorum Rhenanorum valerent millia. *Jonſton. Admir. Foſſil. c. 27.* Fribergenſis ante aliquot centenos annos tantum argenti ſuppeditavit, quantum Bohemiæ regnum empturo ſuffeciſſet. *Agric. in præfat. in decem foſſil. libros ad Henricum Principem Miſenæ.* Unde hic Princeps grandem ex argento prope Northuſam ſtatuit arborem, ut eorum foliis (pars horum aurea, pars argentea) nobiles, qui feliciter in equeſtri certaſſent certamine, donaret. Amplectitur metallum hoc quandoque lapidem tenuiſſimis bracteis; aliquando vero & grandes de hoc maſſæ eruuntur. Tempore Alb. Saxonis Snebergi tanta effoſſa fuit, ut ea loco menſæ in fodina uſus fuerit, dicens: *Fridericus Imperator potens & dives eſt, hodie tamen ejusmodi menſam non habet.*

Concluſio quarta. Varia ex eo opera tum naturæ, tum artis induſtriâ conficiuntur. Ex puro puto argento in viſceribus terræ formatam iconem Chriſti Domini Crucifixi cum Virginis Matris effigie repertam fuiſſe, teſtatur Oſvvaldus Grembs in Arbor. homin. l. 1. c. 7. ſec. 5. §. 18. ſic & Agricola lib. 10. de nat. foſſil. inter alia memorat, *Vidimus*, inquit, parvam viri ſtatuam, qui infantem humeris ſuis ſuſtinebat, ex argento á natura factam, non ab arte effictam. Ea quondam Schonbergæ ex celeberrima argenti fodina effoſſa fuit. Copioſior vero artis labor eſt. Apud Tectoſagas molæ argenteæ fabrefactæ ſunt inventæ Clypeum Barchini Aſtrubalis argenteum, pondo centum triginta octo fuiſſe narrat *cit. Jonſton.* Caſpar Baldus maxima vaſa ex argento apud Indos obſervavit, ex quibus Elephantorū pedes lavabant in aula Regis. Pariter in regia Soteris Antiochi omnia coquinæ inſtrumenta argentea fuiſſe dicuntur, ſicut & in Hiſpania Tuditana præſepia argentea notat *Strabo.* Ex eodem metallo facta Paſſionis Hiſtoria, & duodecim Herculis labores ad Regem Ferdinandum delati; ſic & Carolo Imperatori columnam ex materia hoc conflatam ipſe è Mexico advexit Carteſius. Pretium ad quadraginta novem

novem aureorum millia computabatur. *Majolus de Metallis coll. 19.* His merito pro clauſula primæ partis quæſt. addenda auri & argenti à Davide pro templi fabrica congeſta, nempe centum octo millia talentorum auri; argenti vero decies centena millia, & ſeptendecim millia talentorum quæ ſumma juxta Romanum computum conficient, teſte Baron. in Nat. Mirac. area 12. §. 4. auri ſcilicet ſexcentos tres milliones aureorum, inſuper octingenta duodecim millia trecentos ſexaginta quinque; argenti vero mille ducentos octo milliones, centum nonaginta ſex millia aureorum.

Concluſio quarta. Argentum vivum latinis ob mobilitatem, hydrargyrum Græcis quaſi aqueum argentum ob fluiditatem dicitur. Bene deſcribitur *à Kirchero in Mund. ſubterr. & Arte Magn.* quod ſit liquor mineralis ex aqua metallica viſcidus, terreus, ſulphure exactè contemperatus, ſpirituoſus, frigidus, humidus, albus in manifeſto: calidus vero, ſiccus, rubeus, & omnicolor in occulto, penetrat metalla, quibus adhæret intime, eaque reſolvit. Unde à Plinio dicitur rerum omnium venenum, ab aliis vero metallorum Tyrannus, ob quam cauſam vaſis vitreis ſecurius, quam metallinis includitur. Quemadmodum enim aqua chartam, quam humectat, attenuato glutine diſſolvit, ita Mercurius corporum metallicorum nexum. Mirus eſt etiam ejus ad aurum acceſſus; nam ſi ſuppoſito igne ille permittatur avolare, & in propinquo ſit quippiam auri, licet arcâ occluſum, Mercurius, qui ſublimatur, non abit rectâ in auras, ſed divertit ad aurum repoſitum, ſeſeque in illud inſinuat. Graviſſimum omnium eſt poſt aurum, cùm omnia reliqua metalla eidem haud ſecus quam ſubereus cortex aquæ innatare ſoleant. Ratio autem hujus eſt, quia multâ terrâ conſtat, multoque humore, ex quo una & ejus liquiditas colligitur. Non humectat tamen, etſi manu tractetur; quia licet illi multus inſit humor, illæ tamen particulæ adeo terreis implexæ ſunt, ut ab iis ſeparari non poſſint; nigrum tamen veluti ſqualorem egerit, unde vaſa quandoque humida redduntur; & veluti velo quodam obducitur ejus ſuperficies, qua amotâ ſplendet maxime. Perpetua quoque illi mobilitas, quia multum aërei ſpiritus includit, qui parte terrea optime excocta ita detinetur captivus, ut avolare non poſſit, inde motus. Hinc annulo reconditum & admotum ſaltare ipſum facit. Idem contingit, ſi vel Mercurij guttula panem in clibano, aut ipſa in olla vel ova ad ignem attingat.

His proprietatibus & ſequentes adjici poſſunt. Mercurius auro commixtus inſtar ceræ mollem facit maſſam, qua illitæ prius laminæ inaurandæ ignis ope aurum ita iis unitur, ut vix ulla arte amplius ſeparari poſſit; ipſe enim ubi ignem ſentit, mox in auras exſpirat halituoſo fumo, qui ſi vaſe recipiatur & cuſtodiatur, in priorem argenti paulo poſt redit ſpeciem, nec quicquam priſtini detrahitur ponderis. Miros pariter colores exhibet, dum flammæ admovetur. Obſervatum etiam, quod ſi vitreo, vel lapideo vaſe coarctetur, ita ut admoto igne reſpirare non valeat, vas perfringat inſtar pulveris pyrei. Frigidus tamen natura ſua eſt potius quam calidus, ut bene docet Honoratus Fabri, cum nullo igne, ſed ſubtili humore conſtet. Et etſi ſublimatum vi corroſiva polleat, hoc tamen non Mercurio, ſed admixtis corpuſculis attribui debet. Quod confirmat *Mathiolus l. 6. c. 28.* exemplo febricitantis Seplaſiarij, qui ſitim ſibi volens exſtinguere, incautus Mercurium bibit, & paucas poſt horas ſanguine in præcordiis congelato interiit. Mauri etiam, cùm ardore ſolis omnia torrentur, id in lectum effundunt, atque injecto corio ſuper ipſum ſtrati ſe refrigerant. *Jonſtonus.*

Quæres. Utrum Mercurius aliquo modo ſit incorruptibilis? Reſpondeo affirmative cum P. Honorato Fabri tract. 11. l. 2. de metallis, nam licet mixtus vitriolo & ſale communi ſublimetur in ſpumam albam, quæ eſt antonomaſticè ſublimatum efficax venenum, & maximè corroſivum; ipſum tamen ſublimatum admixtum calci vivæ, & inditum retortæ, ad priſtinum ſtatum Mercurij reſtituitur. Pariter hoc contingit, ſi præcipitetur Mercurius mixtus oleo Vitrioli, affuſo enim ſale Tartari ſoluto per deliquium, ut vocant, redit rurſus in merum Mercurium. Hinc colliges, quid ſentiendum de eo, quod ſcribit *Picus Mirandulanus*, ſua ætate contigiſſe, nempe quod argentum vivum cum plerisque aliis rebus pro equi medicina permixtum, in purum argentum fuerit transmutatum.

Concluſio quinta. Uſus ejus varius eſt. Aqua, in quam argenti vivi infuſa fuerit portio, ſi ab eo cælaba bibatur, lumbricos mirificè pellit. *Jonſtonus.* Avellanæ per foramen immiſſum & occluſum, ſericoque rubeo à collo ſuſpenſum à peſte præſervat. *Quercetan. l. 2. peſti. alex. c. 5.* ſi vero appenſa ventrem tangat, ad curationem colicæ ſingulariter conſerre ſcribit. *Plater. de Dol. cap. 13.* valet vero præſertim contra luem veneream, quod ſcilicet laxet meatus, quibus deinde cum pituita, ſeu phlegmate lues illa erumpit. Mirum eſt, quod Lemnius l. 2. de occult. cap. 35. refert: morbo Gallico infectus, ſi aureum in ore geſtet annulum, linguaq; hinc inde volutet, argentum vivum, quod corpori innatat, in annulum devolvitur, argenteus eximitur, nitet, ſi igni admotus fuerit. Obſervandum tamen Mercurium & venenum humano corpori eſſe, ſi ei in notabili quantitate imittatur, non quidem ſuo pondere, ut quidam

cenſent

cenſent, nam illo potius egeſtionem ſolicitat, ſed quia purus ille humor ſanguini admixtus calorem nativum exſtinguit. Hinc etiam eos, qui frequenter mercurium tractant, ejusque exſpirationem attrahunt, corripi paralliyſi animadverſum eſt. Experiuntur & foſſores Mercurii, ſibi tremere inde dentes, vires minui adeo, ut ultra quatuor annos vix quisquam in foſſis incolumis perduret, facile ſiquidem ſuo halitu interiora corripit & conſumit. Unde Fribergæ in Miſniæ civitate ſæpe in metallicorum pulmonibus argentum vivum inventum eſt Narrat. *Cardanus de ſubt.* in oſſe calvariæ mulieris ex capitis dolore mortuæ inventum argentum vivum pondere duarum unciarum, rationem addit, quia nempe colligebatur ſenſim in cerebro, cum quotidie fuco uteretur ob humidum, quod ſicco cogitur.

Quæres primo. Quonam in loco reperiatur Mercurius? Reſp. Purum in lacunis inveniri vult *Jonſtonus*, cum aquæ, quibus venæ ſtillant, minimum madefecerint. Eo enim modo cogit, & in argentum vivum vertitur. In monte Gimnavada ſex à Cracovia milliaribus ſponte certis anni temporibus ad terræ erumpit ſuperficiem, & circa Joannis Baptiſtæ feſtum multa illius grana piſorum inſtar in radicibus graminum ſe collegiſſe teſtatur *Tyrocinij Chymici Author l. 2. c. 3.* Cæterum communiter ejus venam, ut *Vitruvius l. 8. c. 3.* obſervat, uberrimi inde ſcaturientes fontes produnt, ac præterea herboſo virent ceſpite. Hinc ejus venam inquirentes mane Menſis Maji ſereno, nebulas è cacumine montium aſcendentes, ac in modum lunæ ſuper ceſpitem diffuſas animadvertunt.

Quæres ſecundo. Num Cinnaberis fiat ex Mercurio. Reſp. affirmative: nam ſicut ex foſſili Minio Mercurius ſtillat, ita ex Mercurio alterum illud genus Minij, id eſt, Cinnaberis evadit accedente, ſulphuris admixtione, quam rubeus color conſequitur. Analogiam hujus ſanguis exhibet, qui perçolationis operâ in lac candidiſſimum convertitur.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Ærarium non patiatur vacuum.

ECcleſiaſtis gnoma eſt: *Pecuniæ obediunt omnia.* Latiſſimum exercet imperium, quod & ſervis & dominis, amicis ac hoſtibus æque commune eſt. Non imperantis ſceptri juſſa in pretio ſunt, hoc pretio deſtituta. Dando & imperando res bene progreditur. Ad numorum cumulum accumulantur omnia fortunæ dona. Dilucide Horatius: *Eccleſ. 10.*

*Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris* *Horatius*
*Divitiis parent, quas, qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam Rex,*
*Et quidquid volet.*

In pretio nempe pretium eſt ut M. Didij Juliani Symbolum habet, vel ut Ovidius canit: *in pretio pretium eſt, dant cenſus honores, cenſus amicitias, pauper ubique jacet.* Hoc atramento Minervæ calamus imbuitur, hacque cote Mavortis enſis acuitur. Et lex, & fides, amicitiæ & fœdera, Triumphi & victoriæ aurum ſequuntur. *Munimentum regnorum eſt ærarium, quod, cum expugnarunt hoſtes, in triumphum etiam Reges ducuntur, ut ait Th. Weiſſ.* Aureum nunc merc ſæculum eſt. Nihil in hoſtem ferrum efficit, ubi argenteæ deſunt haſtæ. Hinc Philippus Macedonum Rex, Plutarcho referente, dicere ſolebat: *Argenteis haſtis pugna, & vinces.* Stratagema optimum, quod non tam è cerebro, quam marſupio depromitur. *Nervus* ſcilicet *belli*, ut Pindarus loquitur, *pecunia eſt.* Hæc in ſenatu cudit conſilia, in arena animat militem, & gregarii æque ac Ducis dexteram pugnacem reddit. Virtutes hujus Dominatricis optime expreſſit ille, qui tormentum bellicum effigiavit, è quo ingens nummorum copia imbris inſtar in turrim hoſtilem ejaculabatur cum adjecto lemmate: *Nulla vis contra.* Nullum enim tam potens præſidium, quod aureo hoc admotò ariete proſterni non valeat. *Quæ nequeunt armis capi* (verba Antonij Meliſſæi ſunt) *facile expugnantur auro, nihil non ſubjicitur argento:* Et Horatius: *Ovid. l. 1. faſtid.* *Th. Weiſſ* *Plut.* *Pindar.* *Ant. in Meliſſ. ſerm. 34.*

*Aurum per medios ire ſatellites,*
*Et perrumpere amat ſaxa, potentius*
*Ictu fulmineo.*

Illa acies omnium potentiſſima, quæ non tam ferro, quàm auro eſt armata. Habe pugillum aureum, & franges murum ferreum. Numera militi liberaliter ſtipendia, & de hoſte numerabis victorias. *Imperia pretio quolibet conſtant bene.* Seneca. Sic & Dion, duo eſſe dicit, quæ principatus comparent, ſervent, augeant: *milites nempe & pecuniam.* Non latebat hoc Veſpaſia- *Seneca in Thebaide.*

*Reuſner. in Symb. Impp.* ſpaſianum Cæſarem, qui idcirco pecuniæ, quâ ditaret ærarium, undequaque conquirendæ adeo ſtudioſus fuiſſe perhibetur, ut ex omni occaſione lucrum ſit ſectatus aſſerens: *lucri bonus odor ex re qualibet quærendus.* Dant pondera horologio vires; dat ærarium Reipublicæ vitam;

81.




*Dion. l. 41.* Hoc ſi deſit, deſunt omnia; ut huic merito inſcriptum ſit: *ſine me nihil.* Non tamen nimio ſtudio congreganda eſt viro publico moneta. *Pecuniam in loco negligere; maximum interdum eſt lucrum.* *Terentius* Terentius. Turpe omnino pro ſpongiis vulgo uti. Non lucrum, ſed damnum appellandum eſt, cum mala fama implere ciſtas. Plus invidiæ, quam virium addit pecunia acerbè conquiſita. *Princeps*, inquit Curtius, *ſe Regem eſſe, non mercatorem meminerit.* Plerumque his omnia deſunt, qui omnia in lucrum ſibi verti cupiunt. *Ariſt. in Rhetoricis* *Divitem eſſe magis in uſu, quam in poſſeſſione conſiſtit*, teſtatur Philoſophorum Princeps. Moderatè igitur æs congregandum eſt, minimè vero ſepeliendum; metallum abſconditum infeſtatur ærugine & ſplendorem perdit. Uſu, ſi careat Moneta, pretium amittit. Impoſita hæc ærario eſt, ut rurſus ad bonum publicum expendatur. *Cic. l. 2. de Offic.* *Nullum vitium deterius eſt avaritia, præſertim in Principibus & Reipublicæ gubernatoribus.* Tullius. Nulli hi boni ſunt, ſibi vero peſſimi. Bona imperante liberaliter animo fiet pecunia. Sibi æs, non ſe æri ſubmittit Politicus. Pecuniæ enim imperare, non ſervire convenit. Magnarum ſunt virium divitiæ cum recto uſu conjunctæ. Bonum Cuſtodem, ſed non adminiſtratorem opum dixeris; qui nil domi aut foris liberale aut egregium facit. Hujus divitias non malè Iſocrates arboribus in præruptis ſaxis naſcentibus comparavit, quæ non hominum uſibus, ſed corvis & vermibus ſervirent. Unde

*Horatius.*

*Non poſſidentem multa vocaveris*
*Rectè beatum, rectius occupat*
*Nomen Beati, qui Deorum*
*Muneribus ſapienter uti*
*Scilicet noverit.*

QUÆ-

# QUÆSTIO XII.

## *De Stanno, Plumbo, & Orichalco.*

Concluſio prima. Stannum eſt metallum album, ex multo neque ita puro argento vivo, extrinſecus albo, intrinſecus autem rubeo, & ex ſulphure impuro, non bene digeſto genitum. Alij vocant metallum medium, argentum inter & plumbum, quatenus concreſcit ex iis miſcibilibus, quorum pars purior, ſi ſecerneretur, abiret in argentum, craſſior vero in plumbum, unde metallum ſpurium eſt ex gemini metalli ſemine progenitum: quia tamen plus de plumbo participat, quam de argento, appellatur ab aliis plumbum candidum.

Concluſio ſecunda. Variæ hujus proprietates ſunt. Leviſſimum eſt metallorum propter laxos poros, vel ut nonnullis placet, propter halitum ſiccum & ſulphureum inibi dominantem, ob quam rationem etiam ſtridulus ſonus oriri creditur. Tenuibus partibus conſtat, ut facilè magnam molem æris pervagari poſſet; unde fit, ut exigua admodum pars æri admixta, album inducat colorem. Hinc pariter optime ferruminat metalla, quia ſubit in eorum poros. Ab ære æruginem prohibet clauſis ejus poris; & quod mirabilius, vaſa ænea licet maxima, ſi ſtanno obducantur, non magis ponderant, quàm ſine ſtanno, ratio autem hujus dari poteſt, quia tantundem humoris ex poris extruditur, quantum ſtanni intruditur. Habet & illud, quod cacabis æreis, in ciborum coctúram adhibendis, illitum, eos ab igne defendat, licet enim æris ferrique natura duriſſima, ſolius tamen ſtanni vicinia defenduntur, ne igni cedant; nam meatus occludit igneis particulis. Niſi tamen plumbo admiſceatur, nullius erit uſui, plumbum enim humore ſuo ſtanni ſiccitatem temperat. Spiritus nitri ſtanno infuſus vehementiſſimam & ſubitam creat ebullitionem, ut ſtannum carbo videatur. Gravius calcinatum eſt, quam non calcinatum propter extraneas accedentes particulas, multus enim illi humor accedit, unde tandem in plumbum per calcinationem degenerat, plumbo enim plus humoris ineſt, per quem pondus creſcit. Britannicum Germanico perfectius eſt, utpote durius, longius enim a plumbo recedit.

Quæres primo. Cur nunquam rubiginem contrahat? Reſp. Rationem eſſe, quia hac ut inficeretur, plus de igne interno requireretur, rubigo enim velut fuligo eſt, quæ multum ignem ſupponit, ut docet *P. Honoratus Fabri tract. 7. lib. 2. de metallis.*

Quæres ſecundo. Quam affinitatem cum reliquis metallis habeat? Reſp. mixtum metallis ea fragilia reddere ex ductilibus, quia intermiſcetur eorum particulis, quas proinde minores reddit. Similiter affuſum metallis liquidis, immixtisque, illa ſeparat, ut ſibi ſeorſim conjungat, quod rurſus referri poteſt in aptitudinem ſtanni, ut in reliquorum poros ſubeat.

Concluſio tertia. Plumbum eſt metallum à plurimo craſſo & minus puro argento vivo, & pauciore fæculento & adurente ſulphure procreatum. Unde multus illi humor & ſuperfluum phlegma ineſt, multaque terra conſtat. Ipſæ ſcoriæ & fæces, quæ relinquuntur, quando liquatur, ſat arguunt maximum hujus metalli cruditatem, & imperfectam concoctionem. Unde etiam non ſuſtinet ignem ut aurum, ſed facillimè ob multum etiam humorem liqueſcit, & ab igne abſumptum, ſi diutius in eo maneat, in cineres redigitur; quare omnium Metallorum molliſſimum eſt. Majoribus conſtat poris, quos ſi aër occuparet, & non craſſus humor, foret leviſſimum. Propter ſuum humorem frigidæ eſt & adſtringentis naturæ, unde ſuperimpoſitum capiti calvitiem inducit, eo quod poros capitis obſtruat, ut ſuccus alimentitius, nutriendis pilis neceſſarius, ſubire non poſſit. Hinc & mortaria atque piſtilli ex eo confici ſolent, in quibus ſi terantur liquores, qui ex utriusque oriuntur mixtura, frigidiores fiunt. Ob eandem cauſam utiliter admovetur renibus, ut caſtitati conſulctur. Ita Calvus Orator, ut teſtatur Plinius, cohibuit libidinem, ut vires corporis ſtudiorum labori cuſtodiret. Idem & antiquis Athletis, ut inquit P. Honoratus Fabri, ad ſervandas integras vires ſolemne fuit. Muſici quoque illud pectori impoſuerunt ad melius cantica decantanda, quos, ut dulcius canerct, imitatus eſt Nero. *Suetonius in Nerone.* Verum non ſolum voci, ſed & ſtomacho, & pulmonibus conducibile eſt, cum humectet, & dulci ſuo refrigerio pulmones reſtauret. Vulnera pariter exſiccat, non quidem humorem extrahendo, ſed obſtruendo poros ſuo frigore, ſimulque inflammationem partis læſæ extinguendo.

His merito & ſequentes annumerandæ ſunt qualitates. Primò obtuſiorem ſonum reddit plumbum, quocirca etiam mutum metallum vocari conſuevit; quod in illo humor prævaleat, & partes habeat non multum implicatas. Secundo liqueſcit, ſed nunquam accenditur propter abundantiam humoris. Analogia eſt in aqua, quæ licet ferventiſſima ſit, nunquam tamen inflammatur. Unde etiam charta plumbo liquato injecta, uti & ſulphur & pulvis

pyrius non accenduntur. Si ſucco malvæ aut Mercurialis manus oblinas, inoffenſe tractare licebit liquatum, modò id celeri motu perficiatur. *Lemn. l. 2. de occult. cap. 34.* Tertio. Cum argentum & æs ſint metalla arida, ſi plumbum iis admiſceatur, fit, ut æqualitas plumbi illorum ariditati juncta lentore ſuo aquoſo eadem impinguet, & facilius fluere faciat. Quarto. Vas plumbeum aquâ plenum ad focum ſuccenſum non diſſolvitur, nam aqua obſtructos retinet plumbi poros, ut tranſire nequeant ſpiritus ignei. Quinto. Quod ſi vehementer baculo agitetur liquatum plumbum, evadit pulvis tenuiſſimus niger ad horologia arenaria idoneum; quemadmodum enim agitatione lactis butyrum concreſcit, quia humor aqueus exhalatur, ex eadem ratione comminuitur minutiſſime, & quaſi friatur plumbum.

Quæres primo. Utrum plumbum ſub aëre humido diu aſſervatum creſcat? Reſpondeo: dubiam eſſe Authorum opinionem, affirmant quidam, negant alij. P. Honoratus Fabri admittit quidem, pondus augeri, ſed non propterea plumbum creſcere, refundi enim hoc aptè poteſt in acceſſionem novi humoris. Probabile tamen etiam eſt ex acceſſu volatilis ad fixum generari novas plumbi particulas, cùm aliunde conſtet expoſitam glebam nitream aëri nitrum recuperare; ſic etiam alumen, & caput mortuum vitrioli. Obſervat & Boyles duas uncias vitrioli calcinatas poſt ſex menſes excreviſſe ultra decimam partem. Confirmat hoc experientiâ Jonſtonus de Admir. Foſſ. c. 30. Plumbea enim (inquit) ſtatuarum vincula, quibus earum annectuntur pedes, ſæpe numero creviſſe viſum eſt, & quædam adeo intumuiſſe, ut ex lapidibus dependerint cryſtalli modo.

Quæres ſecundo. Utrum plumbum per frequentem lotionem mutetur in ſtannum, vel ſucceſſu temporis in argentum, præſertim laminæ illæ, quibus turres & tecta ſternuntur. Reſpondeo: utrumque fabulam eſſe, nemo enim hactenus per ſimplicem lotionem id efficere potuit. Secundum pariter nullâ experientiâ conſtat; hoc verum eſt, laminas illas paulo duriores fieri ob diminutionem humoris, quam ſolis calor cauſat, neque tamen ideo adhuc in argentum abiere.

Quæres tertio. Quid ſit Plumbago? Reſpondeo: eſſe venam plumbi, ſeu materiam ex vena eductam. Occaſione hujus obſerva, fodinam plumbi aliquando argentum mixtum habere, interdum ſtannum, aliquando etiam neutrum, juxta diverſam nempe halituum diſpoſitionem, & terræ affectionem. In locis etiam frigidis frequentiores hæ fodinæ ſunt, unde metallo hoc Europa abundat, illo vero deſtituitur India.

# CONCLUSIO POLITICA.

## Ad æquitatis trutinam expendenda ſunt ſingula.

*Cic. l. 3. Offic.* IN limine vides, ad eam me tendere æquitatis virtutem, quæ dat *cuique ſuum.* Eſt hæc *Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.* Sciſcitaris ex me, qua civitate ſecuriſſimum habitari, cujus gentis uſu fideliſſimè ſtari poſſit? Leonis Eu-*Plutarch.* ricraditis apophthegmate tibi obvio: *ubi Juſtitia viget.* Principalis benè moratæ urbis, optimeque inſtructi Politici qualitas, æqualitas eſt. Sub gemino juſtitiæ ſcuto, ex ejus lancibus confecto, conſiſtit tuto Reſpublica, ubi ſecundum meritorum pondus vel attolluntur lances, vel deprimuntur, ibi ſecundum cœli regulam regitur: nam & Numen omnia fecit in pondere & menſura. Conſtitutus ergo es ſequeſter juris, æqui bonique arbiter, Hymenæus juſtitiæ? ſta in centro circuli; neſcias dextram & ſiniſtram, parallelis lineis in omnes pariter derivare, prout jus exigit, & merita repoſcunt. Bonus ſagittarius ad metam tela mittit, nec dextrorſum, nec levorſum collimat. Hoc tibi præfigas album operum tuorum, ut non cognationem, non utilitatem, non familiaritatem reſpicias, ſed nitido, pertinacique intuitu, velut in ſolem aquila, in lingulam juſtitiæ intuearis. Habet autem id æquitatis Sol, ut ad ſingula Zodiaci ſigna ex æquo divertat, equosque ſuos, pede nunquam exorbitante, media linea ecliptica diri-*Plutarch. l. de doct. Princ.* gat. Nemo Solem adoraret; ſi, quos in univerſos projicit oculos, clanculario uni alterive magis minúsve impenderet, cùm ſit omnibus natus. Univerſaliſſima virtus Juſtitia eſt, virtutum Sol: *ſine qua Principatum ipſum gerere, ne Jovem ipſum poſſe,* dixit Plutarchus: vel à fœmina diſcere poſſumus: Hildegardis Philippo Flandriæ Comiti ſic ad aures accinuit: *Attende, O fili Dei, ut puro oculo juſtitiæ in Deum, velut aquila in Solem, aſpicias; & ut abſque proprietate judicia tua juſta ſint.* Regiam ſtatuam fabricaturus ſculptor, regulas artis ſequitur, non quæ amicus ſculpendi ignarus ſuggerit: Juſtitiæ Adminiſter leges æquitatis in conſilium trahit, cætera ſurdus ad partiales affectus, quia perſonarum acceptionem ignorat. Horologij index judex eſt, notas omnes per intervalla viſitat, nulli magis adhæret. Sceptrum regni ſic indicis loco habeat; non

fulmen

fulmen, quo in omnes deſæviat: non tridentem, quo in ſuam omnia utilitatem trahat; ſed indicem gerat: quo omnibus adſit: nam & cœlum ſe omnibus elargitur. Qui cum Magnete tantum unum reſpicit, ſingularis eſt: niſi ſingulare hoc ſibi habeat, velut ad ſtellam polarem in æquitatis bilancem reſpicere; & ſemper in Libræ domo vivere. Hæc enim juſto ponderе dat *cuique ſuum*, benemerito præmium, reo pœnam.

— 83.

N. 92.




W. J. Xadoriza del. Linc.

Binis honores ſuos columnis terminavit Hercules: *Non plus ultra.* Hæ binæ ſunt regnorum columnæ: Pœna & Prœmium. *Duæ res erudiunt civitates, ſcelerum pœna, & juſtitiæ præmia.* Hæc dixit Democritus, communes rerum publicarum genius, Angelos. Has intra Juſtitiæ pyramides, regnique obeliſcos ſtat medius, qui præeſt, vir politicus. Ex ſe neutralis, nec huc, nec illuc inclinet: at ambidextro gubernio, ſic noverit dextra manu in meritos derivare prœmia, ut ſciat & ſiniſtra fulmen jacere in delinquentes. Fulmine & corona inſignem aquilam videris coloribus expreſſam; egregius in regnorum moderatores penicillus. Nam dandum cuique ſuum, ut ne ab Oraculi conſulto devietur, quod optimam Reip. formam eſſe dixit: *In qua fortibus & ignavis, ſuum tribuitur.* Hoc utroque ſubſidio quemvis ſuo in officio continuiſſe falſus eſt Alphonſus Aragonum Rex. Amphiarni ſcutum vulnus, opemque tulit. Clementiſſima domus, ſi lacte & oleo ſtillet, ſereniſſima Lux orbi clareſcet, ſi pro æquitatis debito, etiam rigoris acetum miſceat. Gentilitium Auſtriæ ſcutum ſic lacte ſanguinem temperat, ut candidum ſimul & rubicundum ferire doceat & lenire, mactare & lactare. Non affectu agitur, non timore abjicitur, non utilitate præoccupatur, non ſanguine inclinatur, qui ad clavum juſtitiæ ſedet: Dat cuique ſuum, juxta pondus meritorum. Unus ex plurimis adeſt Auſtriæ gemma Ferdinandus II. *Fruſtra fuit illi aut alterius potentiam, aut ſpem ſuam objicere. Stetit contra omnia immotus; nec inclinavit, niſi quo juſtitia trahebat, cum jure fuit agendum, in unam æquitatem intentus, nec affinitatem, nec dignitatem, nec auctoritatem partium reſpexit.* Levis ſit, qui hoc pondere deficit.

*Lycurg. orat. cont. Leocat.*

*Plut. in Lacon. inſtitut.*

*Lamorm. in vita c. 25*

# QUÆSTIO ULTIMA.

## *De Ære, & Ferro.*

CОnclusio prima. Æs eſt metallum impurum ex plurimo Sulphure rubeo & craſſo, & pauco argento vivo impuriore genitum. Multa conſtat terra, modico humore, quod hinc liquet, quoniam nec corrumpitur, nec rubigine ita cito obducitur, nam omni fere ejus humore abſumpto, plus juſto exuſtum eſt. Ob quam cauſam in majori pretio, quam ferrum, æs fuiſſe antiquo tempore, veriſimile eſt, ut ex ære non ſolum arma, quibus tegerentur, & clypeos, ſed & lanceas veteres conficerent, quod non attereretur ævo, nec uſu. Inde mos & Ægyptiis invaluit, æreas tabulas cadaveribus imponere, quæ putredinem arcerent, ſic iisdem & acuti mucrones ærei infixi ſunt, ut teſtatur *Pierius in Hieroglyphic.* Variæ ejus numerantur ſpecies, ſi rubro induitur colore, nominatur æs Cyprium, vel communi vocabulo cuprum, quod copioſe naſcitur in Inſula Cypro, à qua ſuum derivaſſe nomen quidam exiſtimant. Si commiſcetur cum lapide calaminari, ſeu cadmia, aut calcite, quod item eſt, flavum præfert colorem, & orichalcum vocatur. Datur æs album, quod conſurgit ex mixtura cum ſtanno. *Corinthiacum* etiam dictum eſt aliud, quod in urbis conflagratione cum diverſis metallis permiſtum fuit Rurſus æs aliud *coronarium* appellatur, quod in tenuiſſimas diductum bracteolas ſelle tauri tingitur, atque aurum ipſum colore exprimit. Præterea, ſi rubrum & flavum aliquando miſceas, fiet cuprum nigrum, ſeu *bronzo.* Ex quo patet, æs rubrum duntaxat purum eſſe, atq; proprie unicam duntaxat æris ſpeciem dari, alium enim colorem, quem aſſumit, non à natura, ſed per additionem tincturæ acquirit.

Concluſio ſecunda. Variæ ejus enumerantur proprietates, ex quibus primo loco occurrit gravitas, quæ inter metalla medium locum tenet; æs enim gravius eſt ferro & ſtanno, levius tamen auro, argento & plumbo. Ratio hujus petitur à majore vel minori admixtione terræ & humoris, comparatione factâ ad cætera metalla. Hinc ferrea incus æri liquato innatat. Pariter diſcurrendum de ejus ſiccitate & duritie, quam etiam ab arctiore plexu partium deſumit Quam ob cauſam difficile liquatur, facile tamen incaleſcit, & accenditur, accenſumque adeo ſplendet præſertim nocturno tempore, ut ſolem fulgore quodammodo æmuletur. Valde elaſticum eſt, inde ad chordas muſicas & campanas adhibetur. Calcinatur affuſo ſulphure; diſſolvitur item ſpiritu aceti, & ſpiritu ſalis ammoniaci. Cæterum cum ære difficilius admiſcetur Mercurius, quam cum ullis metallis, excepto ferro. Æs regulare, quod ignis ardoribus à ſcoriis purgatur, non differt ſpecie à caldario, quod ut obſcurius, ita vilius exiſtit, illud autem colorem auri magis refert, & duci ac fundi facilius poteſt. Hoc fuſile quidem eſt, ſed minus ductile, cum plurimum habeat terrenæ impuritatis. Si in æs fuſum aqua infunditur, edito maximo ſtrepitu ex vaſe erumpet. Idem continget, ſi vel lapillus, vel aliud humidum & madidum æri fuſo immergatur. Ratio hujus eſt, quia aqua ſubit infra æs liquatum nonnihil ſaltem, mox rareſit, & ut bombula diſſilit. Analogiam & dat pulvis pyreus in medio lapidum cumulo ſubito accenſus. Æs politum, aqua vel ſanguine madefactum citius æruginat, imo ſale vel aceto, aut urina aſperſum ſtatim mutatur in viridem æruginem. Hæc enim omnia poros efficiunt laxiores, atque adeo halitus excrementitius facilius erumpere, & in æruginem concreſcere poteſt.

Quæres primo. Quodnam ſit indicium æris fodinæ? Reſp. Primo colligi hoc ex ærugine, ex vena enim æraria halitus aſcendit, qui cum in humorem terræ admixtum incidat, concreſcit in æruginem. Secundo ſignum præbent ſaxa flavi & cærulei coloris; item fiſſurarum ac rimarum copia. Rationem dat Kircherus Mund. ſubt. l. 10. ſec. 4. c. 9. quod Mercurius calore nimio exaltatus lapides intrinſeca humiditate exſiccet. Unde fiſſuras, rimasque tanquam continuationis vinculo diſſoluto naſci neceſſe eſt. Tertio, aquæ vitriolatæ ex monte erumpentes ſubvireſcentis coloris, odorisque metallici, quæque ſundum putri quadam viridi, tenui, ac mucoſa materia, veluti cuticula quadam obducunt, montem ære prægnantem indicant. Cæterum memorat Jonſtonus de Admirand. Foſſil. c. 29. in Cypro genus quoddam eſſe auro non abſimile, quod in fruſta minutiſſima ſectum agricolæ ſerunt, & pluviis humectatum, caloreque vivificatum creſcit, ac poſtquam ad juſtam maturitatem adoleverit, colligitur. Fides hujus rei ſit penes authorem, mihi enim fabula videtur, admitto tamen, quod per juxtapoſitionem creſcere poſſit: eo quod plures partes homogeneas è terra aut aëre attrahat, & ſic per novarum partium acceſſum augeri poſſit.

Quæres ſecundo. Utrum Orichalcum aurei coloris etiam ex fodinis eruatur? Reſpondeo, Orichalcum, quo modo utimur per tincturam pulveris Cadmiæ (lapis hic eſt imperfecti æris) ex rubro ære fieri; ut ſuperius annotavimus. Unde cenſeo Orichalcum eſſe æs non tam

naturale, quam factitium. Apud Indos tamen teſte Ariſtotele in moral. æs adeo lucidum & purum, nec non rubigine carens inveniri, ut neque colore diſtet ab auro. Sed & in Darij poculis cados nonnullos inveniri ſcribit idem, qui nec alio pacto, quam odore, ænei an aurei ſint, internoſci poſſunt.

Quæres tertio. Quæ mirabiliora opera ex ære recenſeantur? Reſp. Inter prima ab Authoribus reponi centum ex ære fuſo Babylonis portas. Secundo numeratur æneus amphorarum triginta crater, quo Cræſum donarunt Lacedæmonij. Ex eodem fuſus apud Rhodios Solis Coloſſus; Septuaginta ille cubitorum altitudinis fuit, ut teſtatur Plinius l. 34. c. 7. Poſt quinquageſimum annum terræ motu proſtratus; multis etiam jacens miraculo eſt. Pauci pollicem ejus amplectebantur. Majores erant digiti, quam pleræque ſtatuæ. Vaſti ſpecus confractis hiabant membris. Duodecim annis tradunt effectum trecentis talentis. Unde inter ſeptem mundi miracula receptus.

Concluſio tertia. Ferrum eſt metallum impurum ex plurimo ſulphure crudo terreſtri & adurente, & modico argento vivo ſimiliter impuro, genitum. Nativum in fodinis reperitur veluti grana ſeu maſſa. Conflatum ex lapidibus ferreis vel terra rubra, ferrugine quaſi læſa excoquitur. Hujus ſpecies quædam eſt chalybs, & eſt ferrum purgatum & ignibus multis & aquarum crebra reſtinctione induratum. Et, ut loquitur Ariſtoteles, chalybs à ferro diſtinguitur tanquam ejus nucleus; Nativus chalybs olim eruebatur ex loco Thraciæ, ubi Chalybes populi habitabant.

Concluſio quarta. Proprietates hujus ſunt primo, quod ſit duriſſimum omnium metallorum; duritiem tamen hanc acquirit tanquam per gradus per temperaturam, nam candens ferrum mollius eſt, & ideo facile tunditur; cujus ratio eſt humoris rarefactio, unde niſi temperetur, etiam refrigeſcens mollius eſſet. Quod ſi candens aceto immergatur, adeo dureſcit, ut malleis intractabile frangatur citius, quam ſe duci patiatur, forte quia acetum ferri meatus penetrans illud ita conſtringit. Verum ut ut durum ſit, aſſiduo tamen uſu conteritur, quoniam ad ejus generationem minus argenti vivi ſeu humoris, plus vero ſulphuris terreſtris concurrit; Ob eandem rationem difficile liquatur, cum modico nempe humore conſtet & arctiſſimo partium complexu. Tingitur diverſis coloribus. Redditur cæruleum ex lapide quodam ex Gallæcia allato. Simile fit æri ex aceto vel alumine; redditur & album, ſi lamina ferrea ſtanno obducatur, minime tamen per hoc naturam ſuam mutat, verum ſolummodo aliis accidentibus inveſtitur. Accenditur priusquam liquefiat, ob ejus duritiem & modicum humorem; admoto tamen ſulphure ſtatim liqueſcit, & guttatim decidit, atque ingratum odorem diffundit.

Quæres primo. Quomodo ferrum in chalybem mutari poſſit? Reſp. me paulo ante hujus mutationis jam inſinuaſſe modum, nempe ſi candens aceto immergatur. Hinc Lacedæmoniis mos numiſmata ex ferreis conflare baculis, aceto mergere candentia, ne fragilia in alios depromerentur uſus. *Plutarchus in Lycurgo.* Weckerus vero aceti loco atramento ſutorio utendum ait; Cardanus autem cortice mali punici. Omnium tamen certius Magiſterium eſt, ferrum ſæpius candefactum, ſi frigidæ immergatur, firmari in chalybem. Si tamen chalybs ſæpe candeſcat, & citra novam temperationem frigeſcat, remolleſcit. Pariter lixivio è cinere roboris & calce viva horis duabus coctus molleſcit.

Quæres ſecundo. Utrum ferrum certis mineralibus aquis immerſum in æs convertatur? Reſp. patere hoc experientia ex iis, quæ adduximus de mineralibus aquis, quamvis cenſeam, non eſſe propriam converſionem & ſubſtantialem transmutationem, nam corpuſcula ærea per minerales aquas advecta laminæ ferri duntaxat ſe affigunt, ſuoque affrictu ſenſim ſine ſenſu eam extenuant, atque ita in æs commutant.

Quæres tertio. Unde ferrum rubiginem contrahat? Reſp. Oriri hanc ex halitu per poros erumpente, qui ab humida ferri ſuperficie ſiſtitur, & in ferruginem concreſcit. Arcent vero hanc medulla cervina & oleum; eo quod obſtruant ſua pinguedine ferri poros, ne prædictus halitus evaporet. Ad abſtergendam vero rubiginem adhibetur ceruſſa, & Gypſum, omnium tamen optimum eſt oleum tartari. De ferrugine notant ulterius Authores, eam eſſe naturæ adſtringentis. Hinc ſiſtit (ut teſtatur P. Honoratus Fabri tract. 8. Phyſ. l. 2.) Feminarum profluvia ob venularum obſtructionem inductam, immo impedit, ſi bibatur, ne partum concipiant. Ob eandem rationem & ipſum ferrum ineptum reddit, ut à magnete attrahatur. Obſervatur etiam, tenaciſſimam rubiginem ab humano præſertim ſanguine ferrum contrahere, cujus ratio eſt, quia ſanguis diutius adhærens profundiores radices agit, & glutinoſo ſuo humore ferrum tenaciſſime ſtringit.

Quæres quarto. Quæ gleba mineralis ferri ſit optima? Reſp. Si ſit ponderoſa, bene compacta, à terræ, ſaxi, cæterorumque metallicorum corporum ſocietate ſejuncta, coloris pruni, perfecta cenſetur. Cæterum metallorum omnium vena ferri largiſſima eſt. Cantabriæ mari-

maritima parte, quam Oceanus alluit, mons prærupte altus (incredibile dictu) totus ex ea materia eſt compactus, ut teſtatur *Plinius l. 34. c. 14.* Rarum in India. Hinc ferri quatuordecim libras ducentis quinquaginta auri, juxta inſulam *Zabur*, permutatas fuiſſe, ſcribit Peggavetta. Duriſſimum fertur Damaſcenicum eſſe, quod plenum eſt venulis, quæ tamen uſu atteruntur, ſed citrij ſucco, & aquâ calchanti ferro ſuperfuſa renovantur. Damaſceni venas vulgare ferrum æmulabitur, ſi polito calce lineæ inducantur, & igne deinde vel ſole exſiccatum aqua calchanti diluatur; calx enim ſuâ acrimonia maculas inuret, & inuſtis calchantum colorem addet. In Sicilia & Luſatia effoſſum nova incrementa accipit, ut narrat Agric. in obſervat. Metall. & tera, arborumque trunci in incremento ferri acquirunt materiam; Liquori denſo primo, illa ſimilis, magis magisque indureſcit poſtea. In *Java mojori* herbam dare, ſcribit *Hirnheim de Typho Gen. hum. c. 10.* cujus medulla ſit ferrea ab imo usque ad ſummum; fructum quoque gignere ferro impenetrabilem. *Marcus Paulus Venetus lib. 1. itiner. ſui c. 47.* tradit, in Provincia Chinchin (quod eſt Tartariæ Regnum) montem eſſe, in quo inveniuntur mineræ chalybis, ex qua pannus conficitur igne inconſumptibilis. Producit enim minera illa fila lanæ haud diſſimilia, hæc ad ſolem exſiccata in mortario æneo conteruntur, deinde lavantur, & à terræ fæcibus purgantur. Sic purgata attenuantur ut alia lana, nentur, & in pannum contexuntur. Quod ſi hunc dealbare quis vult, in ignem projicit, & poſt horam nive candidiorem inde recipit. Et hæc de foſſilibus & metallis dicta ſufficiant.

# CONCLUSIO POLITICA.
## Pacis tempore cogitanda, quæ belli ſunt.

83.

*N. 83.*




*Wolfg. Joseph Kadoriza del. Lincy.*

DE militiæ Romanæ tyronibus author eſt Vegetius: *Equi lignei hyeme ſub tecto, æſtate ponebantur in campo. Super hos juniores primo inermes, dum conſuetudine proficerent, demum armati cogebantur aſcendere. Hoc enim aſſidua meditatione faciebant, ſcilicet, ut in tumultibus prœlij ſine*

*ſine mora aſcenderent, qui tam ſtudioſè exercebantur in pace.* Inter confuſæ multitudinis omnia miſcentis ſtrepitum non poteſt dextre perfici, quod non provide inter pacis otia conſilio & exercitatione fuit præconceptum. Arma diſponere, conſilia agitare, annonam congerere, quando jam claſſicum ſonat, non eſt belli œconomia. Neq; enim è Martis ſchola prodiit adagium vetus: *In arena conſilium.* In campo, qui victor audire deſiderat, domi arma tractet, victoriæ ſagum in toga præparet. Dulcedine pacis ſic capi, ut ne quidquam de bello cogitetur; graviorum, quam ipſum bellum parturit, calamitatum eſt cauſa. Qui enim belli onera experitur, hunc neceſſitas excitat. Qui pacis malaciâ obſoleſcit, ſecuritate fit ignavus, ut pugnare non poſſit, quando eſt pugnandum. Non vult pax eſſe inermis, enſem gerit olea involutum; iſta depoſita ſtat jam ſuccincta ad pugnam. Cajus Marius bello optimus audiit, pace peſſimus: quia cum eſſet in prœlio vigil, ita in pace obdormivit, quaſi nunquam eſſet ad bella evigilandum. Primus Antonius non ſpernendus Bellonæ Alumnus, victoriis clariſſimus: at ita ex pacis quiete ignavus, ut futurorum immemor bellorum arma tractare oblitus fuerit, quia in tempore non paravit. Ante armamentarij fores pax pervigil ſtatuatur, quæ quum arma non capiat, ſtat tamen ad bella parata, ſtat ordine omnis belli apparatus; enſes & mucrones, loricæ & caſſides, tormenta & belli machinæ, *Expectant claſſica Martis.* Eſto, ſit bellum matrix omnium calamitatum, malorum Ilias, cruentum Trojani equi puerperium, urbium & provinciarum incendiaria, publicæ quietis funeſtiſſima nox, communis felicitatis naufragium. Sit pax melioris Deæ ſoboles, orbis ſuſpirium, totius ſecuritatis aſylum, urbium & agrorum lætitia: *ut non modò ij, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atq; agri lætari videantur; ut & Majores noſtri, & fortiſſimus quisq; vir maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in otio eſſe poſſit;* Ita tamen pacis ſtudia ſunt colenda, ut in otio non otioſe vivatur, in pace bella cogitentur, unde eadem, quæ Minerva eſt, ſimul Bellonam agit, ſic in quiete ſecura, ut ſecuram ſe nunquam credat; ſic ſemper armata, quaſi ſemper timeret. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet.* Antiochius Epheſi ſecurus adm. de bello Romano erat, tanquam non tranſituris in Aſiam Romanis, ſecuritate ab amicis & aſſentatoribus facta, didicit, quam ſit pernicioſum in pace otiari, ſine armis domi vivere. Si timuiſſet, non timuiſſet. Non eſt artium infima, ſcire otiari Tota Lycurgi legum deſcriptio ad unam militandi artem referebatur. Et ſalvi quidem erant bellum gerentes: interibant autem otium adepti, quia otiari & quieſcere neſciebant, ſic ſecuri, quaſi amplius non pugnaturi. Pax ipſa contra ſe armanda eſt, ſine armis ſe ipſam expugnat, quia vicinum in ſe armat: nemo enim libentius bella gerit, quam contra inermem. Oportet quidem magis agitare pacem atq; otiari poſſe: ſed oportet, & bella gerere poſſe, atq; inter otia nutrire negotia; nunquam eſſe ſine ferro, ſi non extracto, at ſaltem in vagina. Prædicatur Trajani moderatio, quod inutritus bellicis tumultibus, pacē amabat; ſic miſcens otio bellum, ut nunquam minus otioſus, quam cum otioſus, quia ſemper negotioſus. Cum enim turpe ſit, nō poſſe armis uti; tum multo turpius eſt, otioſa vita non poſſe uti. Non autem uſus eſt otio, qui uſu brachiorum caret, ſed qui per otium arma parat, ut ea moveat, quando eſt uſus neceſſarius CumAlexandro ſic quiete utendum eſt, ut globus ſemper vola geſtetur: excitat hoſtile tympanū? ſta ſemper ad arma paratus. *Nunquam Imperator bonus ita paci credit, ut non ſe præparet bello; quod etiam ſi non geritur, indictum eſt.* Henricum IV. Gallorum Regem, pace cum Hiſpanis acta, velut in bello armatum perſtitiſſe, Scriptores memorant. Qui enim amicus eſt factus, fieri poteſt inimicus, cum jam fuerit talis. Amiciſſimus qui eſt, ſimulare ſe poteſt: qui ſecuriſſimum cum te videt, aggreditur, quia inermem. *Bias Græcorum ſapientiſſimus ajebat, homines in uſu amicitiæ ita verſari debere, ut meminiſſent eam ad graviſſimas inimicitias poſſe converti.* Laudabilis eſt diffidentia ſuſpicionibus ſemper agitata, quæ vicinum poſſe fieri averſum, ſuſpiciatur. *Eſt autem frequentiſſimum exitium calamitatis futuræ, ſecuritas.* Tutum ſe ſtare creditit Conſtantinus M. quia pace toto Imperio conſtituta, milite præſidiario urbibus dimiſſo; neq; armis neq; annona proviſæ urbes mox in miſeram tranſiere ſervitutem. Quamdiu invidiæ, odiiq; ſcopus ſunt regna & ſceptra (ſunt autem ſemper) ſuo ſunt præſidio munienda; quia facile invidiæ flāma exardeſcit, quæ tantum ſub cinere delituit, nunquam plene extincta. Si priora ſæcula repetas, invenies Agrippam, in ſumma pace cum ageret, muros civitatis antea dirutos inſtauraſſe. Recentiora tempora ſi revolvas, videbis Sereniſſ. Albertum Brabantiæ Ducem, qui pactis cum hoſte induciis, urbes hoſtili agro adjacentes, quam muнitiſſimo firmavit præſidio. Auſtria Ottomannæ Lunæ contermina, & ob Imperialem pileum alienæ invidiæ meta, nunquam ſtat, in pace ſecura. Illud Maximiliani I. Auſtriaci Romanorum Imperatoris familiare habeat: *Semper cum cautione. Nunquam enim ſatis caveris,* dicebat Comicus contra inimica inſidiatorum, ac fœdifragorum tela, *hoc ſcuto ſe maxime tutum reddit Princeps: nihil credendo, omnia cavendo.* Pacis tempore arma gerat, futura provideat, militem ſuſtineat Auſtria: tum equidem AD SIT, qui impugnet, Auſtria
Adhuc Stat.

# INDEX
## Meteorologiæ Philoſophico - Politicæ.

### DISSERTATIO I.
De Corpore Meteorico generatim.

QUÆSTIO I. *Quid ſit Meteorum, & quæ ejus Materia.* Fol. 1.
Concluſio Politica. *Politicus ſcientiâ & virtute præſtet.* 3.
Quæſt. II. *Quæ ſit cauſa efficiens Meteori.* 4. Concluſ. Polit. *A DEO omnia.* 6.
Quæſt. III. *De locis, in quibus Meteorologicæ impreſſiones contingunt.* 7.
Concluſ. Polit. *Politicus per gradus aſcendat.* 10.
Quæſt. IV. *An etiam corpora mixta materiam proximam præbeant Meteoris.* 11. Concluſ. Polit. *Fama facinorum filia.* 13.
Quæſt. V. *An omnia Meteora cauſas habeant naturales, & an ex illis quædam 'præominari poſſint, quamq; cauſam finalem ſortiantur.* 15. Concluſ. Polit. *Præſit, ut proſit Politicus.* 16.

### DISSERTATIO II.
De Meteorico Corpore ignito.

Quæſt. I. *De Meteoris igneis in communi.* Fol. 17. Concluſ. Polit. *Non te, ſed tuorum quære utilitatem.* 19.
Quæſt. II. *De flamma, capra ſaltante, lancea, igne perpendiculari, ſtipula ardente, & aliis.* 20. Concluſ. Polit. *Fortitudo virum facit.* 21.
Quæſt. III. *De Caſtore, Polluce, & Helena. Item de ſtella diſcurrente, volante, & cadente.* 23. Concluſ. Polit. *Amore ſimul & timore præſit.* 24.
Quæſt. IV. *De igne lambente.* 25. Concluſ. Polit. *Adulatoribus non fidendum.* 26.
Quæſt. V. *De Dracone volante.* 27. Concluſ. Polit. *Calumniis ne vincaris.* 28.
Quæſt. VI. *De igne fatuo.* 29. Concluſ. Polit. *Frænandus gloriæ appetitus.* 31.

### DISSERTATIO III.
De tonitru coruſcatione, & fulmine.

Quæſt. I. *De Tonitru.* Fol. 32. Concluſ. Polit. *Conſilia non ſint manca.* 35.
Quæſt. II. *De fulgure ſeu coruſcatione.* 36. Concluſ. Polit. *Arma non apprehendat, niſi coactus.* 38.
Quæſt. III. *Quid, & quotuplex ſit fulmen.* 39. Concluſ. Polit. *Sæpe unius malitia Reipubl. excidium eſt, ſicut unius probitas ſalus.* 41.
Quæſt. IV. *An detur, & quid ſit lapis fulmineus.* 42. Concluſ. Polit. *Caſus ſæpe gloriæ incrementum eſt.* 44.
Quæſt. V. *Quænam ſit cauſa fulminis, impetus & motus obliqui.* 45. Concluſ. Polit. *Sine reſpectu agendum.* 47.
Quæſt. VI. *Qualesnam ſint effectus fulminum.* 48. Concluſ. Polit. *Uti ferro, ita & deliciis ſubjici turpe eſt.* 51.
Quæſt. VII. *Quæ res, vel à fulmine immunes, vel magis obnoxiæ ſint, & de nonnullis aliis fulminis adjunctis.* 52. Concluſ. Polit. *Quanto altius ſtas, tanto periculoſius.* 55.

### DISSERTATIO IV.
De Cometis.

Quæſt. I. *De Cometis in genere, eorum diviſione, ac loco generationis.* 57. Concluſ. Polit. *Minetur, priusquam puniat.* 58.
Quæſt. II. *De cauſa materiali, formali, & efficiente cometarum.* 59. Concluſ. Polit. *Virtus oppreſſa reſurget.* 61.
Quæſt. III. *De figura ſeu prima proprietate cometarum.* 62. Concluſ. Polit. *Incentores malorum ne tolerentur.* 65.
Quæſt. IV. *De magnitudine, colore, motu, duratione, & reliquis proprietatibus cometarum.* 66. Concluſ. Polit. *Nil violentum diuturnum.* 68.

Quæſt. V.

Quæſt. V. *De prognoſtico ſeu ſignificatione & effectibus cometarum 70.* Concluſ. Polit. *Laboribus ne plus æquo gravet.* 74.

# DISSERTATIO V.

## De Meteoris apparentibus in ſublimi.

Quæſt. I. *De circulo, ſeu via lactea. 76.* Concluſ. Polit. *Per veſtigia majorum aſcenditur ad gloriam.* 78.
Quæſt. II. *De coloribus in aëre apparentibus. 79.* Concluſ. Polit. *Coloratis prætextibus attende.* 80.
Quæſt. III. *De Voragine, Hiatu, & Halone aut area, ſeu Corona. 82.* Concluſ. Polit. *Turcæ juratus hoſtis maneat Politicus.* 84.
Quæſt. IV. *De Virgis, Parelio & Paraſelene. 85.* Concluſ. Polit. *Heroicis paternæ virtutis exemplis inſiſtendum.* 88.
Quæſt. V. *Quid ſit Iris, quæ ejus colores, & horum cauſa efficiens. 89.* Concluſ. Polit. *Fœdera cum externis pacem conſervant.* 91.
Quæſt. VI. *De figura Iridis, & earum numero. 92.* Concluſ. Polit. *Sanguinis claritas factis probanda.* 94.
Quæſt. VII. *De reliquis proprietatibus, effectu & ſignificatione Iridis. 96.* Concluſ. Polit. *Politicus ſit pacis ſtudioſus.* 97.
Quæſt. VIII. *De inſolitis, ac miris in aëre ſimulacris quandoque conſpicuis. 99.* Concluſ. Polit. *Jacula ne feriant, prævide.* 102.

# DISSERTATIO VI.

## De Meteoris aëreis ſive ventis

Quæſt. I. *De materia & natura ventorum. 103.* Concluſ. Polit. *Honorum ambitus eſt ventorum captatio.* 105.
Quæſt. II. *De cauſa formali & efficiente ventorum. 106.* Concluſ. Polit. *Malo præveniat, ne ſerpat.* 109.
Quæſt. III. *De numero & varietate ventorum. 111.* Concluſ. Polit. *Politicus adverſis ſolidatur.* 113.
Quæſt. IV. *De effectibus & proprietatibus eorum in genere. 114.* Concluſ. Polit. *Fortunæ inconſtantia arrogantiam arceat.* 115.
Quæſt. V. *De effectibus & proprietatibus ventorum in ſpecie. 117.* Concluſ. Polit. *Connubia felicitatem promovent.* 120.
Quæſt. VI. *De ſignis prognoſticis ventorum eorumque natura ad rerum electiones. 121.* Concluſ. Polit. *Suſurrones non facile ſuſcipiendi.* 123.
Quæſt. VII. *Obſervationes nonnullæ circa ventos vehementiores, eorumque mirabiles effectus.* 119. Concluſ. Polit. *Concordiæ ſtudioſus ſit Politicus.* 124.

Nota, amice Lector, quæſtionem hanc VII. eſſe poſitam loco appendicis, quæ ſub iſto numero quæſtionis VII. imprimi debuiſſet, invenies vero eam poſt quæſtionem V.

# DISSERTATIO VII.

## De Meteoris aqueis, quæ fiunt in aëre.

Quæſt. I *De Nubibus. Fol. 126.* Concluſ. Polit. *Malefactoribus benefaciendum.* 128.
Quæſt. II. *De Nebulis. 129.* Concluſ. Polit. *Ingratitudo vitium commune.* 132.
Quæſt. III. *De Pluvia. 133.* Concluſ. Polit. *Liberalitas Politico propria.* 136.
Quæſt. IV. *De Nubifragio. 137.* Concluſ. Polit. *Abundantia ſæpe nocet.* 141.
Quæſt. V. *De Nive. 142.* Concluſ. Polit. *Morum ſenectus Politici ornamentum.* 144.
Quæſt. VI. *De variis quæſitis de nive.* 145.
Quæſt. VII. *De Grandine. 147.* Concluſ. Polit. *Inconcuſſum eſſe decet ad grandinem malorum.* 149.
Quæſt. VIII. *De rore, & pruina. 151.* Concluſ. Polit. *Digniores promoveantur.* 153.
Quæſt. IX. *De Melle. 154.* Concluſ. Polit. *Per adverſa venitur ad ſecunda.* 156.
Quæſt. X. *De Manna & Saccharo. 158.* Concluſ. Polit. *De mane conſilium.* 159.

# DISSERTATIO VIII.

## De Meteoris Aqueis in terra, & primò in ſpecie de Mari.

Quæſt. I. *De quidditate maris ejusque diviſione & nominibus. 161.* Concluſ. Polit. *Affectus moderandi.* 162.
Quæſt. II. *De Proprietatibus Maris & primo de ſalſedine. 164.* Concluſ. Polit. *Prudentiæ ſal actionum eſt condimentum.* 166.
Quæſt. III. *De denſitate, gravitate & colore maris. 167.* Concluſ. Polit. *Gaudet oneribus Politicus.* 168.
Quæſt. IV. *De ſitu, profunditate, amplitudine & communicatione marium, ac nonnullis aliis quæſitis. 170.* Concluſ. Polit. *Correſpondentia & communicatio Reipubl. utilis.* 172.

Quæſt. V. *De variis Maris motibus. 173.* Conc. Polit. *Abdicanda ſunt bona, quæ animum perdunt. 175.*

Quæſt. VI. *De cauſa reciproci æſtus maris. 176.* Concluſ. Polit. *Politicus quæ à ſubditis haurit, in eorum bonum convertat. 179.*

Quæſt. VII. *De variis quæſitis circa æſtum maris. 180.* Conc. Pol. *Chimæra eſt Politicus voluptuoſus. 181.*

Quæſt. VIII. *De effectibus maris, & cauſa finali motus ejus; ac de diluviis & exundationibus 183.* Concluſ. Polit. *Juſto bello animus non dejiciendus. 185.*

## DISSERTATIO IX.

### De Fontibus & Fluminibus, ac reliquis Aqueis Meteoris.

Quæſt. I *De quidditate fontium & fluminum, eorumque differentiis & origine. Fol. 186.* Concluſ. Polit. *Obſcuri natales factis illuſtrandi. 189.*

Quæſt. II. *De Obſervationibus hydrognomicis fontium, eorumque venis & ſcaturigine. 190.* Concluſ. Polit. *Muneribus hoſtis conſilia expiſcanda. 191.*

Quæſt. III. *De aliis variis quæſitis Fontium & Fluminum affectionibus. 192.* Concluſ. Polit. *Amicos & Clientes conſerva. 194.*

Quæſt. IV. *De magis peculiaribus Fluminum affectionibus. 195.* Concluſ. Polit. *Eadem qua aſcendit via arrogans, recidit. 198.*

Quæſt. V. *Quænam aquæ ſalubriores & præſtantiores ſint. 199.* Concluſ. Polit. *Veritas ex fonte, non à blateronibus haurienda. 201.*

Quæſt. VI. *De Glacie. 202.* Concluſ. Polit. *Violata fœderis fides ruptura eſt boni publici. 205.*

Quæſt. VII. *De aquis calidis & Thermis. 206.* Concluſ. Polit. *Ærarium divitum levamen ſit pauperũ 209*

Quæſt. VIII. *De aliis aquis medicatis, mineralibus, lapideſcentibus, & aliis nonnullis. 211.* Concluſ. Polit. *Exterrarum Regionum luſtrator ſit Politicus. 214.*

## DISSERTATIO X.

### De Terræ motu.

Quæſt. I. *Quid ſit terræ motus, & quæ ejus cauſa. 216.* Concluſ. Polit. *Nimium ſtringendo diſſolvuntur leges. 218.*

Quæſt. II. *Quæ ſint terræ motus ſpecies, ejusque præſagia. 220.* Concluſ. Polit. *Sepulchralis terræ motus ſuſtinendus omnibus. 221.*

Quæſt. III. *De effectibus terræ motuum. 223.* Concluſ. Polit. *Sine Deo hominum vires nullæ ſunt. 225.*

Quæſt. IV. *De ſono, loco, tempore, magnitudine & duratione terræ motus. 226.* Concluſ. Polit. *Pietas regnorum fulcrum. 229.*

## DISSERTATIO XI.

### De Montibus, Cavernis, ac Ignibus ſubterraneis.

Quæſt. I. *De Montibus. Fol 231.* Concluſ. Polit. *Magnates non ſunt irritandi. 234.*

Quæſt. II. *De ſpeluncis & ſubterraneis meatibus. 235.* Concluſ. Polit. *Virtus latere neſcit. 237.*

Quæſt. III. *De ignibus ſubterraneis. 239.* Conc. Pol. *Immoderatus animi fervor ad intra coërcendus. 243.*

## DISSERTATIO XII.

### De Foſſilibus & Metallis.

Quæſt. I. *De Foſſilibus, eorumque generatione in communi. 245.* Concluſ. Polit. *Conſilia ſerventur in abſcondito. 247.*

Quæſt. II. *De ſuccis terræ & in ſpecie de ſale 249.* Conc. Pol. *Maximum Reipubl. bonum à litteris. 251.*

Quæſt. III. *De reliquis ſuccis & terris pretioſis. 252.* Concluſ. Polit. *Cognoſce te ipſum. 255.*

Quæſt. IV. *De ſuccino & virtute Electrica.* Concluſ. Polit. *Morum comitas neminem deſpicit. 258.*

Quæſt. V. *De natura & proprietatibus lapidum generatim. 260.* Concluſ. Polit. *Leges ut floreant, continuo reſtaurentur. 262.*

Quæſt. VI. *De natura & proprietate lapidum in ſpecie. 263.* Concluſ. Polit. *Quanto depreſſior, tanto ſublimior virtus aſſurgit. 266.*

Quæſt. VII. *De Cryſtallo, gemmis, & lapillis pretioſis. 268.* Concluſ. Polit. *Amicorum & Conſiliariorum uſus in pretio ſit Politico. 271*

Quæſt. VIII. *De Magnete. 273.* Concluſ. Polit. *Concordiæ ſummopere ſtudendum Politico. 275.*

Quæſt. IX. *De modo inveniendi Mineras, & de Magiſterio tranſmutandi metalla 277.* Concluſ. Polit. *Juventutis inſtitutio Reipublicæ perutilis. 281.*

Quæſt. X. *De auro. 282.* Concluſ. Polit. *Sine labore nihil 285.*

Quæſt. XI. *De Argento & Mercurio, ſive argento vivo. 287.* Concl. Pol. *Ærarium non patiatur vacuũ. 289*

Quæſt. XII. *De Stanno, Plumbo, & Orichalco. 291.* Concluſ. Polit. *Ad Æquitatis trutinam expendenda ſunt ſingula. 292.*

Quæſt. Ult. *De Ære & Ferro. 294.* Concluſ. Polit. *Pacis tempore cogitanda quæ belli ſunt. 296.*